Claudij Galeni Pergameni opera diversa iam primum in lucem aedita,

Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete, quorum catalogum versa pagella inuenias.




PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi.
1 5 3 6

EORVM GALENI LIBELLORVM, QVI HOC VOlumine continentur, interprete Ioanne Guintetio Andernaco, catalogus.

Clarissimo, nobilissimoq; viro, domino

D. NICOLAO AB HVY, DOMINO APVD VNDERICH, Illustrissimi Lotoringiæ Principis Consiliario, Ioannes Guinterius Andernacus Medicus S.



RÆclarè Cicero de Philosophorum sententia scriptum reliquit, vir ornatissime, nos ad agendũ esse natos. vt enim quisq; optimè, & vt libero homine dignũ est, institutus fuerit, in vita omnino esse nolit, si gerẽdis negotiis orbatus possit paratissimis vti voluptatibus. Nam aut priuatim aliquid gerere malunt, aut, qui altiore sunt animo, capessunt rẽpublicã honoribus & imperiis adipiscẽdis, aut totos se, vt ait ille, ad studia doctrinæ cõferunt, quibus patriæ, aut orbi vtiles sint futuri: nec longiora viuendi spatia sibi à diis immortalibus dari cupiunt, q̃ dũ ad hanc vitæ rationẽ erũt idonei. Huius gratia omnes curas, solicitudines, & vigilias perferũt: nullũ vsq; ad extremũ spatium, tranquillum atq; otiosum spiritum ducũt: cæterarúmq; rerum, quas vulgus admiratur, obliti, nihil abiectum, nihil humile cogitant. Nec verò intermittunt aut admirationem eorum quæ ab antiquis sunt reperta, aut inuestigationem nouorum, quæ communi hominum vitæ honesta fore & vtilia censeant. Id quod ego licet minorum gentium homo, tum aliàs, tum verò maximè, proximis his mensibus verum esse comperi. Postquàm enim nuper laboribus, quos decem annos amplius in re medica iuuanda, vt meæ fuerunt vires, & quantum ab aliis professionis meæ negotiis licuit absolutis, conquiescere paululum, & veluti genium meum recolligere statuissem: ecce protinus noua animum meum cura subiit, iugiter extimulans, vt quæ ex Galeni operibus reliqua essent græca, nec medicis meis communicata, ceu coronidem aliis adiicerẽ: ne quicq̃ eis ad artis absolutionẽ desit. Quam rem & honestam & gloriosam mihi arbitratus (siquidem de hominibus bene mereri etiam diuinum quid esse censent Philosophi) libenter vel temporis aliquo meo dispẽdio suscepi, ac paucis sanè diebus leuiori opera confeci. Sunt diuersa Galeni cõmentaria, studiosis medicinæ non tantùm vtilia, sed planè etiã ad eius disciplinæ consummationem necessaria: quemadmodum omnes qui aliquid de literis iudicare possunt, arbitrantur. Iam historiæ, quibus gesta sua & aliorum medicorum, qui tunc Romæ agebant, exponit, quãtum voluptatis lectori non omnino stupido sint allaturæ, non facilè dixero. Quicquid est laboris, quem in latinis illis faciundis suscepimus, vir clarissime, tuo nomini consecrare visum est: cũ aliis de causis, tum autem maximè, quòd omnium literarum, earúmque studiosorum magnus sis & amator & patronus. deinde si doctrinam quæro, doctissimus inter tuæ gentis nobiles occurris: si nobilitatẽ, inter doctos nobilissimus. Id quod testatur antiquissima illa tua familia, ab VNDERICH: ex qua tanq̃ equo Troiano, strenui atq; excellẽti natura viri prodierũt. Quid enim vnq̃ in celeberrima Metensium vrbe clarius, nobilius, melius extitit patre tuo ornatissimo Domino Nicolao ab Vnderich? qui tanta prudẽtia rempublicã moderatus est, vt eo viuo nihil incommodi, commodi multum senserit: quẽ omnes magni, propter grauitatem & constantiam, sunt reueriti: omnes inferiores, ob incredibilem naturæ clementiam & benignitatem, amarunt: atque ita amarunt, vt hunc vnum patrem patriæ appellarent. nec immerito, quum in periculosissimis reipublicæ temporibus, ciuium libertatem generose sit tutatus: in grauissima annonæ caritate, tenuiorum fortunam iuuerit, pauperes omnes à fame liberarit, idq; sumptu quotidiano, & non paruo rei familiaris dispendio. Verùm sciebat vir optimus nihil vnquã liberis


suis ornatissimis defuturum, si eius vitam & mores imitarentur. Nec certè *iudicio suo falsus est, qui te talem filium velut alterum ipsum, omni virtutum genere cumulatissimum reliquerit: cuius consilio & prudentia in rebus grauissimis non solùm Illustrissimus* Lotoringiæ *dux vtitur, verùm complures alii principes & heroes clarissimi. Hoc veræ nobilitatis argumentum est, & omnibus maiorum imaginibus alioquin antiquissimis præclarius existit.* Nec *satis habes te his animi dotibus excellere: sed etiam fratres tuos, veluti prudentissimus pater ille solebat, ad virtutes, ceu Mycenæus* Teucros, *incitas. Cuius rei fidem potissimùm facit optimæ spei iuuenis, frater tuus germanus* Martinus, *quem adeò iam præceptor eius* Nicolaus Albornius Iurisconsultus *doctissimus, tuis auspiciis doctrina & moribus optimis exornauit, vt quasi ipse exprimere te & imitari velle videatur. Quæ cùm ita sint, oro hoc munus grato animo & hilari suscipias: minùs fortassis, quàm pro dignitate tua, verùm non ingratum vt spero studiosis futurum: quæ spes si me non fallat, cõsecutus sum quod optaui. Quod autem ad partes meas attinet, non parũ molestiæ vitiatum exemplar mihi exhibuit, dũ integritati conor restituere: interim vitiatam dictionem corrigens, interim confusam distinguens: nunc vacua replens, nunc transposita in locum suum referens: sed cum iudicio, vt omnes qui mentis sunt participes, iudicabunt. Coactus sum aliquando in libello de optima secta, vocibus vti parùm latinis, quòd aliæ non extarent.* Sed *hæc communis est hodie interpretum infelicitas. His vale vir Clarissime. Lutetiæ, anno* M.D. XXXVI. *Mense Decembri.*

Index alphabeticus in margine annotatorum, cuius prior numerus, paginam: posterior, lineam indicat.

INDEX.

FINIS.

Lectori.



STATVERAM POST VARIA ILla Galeni opera ſuperioribus annis à me in lucem ædita, Candide Lector, ad aliud ſcribendi genus animum conferre, quantumcunq; mihi otij à profeſſionis meæ negotijs priuatis permitteretur. Verùm dum chartas meas diſcutio, inueni multa cũ Galeni, tum aliorum commentaria, quæ olim mihi obiter verteram: alia abſoluta, alia ad medium perducta, alia inchoata tantùm, ſed omnia craſſius vt ait ille, & pingui Minerua. Non enim tunc animus erat ædere. Ex quibus ſanè nonnulla alij poſtea emiſerunt: eóque factũ eſt, vt multo minus de illis ædendis cogitarem. Non enim libenter naſcenti cuiuſquam gloriæ atq; exiſtimationi vel obeſſe, vel inuidere poſſum: atque vtinam omnes hodie profeſſores, & qui literas tractant eo ſint animo, cogiténtque ſuos cuiq; fœtus eſſe chariſſimos. ſolẽt nanq; nõnulli diſſimulare ſe libros aliorũ multo antea publicatos vidiſſe nunquam, cũ tamen interim eadẽ vtantur phraſi, eiſdem penè verbis & periodis. Id quod nuper quoſdam in meis lucubrationibus feciſſe comperi. Porrò cum viderem ſtudioſos opera hæc quæ nunc ædo, vehementer deſiderare, non ſum grauatus recognoſcere obiter, & omnia ſimul in eorum gratiam emittere. At de ſanguinis miſſione opera quæcũque extant, etſi ab alijs nonnulla verſa fuerint, à me tamen prius, ſed non ædita, adiunxi, vt idem per omnia eſſet ſtylus & phraſis, quod Lectorem non mediocriter iuuat. Tectãdri verò tranſlationem in vno malui quàm meam ponere, quòd vir ille optimè ſe geſſiſſe in eo opere mihi viſus ſit. Nunc quod ad verſionem omniũ attinet, accipe. Exemplar græcum, quod vnicum in his laboribus contigit, plurimum mihi, vti aliàs, faceſſit negotij. In primo quod de tremote eſt, deſiderabatur pagina prima, linea trigeſimaoctaua, ὅταν φοβεῖ. Pagina octaua, linea decima, Platonis ſeries ex Timæo citata, aliter habet in Platone græco: quanquàm vtrobique lectio ſyncera non videatur. Sed facilius ex Platone intelligas. In ſequenti commẽtario, nempe de prænoſcendo, plura caſtigaui quàm hîc repeti debeant. In tertio de optima ſecta, pagina octogeſimaprima, linea vndecima habetur, ἢ γὰρ περιαιρουμένη κατακιρνῶμεν αὐτὴν, pro ἤτοι γὰρ ὑφαιροῦμεν, ἢ κατακιρνῶμεν αὐτὴν. id eſt, vel enĩ tollimus eam, vel contemperamus. Vſus quoque ſum in hoc libro dictionibus quãdoque parù m latinis, ſed ita res cogebat. Inuenies igitur pagina ſeptuageſimaſeptima, opportunitas morbi & remedij, pro eo quod græci καιρὸν vocãt. intellige igitur morbi tempus, & remedij occaſionem. Itẽ ſubſiſtentia pro ὑπόστασις, hoc eſt ſubſiſtens natura, & proprietas. In alijs opinor græca addita. Ex quibus commentarijs ſi fructum perceperis aliquem, percipies autem ſi animum aduertas, Guintetio benè precate. Vale feliciter.

ERRATA. PRIMVS NVMERVS PAGINAM, SECVNDVS LINEAM, *solus si quando inueniatur, præcedentis paginæ lineam indicat.*

1. 25. *affectus, vic.* 6. 10. *filiam.* 19. 30. *subdolo soph.* 19. 39. *nonnulla.* 25. 35. *Alexander statim subijciens prius.* 27. 7. *quid time.* 27. 10. *vt quantam famulus habere se repositam pecuniam ei diceret, hanc.* 28. 13. *aduenisse.* 30. 16. *cæterum & vt aluus subduceretur, cura habita est.* 54. 3. *quæ ex seipsis.* 4. *vero non ex.* 23. *nimirum igitur trad.* 24. *efficitur.* 35. *oportet.* 38. *constant.* 55. 17. *maius natura.* 57. 35. *ratio & abdi.* 57. 38. *præsentibus hoc erit impo.* 41. *quodam quod non.* 62. 20. *incommoditásque vsus in.* 64. 12. *inde quando sap. ibidem est, egressi sanè, hist.* 15. *commemorari* 17. *quòd neq;.* 18. *mandat.* 21. *ipso facere hist.* 25. *sicut vos eo quòd.* 69. 31. *intenduntur & remittuntur symp.* 73. 28. *oportet.* 38. *perceptis.* 75. 26. *iudicant.* 77. 26. *subsistentia diffe.* 32. *subsistentia.* 81. 32. *aut sublationem ind.* 82. 12. *dicere.* 19. *recipiunt.* 28. *fieri prohibent. Sed.* 85. 27. *quæ nunquam.* 89. 13. *madore.* 103. 28. *specto, neque post partum.* 105. 30. *adhibet vtraque rat.* 35. *secundo.* 106. 22. *eos.* 107. 11. *humorũ.* 112. 3. *de viribus vigentis ætat.* 15. *prohibeat, or.* 113. 1. *abundantia.* 120. 19. *occasionẽ.* 20. *numerus.* 122. 10. *vllo.* 127. 35. *videtur.* 41. *subministrant.* 128. 10. *quantum.* 12. *dicta.* 15. *at.* In *margine.* 131. 30. *balneum non con.* 133. 2. *etiamsi aliquando.* 135. 34. *sermonum.*

Claudij Galeni Pergameni de tremore, palpitatione, convulsione, et rigore liber, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Vandoquidem Praxagoras Nicarchi filius, cum in alijs medicinæ partibus præstantissimus, tum in naturalibus speculationibus peritissimus, nõ rectè mihi videtur de pulsu, palpitatione, conuulsione, & tremore sentire, vt qui omnia arteriarum esse affectus, differre autem inuicem magnitudine existimet, idcirco de omnibus ipsis cõmuniter hoc libro à me tractandum esse putaui: non vt Praxagoram in ijs, quibus errorẽ admittit, fallitúrq; redarguam (id enim Herophilus eius discipulus abundè factitauit) sed vt in quibus rectè ille sensit, ea, quæ desunt, adijciam.

De pulsu sanè, quid tandem sit, & quomodo fieri soleat, in opere de pulsibus ostensum est: & nunc tantũ dicetur, quantum ad præsentem disputationẽ vtile esse videbitur: de alijs autẽ hoc cõmentario sum tractaturus, inde sumpto initio.

Motus sensibiles in animantiũ corporibus, cũ sana sunt, duplices genere apparent. Ex arbitrio sanè, aut voluntate, ac impetu, aut quomodocũq; nominare velint nominũ quidẽ periti, rerum autẽ scientiã negligentes, qui neruorũ, musculorúmq; ministerio fiunt: atque has medici voluntarias actiones appellare solent. *Mot⁹ duplex in corpore.* *Mot⁹ arbitrarius.*

Alij verò motus in animãtium corporibus existunt, qui arteriarum & cordis officio obeuntur, quos vitales nũcupant. Ac aliud quoddam tertium motuũ genus in venis habetur, quod sensibus non percipitur. De quibus duobus in præsentiarum dicere opus non habeo: verùm qui musculis & neruis perficitur, per quẽ & manus, & crura mouemus, in tremoribus, cõuulsionibus, rigoribus morbidis, interim & in palpitationibus apparet. Omnes etenim eiusmodi affectus vitiati, motus sunt instrumentorũ eorundẽ, quibus arbitrarij sanorũ motus obeũtur. *Motus vitalis* *Mot⁹ in venis*

Tremor itaque facultatis, quæ corpus sustinet mouetque, infirmitate accidit. Non enim ex seipsis animantium particulæ tam graues fiunt, vt deorsum ferantur, quæ in omnẽ locum moueri soleant: verùm facultas, quæ per neruos musculis à principio transmittitur, veluti vehiculum quoddam, & motus ala ipsis est: quam cum prorsus perdiderint, perdunt autem resolutæ, deorsum feruntur, & auis, cui pennæ defluxerint, instar, concidunt. vnde nullus ita affectis motus relinquitur. Sin autẽ virtus quidem reliqua fuerit, sed pauca & imbecillis, vt neq; corporis partes satis sustẽtet, vehátq;, aut tanquam graue pondus aliquod ferre nequeat, necesse est partem ita dispositam, tremulam conspicari. Siquidem motus, qui ab imbecillibus, supra vires & violenti & ad necessitatem fiunt, tremuli existunt. Puto te subinde vidisse aliquẽ, qui graui pondere sublato incedere violenter conaretur, quàm cruribus intremisceret: quinetiã si manibus præter vires graue aliquid portare aggrediatur, manus habebit tremulas. Pari modo homo [cum timet expauescítq;] siue manibus quid facere, siue volet ingredi, manus quidem si his functionẽ obire aliquã audet, tremulas: crura autẽ, si conatur incedere, habe- *Tremor quid & eius causa.* *Facultas animalis quid præstet.* *Timor robur aufert.*

bit. Aufert enim nihilominus & timor viriū robur. quę vbi semel collapsę fuerint, & debilitatę, quiduis etiā multo leuissimū, graue censebitur. Quapropter & corpus animantis, quod prius erat leue, oneris modo ipsās aggrauat.

Senes tremuli cur.

Ex morbo tremor.

At senes simili modo ex imbecillitate vt plurimū tremuli sunt: pręterea, quibus ex morbo corporis robur laborauit, nec ijs quoq; citra tremores motus fiūt. Siquidem in omnibus, qui in hūc modū habent, vis particulas mouēs sustentānsq;, nunc debilitata, id quod prius attollere solebat, amplius nō potest, tanq̄ in motu vacillās. Vbi verò totus naturæ tenor remiserit, ibi corpora eo, quod leuet, destituta, suo pōdere deorsum feruntur, ac indidem manēt: quemadmodum in resolutionibus, quas paralyses græci appellant, si totas vires robur omnino destituit. Quantū autem ipsius reliquū est, id rursus vehere corpus conatur: verū neq; nūc, quantū vult, præ imbecillitate potest, sed modicè quidē leuat, magis autē deficit, imperfectū mutilū'q; hōc quoq; motū relinquēs: rursus igit. corporibus deorsum ferri cōcedit. Quod vbi cōtinuè fit, & deorsum tēdēs latio sursum vergentē excipit, eíq; rursus cōiungitur, duplex sanè & cōpositus totus fit motus, particulis loca semper per vices mutantibus. Nomen autem affectui est tremor, quo corpora deorsum pondere suo vergunt, rursus autem in altum à virtute attolluntur.

Cōpositꝰ motus, tremor.

Palpitatio quid.

Quin & palpitatio, qui palmos gręcè dicit, forsan dicet aliquis similiter atq; tremor motus est, quo partes palpitātes, citra voluntatē nostrā, nobísq; inuitis attollūtur & deorsum agūtur. quomodo igit. tremor à palpitatione differet? Hactenus sanè nihil inter se discrepare videt.: verūtamē discrimē intercedit. Neq; enim locū affectū eūdē esse palpitātibus, neq; causā, neq; accidēs esse dixero. quippe nemo, qui artus nō mouere instituerit, tremet: palpitātes autē particulę, etiā si in quiete fuerint, siq; nullū ipsis motū induxeris, palpitāt. Decipiūtur hīc quoq; multi, dū capita tremula cōspiciūt, nōnullis manū immobilē, & crus, vt visum fuerit, extēsum habētibus, deinde nihilo minus tremētibus. quos hāc sentētiā docere cōuenit, quę nō à me nūc primū dicit., sed etiā à multis veterū: nō quę moueri videtur, ea moueri sola pronūciātibus. multa siquidē citra motū esse videtur, vnū eundē'q; locū obtinētia, nihilo autē minus mouet.. Siquidē aues nō modò sursū & deorsum tēdētes, sed etiā si locū vnū in aëre occupēt, in motu tūc quoq; esse cēsebūtur. Nā si in eo loco mortuū auis corpus situ fuerit, facilè ad terrā decidet, pōdere suo inclinās. Vnde cōstat, & corpus, quod in eodē manet loco, motus cuiusdā auxilio, in sublimi cōstitisse, tāto vtiq; motu, quantū haberet, si solo pōdere deorsum ferretur. Quare quā immobilitatē esse putas, motus est ex duobus quibusdam cōpositus, qui corpus in cōtraria loca possunt abducere: quorū, si alterū sursum vergentē tollas, reliquū videbis ex facili corpus in locū inferiorē deducere. Hoc igitur & Hippocrates his verbis docet: Stare, vlceribus minimè cōducit: præsertim si crura infestet, neq; sedere, neq; obambulare, sed conquiescere & otio vacare cōfert.

Tremoris & palpitationis differentia.

Moueri quædā, quę nō videtur moueri.

Vlceribus motus noxij.

Stare & sedere motus.

Nā quietē & otiū tanq̄ profutura cōmēdat: stare autē & sedere minimè prodesse ait, vt quæ à cōquiescēdo sint diuersa. etenim & tūc musculi, qui gestant corpus & à terra attollūt erigūt'q;, intēsi sunt: iccirco stare nihilominus q̄ obābulare lassitudinē parit, vt quod & ipsum motus existat. Anima igitur, quę corpus & mouet, & erigit, ablata, statim, quod prius rectū erat, in terrā inclinare videbis. Quo cōstat etiā cū rectū erat, nō fuisse citra motū, sed fuisse aliquid, quod subleuaret, gestaret, attollerétq; ipsum. Ego itaq; ne decūbentē quidē hominē, si caput sublimius

habet,pedes autẽ humiliores,citra motũ omnino esse dixerim: sublabitur enim facilè ad pedes ex sublimiori in decliue vergẽs,nisi motu cõtrario huic renitatur. » Hęc sanè & Hippocrates asserebat: Si verò pręceps agit̃,& à lecto ad pedes dela » bitur,grauius periculũ minatur. nã ad pedes sublabi decũbentẽ,virtutis extremę imbecillis nota est firmissima. Stare etenim,aut sedere,aut surgere nõ posse,graue quidẽ,sed minus graue periculũ innuit:quippe multi ægrotãtiũ ad hæc deueniũt desinũt'q;,ad extremã nondũ imbecillitatẽ prolapsi. At decũbere nõ posse viuẽtis modo,sed hîc quoq; tanq̃ mortuũ & inanimatũ corpus deorsum ferri,extremũ malũ fatetur.quod Hippocrates in cõmẽtario de humoribus,ἔρριψιν,hoc est,viriũ deiectionẽ appellauit: quod interpretes libri non intelligẽtes,multa nugati sunt. Nã deiectũ esse instar corporis inanimati omni robore prorsus & soluto & perdito,ἔρριψιν vocauit: vt nõ idẽ sit deiectũ esse cũ eo,quod est decũbere,sed quã habet proportionẽ delabi cũ verbo decũbere.ita etiã in auibus diuersum quidẽ est, ad terrã deuolare,diuersum rursus in terrã decidere. etenim aliud affectus,aliud actio est.Similiter igitur his,actio quidẽ decubitus est,affectus autẽ prostratio deiectióq;.Sed quorsum hęc mihi dicuntur? eò nẽpe,vt illos,qui aut crus,aut manũ in altum sustulerũt,deinde ita,vt habẽt,seruẽt,ne immotos esse arbitreris,neq; si vnũ eundẽq; locũ semper q̃ maximè occupẽt.At si nolis ita dispositis motũ adesse,concedere, certè actionem ipsis omnino cõcedes,& duplicatum hoc simplicis actionis robur adesse. Nam in simplicibus vnum musculorum genus aut flectentium,aut intendentiũ artus,operatur.Cum verò extensos ipsos conseruas,vtraq; musculorum genera pari robore functionem obeunt. Quòd si huius memineris vera obseruans, quæ prius dicebantur,inuenies,nempe quòd ei,qui nullum motum aggreditur, tremor non obueniat:vt qui impotentis & infirmi motus sit accidens. Vnde cuiuis constat,corpus,cui moueri neutiquam licet,id neq; circa motum imbecille & impotens fore.

Iacere capite sublimi mot⁹.

In prognosticis

Delabi ad pedes qd signat

Delabi & decumbere quomodo differant.

Palpitatio autẽ etiã iis,quæ non mouentur,accidit.Etenim superciliũ,palpebræ & oculus subinde citra omnẽ voluntatẽ attolluntur. Vnde & hoc manifestò arbitror magnã habere vim,tum ad affectus naturæ cognitionẽ, tum ad exactam à trementibus discretionẽ. Siquidem quæ in palpitantibus particulis eleuationes, depressionésq; apparent,distentiones quædã sunt corporũ, quæ ceu replentur, & eorundẽ subsidentiæ quasi rursus inaniuntur. Quæ verò tremẽtibus accidũt, totius mẽbri motus est: qui interim deorsum quidẽ verget,rursus autẽ ad superiora fertur,sed nõ attollitur,neq; submittitur. Ea propter tota sanè pars tremit, quũ aliquid facere aggredimur,nullo eorũ,quę in ea habentur,manẽte immobili: sed similiter quidem musculi,similiter his atterię,nerui,venæ,ipsáq; ossa,& cutis nunc sursum,nũc deorsum ferũtur: palpitãt autẽ nõ omnia. Neruũ igitur aut os, aut cartilaginẽ,aut aliud quid huiusmodi,nunq̃ videas palpitare. nõ enim habet ventrẽ,quo vicissim distẽto & cõpresso,attolli quidẽ cũ distẽditur,collabi autẽ cũ deprimitur partibus liceat. Porrò musculorũ'ne sit affectus tãtum palpitatio,vt Herophilus opinabatur,an etiã cutis,aut arteriarũ,vt cẽsebat Praxagoras,id rursus considerabimus,siquidẽ ea speculatio ad loci affecti inquisitionẽ magis pertinet: in pręsentia autẽ tantillũ repetentes ad priora digrediemur,nẽpe q̃ palpitatio,distẽtio quędã sit,& subsidẽtia pręter naturã. Tremor autẽ motus pręter voluntatẽ partiũ,quo sursum & deorsum vicibus permutatis ferãtur. At idẽ nõ est

Palpitatio etiã non motis accidit.

Tremunt in parte omnia, palpitãt non omnia.

Eleuari, sursũ ferri: submitti deorsum ferri

neq; eleuari, cũ eo, quod est sursum ferri: neq; submitti comprimíq;, cũ eo, quod est deorsum vergere. Etenim quę sursum & deorsum priori loco relicto feruntur, in aliũ transeũt: quæ attollũtur autẽ & submittuntur, veterẽ sedẽ conseruantia, partim ambientẽ regionem occupãt, partim relinquũt. Quare moueri quidem vtrisq; cõmune, tũ quæ attollũtur submittũturq;: tũ quæ sursum, & deorsum feruntur. Peculiare autẽ, his sanè minorẽ locũ aut ampliorẽ occupare, ita vt veterẽ non deserãt: illis autẽ semper loca mutare, ita vt nunq̃ in eodẽ maneãt. Opus autẽ, opinor, erit hîc quoq; distinctione, vt in totũ sermo verus euadat. Subinde enim iã pluribus simul musculis, aut vno quodã insigni vehemẽter palpitãte, attollitur quidẽ membrũ vnà cũ ijs, quę distẽduntur: cõcidit autẽ rursus cũ ijs, quæ submittũtur cõtrahuntũrq;. Vnde inuitã eleuationẽ depressionémq; mẽbri, tremorẽ vocare nõ oportet, cũ videas manifestò musculos palpitãtes, à quibus mẽbrũ mouetur: ipséq; motus nõ qualis trementibus, apparet. Nã in ijs, qui mẽbrũ totũ in motu propter musculos palpitantes retinẽt, proprijs & sensilibus extremis vterq; motus circũscribitur. Trementiũ verò affectus talis nõ est, sed altero motu adhuc incipiẽte, vt ita dicã, cõtrariũ ipsi cõiungi deprehẽdes, vt ad superiora latio semper deorsum tendentẽ excipiat: hanc autem ab illa rursus continuè impediri, ita vt imperfecta quidem semper sursum latio, imperfecta quoq; deorsum inclinatio existat. Ac hæ sanè affectuum tibi notæ erũt, ac his accidentibus inuicem differunt. Reliquum est, vt locum affectum & causam consideremus.

Causæ palpitationum.

Palpitationum causam esse pronuncio spiritũ crassum & vaporosum, cui non sit transitus. Hunc autem colligi oportere dico in cõcauitate quadam non admodũ exigua, si pars collapsum sensibilẽ habitura est. atq; totum hoc summatim explicatum est. Cæterum ex demonstrationibus spiritalem substantiam esse, causæ adhuc propter motus celeritatẽ tribuere oportet. Quid enim tam facilè vel cõgregari, vel inaniri potest aliud, q̃ spiritus? Etenim quæ hominẽ constituũt, vt Hippocrates nos docebat, sunt solida, humida, & spiritus. Meminit autẽ ipsorũ his verbis, continentia appellans, contenta, & impetu ruentia. Continẽtia quidẽ solida nũcupans, vt quæ cõprehendant tegántq;: humida: cõtenta autẽ, humores, vt qui à solidis cõprehendantur: quæ impetu feruntur, spiritus. Siquidẽ in omnẽ corporis partem momento tẽporis, & facilè, & citra impedimentũ peruenĩut. Citam igitur vacuationẽ, aut repletionẽ, distentionẽ, aut subsidentiã, submissionem, aut elationem, aut alium quendam motũ, nullum ex omnibus præter spiritum effecerit. Quare & palpitationũ causa, substantia quidem spiritus: qualitas autẽ substãtiæ, humiditas est, & crassities, vt paulo antè dicebamus, cum crassum vaporosũmq; nominaremus. Si enim aërius foret, tenuis & purus, citra impedimentũ transiens, neq; repleret vnquã, neq; vacuaret partes: crassior autẽ q̃ meatus corporum exigant, in quibus colligitur, reclusus intus (si quidẽ concauitatẽ corpus obtinet) hanc replens, & excitat & distẽdit regionẽ circunfluã: sin minus, inter duo collectus corpora ab vno ad alterũ trãsit, ascititiũ sibi sinũ efficiẽs. Hic sanè modus secũdus dictus, etiã in cute subinde palpitationes excitat: nõ cute ipsa concauitatẽ quandam in se sortita, sed in spatio, quod cutẽ & corpora subiecta intercedit, spiritus tunc colligitur. Prior autem modus in musculis potissimũ accidit, in his enim cõcauitates & multæ sunt & exiguæ. Praxagoras pulsum arterijs attribuit, sicut nimirũ & palpitationẽ, tremorem & conuulsionem

Ex quibus cõstet homo.

Spiritus.

Praxagoręo pinio.

arteriarum affectus.ac pulsum sanè in naturali statu habere: palpitationem verò, tremorem & conuulsionē magnitudine inuicē differre, sed motus esse præter naturam. Quòd igitur non rectè sensit, solis arterijs palpitationē attribuens, haud difficile est deprehendere, quippe manifestò videre est frequenter & cutem palpitantem & musculos, cum nulla in loco sit arteria, vel si esse quandam contingat, ea sit admodum exigua. Vnde liceat manifestò alicui cognoscere, tantam distentionē non ex arteriæ magnitudine proficisci. Porrò num rectè nonnulli musculosis corporibus solis palpitationem attribuant, id mihi multo dignius consideratione videtur. Ego etenim etiam planè existimo arteriam manifestò non modo palpitans, sed etiam conuulsorium quid subinde repræsentantem inueniri, quemadmodum & alij musculorum periti fatentur.

Arterias palpitare.

Verum de hac disputatio prolixior est, & in libris de pulsibus comprehensa. Iam plerisque hominū non rarò palpitationes in sola cute euidenter fieri apparēt, cum vaporosus spiritus in aliqua ipsius particula generatus retinetur, & in transitu moratur: ita etiam si in musculis, aut alio quodam corpore spiritus flatulentus redundauerit, in illa palpitationē excitat.

In cute palpitatio.

Quoniam verò spiritus crassus, turbidus, aut caliginosus, aut flatulētus, aut quomodocunq; nominare velis, palpitationis causa efficitur: ideóque ætates frigidiores palpitationi obnoxiæ, natura coporis frigidior, regiones frigidæ, anni tempus hybernum, vita otiosa, repletioni & ebrietati dediti, cibi frigidi & flatulenti, & vt semel dicam, omnia, quæ corpus refrigerant.

Reliquæ causæ palpitationis.

quæ verò his contraria sunt, palpitationes statim tollunt. Nam calefacientia spiritus attenuant, & corpora reddunt rara molliáq;. Refrigerantia autē densant quidē, contrahunt, & corporum meatus cogunt conniuere: incrassant autē coarctántq;, & turbidum spiritū reddunt. Facilè igitur retinetur à perspiratu impeditus: tum sua ipsius crassitie, tum corporū, quę ipsum continēt, densitate.

Palpitationū remedia. Refrigerātiū virtus.

Calida rursus cōtrario refrigerantibus modo fundunt, laxant, corporū meatus aperiunt, ipsum spiritū attenuant, ad motúmq; facilè incitant, faciléq; ita transitus ipsi efficiunt.

Calidorū vis.

Quapropter etiā veteres medici palpitationū remedia adinuenere, quæ extenuare & calfacere possunt. cuiusmodi sunt, quæ cōstāt euphorbio, pyrethro, lemnesia, sulphure & pipere, aliáq; id genus composita: item inter aquas, quę è terra prosiliūt calidæ, atq; ex his potissimū nitrosæ, sulphuratæ, & bituminosæ, easq; cōmendāt. Vtūtur autē & marina calfaciētes ipsam, & muria, si marina desit. Iā potui exhibēt medicamēta calida, præsertim ex castorio cōfecta. hoc sanè etiā extrinsecus impositū, nō modò epotū, generosum est medicamentū, vt quod calefacere simul & extenuare, siccaréq; abūdè possit.

Palpitationū remedia extenuantia & calida.

Palpitationis sanè cuiuslibet ex frigido generatio est: tremoris autē neq; vna occasio, neq; causa frigida est, verùm dispositio, facultatis, quæ corpus mouet, imbecillitas.

Palpitationis generatio ex frigido.

Huius autem causæ, quæ huc corpus perducere potest, non vna species est, sed vel alimenti inopia, quēadmodum in cholera, valido alui profluuio, largo sanguinis fluore, aut magno ieiunio: vel vitali robore soluto, quemadmodum in stomachicis, & cardiacis deliquijs: vel violēto & valido frigore occupāte: aut plenitudine ipsa, pōderis modò degrauante, imbecilla ad motus efficitur.

Tremoris causæ multæ.

Imbecillitatis multę causæ.

Vnde neq; vna remediorum species tremētibus, quēadmodū palpitātibus, adhiberi potest. Verū si à perfrictione tremorē experiantur, calidū ipsis præsidio est. Nam qui per hyemē iter faciētes, deinde valido frigore correpti, semimortui & tremuli reperiūtur, facillimè ab

Varia remedia tremoris.

affectu liberati sunt, caloris adhibiti beneficio. Similiter his medemur, & illis qui per refrigerãtes febriũ insultus & rigẽt & tremũt. At si per sudorẽ digesti fiant tremuli, vt in deliquijs cardiacis & stomachicis, calefacere hos extremũ malũ est. Quippe contrariũ in his cõuenit, nẽpe cutẽ densare, quæ refrigerãt, & astringunt, coarctãntq; meatus, adhibẽtes: nõ quæ calefaciũt, laxant & adaperiunt. Quòd si penuria alimẽti, vt in longis ieiunijs, aut immoderatis vacuationibus tremores oboriantur, hoc ne verbis quidẽ indiget. Cuiuis enim cõstat, alimentũ hos desiderare. Qui autem viribus humorũ copia grauatis tremunt, his vacuationes remedio sunt: quemadmodũ & Hippocrates alibi docet his verbis: Estymargei ancillæ, cui neq; sanguis fluxerat, postquam filiũ peperisset, os autẽ vuluæ auersum erat, ac dolor in coxam & crus pertingebat, ex talo sanguis detractus profuit, etsi tremores totũ corpus occuparent. Sed ad causam veniendũ & causę occasionẽ. Mulieris meminit, quòd à partu celebri illa secundarũ puerperij purgatione, vacuata non esset: deinde tremor oboreretur. Hanc, inquit, sanaui sanguine ex talo detracto: etsi tremores totũ corpus occuparent. Quid iam aliud hîc obscurè subindicat, q̃ quòd alius sanguinẽ nõ misisset? Frigidũ enim affectum tremorẽ esse credidit, sanguinẽ verò calidũ. Non igitur ausus fuisset aliquis sanguinẽ vacuare in affectu, qui calefieri desiderat? Ego tamen, inquit, ausus sum: & rationẽ docet. Sed ad causam veniendũ est, & ad causæ occasionẽ. Id quod infestabat, inquit, & infestãtis causam noui. Quod igitur infestabat, sanguinis copia erat: causa ipsius, vuluæ ad coxas inclinatio, propter quã mulier purgata nõ erat. Sanguis igitur, quẽ vacuatũ esse oportebat, non inanitus, sed in corpore oberrãs, naturæ pondus erat. Vnde tremoris causam intelligens, sanguinis copiã: occasionem verò causæ, vuluæ affectũ: deinde copia quidẽ vacuationẽ indicante: parte autẽ affecta, locum, per quẽ vacuare conueniebat, ambo hęc coniungẽs, sanguinis detractionẽ ex talo molitus est: hanc quidẽ, quoniã sanguinẽ vacuare volebat: ex talo autẽ, quia vterus affligebatur. Quòd igitur sanguine abũdante venã incidere oportet, nemo nõ nouit, siquidẽ in venis ille cõtinetur. Quòd autẽ vtero affecto circa talũ, aut in poplite diuidere cõuenit, nisi prius venarũ cõmuniones ex Anatome didiceris, haud poteris id, quod dico, assequi. Alia enim alij corporis parti vena communicat, oportetq; vacuationes semper ex cõmunibus moliri. nã si venas, quæ nihil parti affectæ cõmunicãt, incideris, neq; affectę medeberis, & sanã semper offendes. Necessariũ igitur nunq̃ nõ videtur, vt is, qui rectè medebitur, causam, ex qua affectus oritur, cognoscat. Verũ de tremoris causa hęc sufficiũt. Locus autẽ affectus in tremoribus, vnus necessariò nõ est. atq; hoc loco carpẽdus mihi venit Praxagoras, & Herophilus: hic, q̃ tremorẽ in neruoso ipso genere semper cõstitui ostẽdere cõtẽdat: ille, q̃ arteriarũ affectũ, tremorẽ dixerit. Praxagoras igitur longè à vero abest: Herophilus autẽ deceptus est, qui virtutis affectũ, instrumẽtis attribuerit. Quòd etenim neruosum genus, nõ arteriosum motibus volũtarijs subministrat, rectè intellexit. Quoniã autem nõ idẽ neruorũ corpus, motus causa existit, sed hoc quidẽ instrumẽtũ, causa autẽ mouẽs, virtus, quæ per neruos dispẽsatur, hîc reprehẽdendus venit, qui virtutẽ & instrumentũ nõ distinxerit. Si enim distinxisset, statim vtiq;, cũ opus offendetur, nõ instrumentorũ modò, sed etiã facul-

Historię Hippocratis interpretatio.

Sãguis missio cum tremore ex sanguine collecto.

Methodus remedij inueniẽdi.

Vtero affecto vena circa talũ aut poplitẽ secanda.

Vacuationes ex cõmunib9 venis moliendæ.

Error Herophili.

tatũ affectus esse deprehẽdisset. In mortuis igitur nullos neq; nerui, neq; musculi affectus experti sunt, quos sentire ipsos & Herophilus & Praxagoras arbitrãtur: deseruit autẽ eos omnis motus protinus vnà cũ anima, cuius instrumẽta musculi sunt, & nerui. Nõ igitur musculi est, neq; nerui mouere, sed animę. Neq; enim tibiarũ opus est, sonus, qui ex eis perficitur: neq; citharæ sonus, qui hac præstatur: sed tibiæ cantus, opus quidẽ est tibicinis, per instrumenta tibiarũ effectũ: citharæ sonus, musici, instrumentũ verò cithara. Corrũpitur autẽ & tibiæ sonus, subinde quidẽ propter operũ artifices: interim propter instrumẽtorũ, quibus vtuntur, offensam. ita & motus in animãte arbitrarij, opifex quidẽ artifexq; facultas est, quę animal gubernat: instrumẽta autẽ, nerui & musculi. Itaq; nõ moueri, & abũdè moueri, aut ex instrumẽtorum affectu, aut facultate his instrumentis vtẽte, accidet. Palpitationes igitur, conuulsiones, & resolutiones, instrumentorũ læsiones sunt: tremores autẽ, facultatis imbecillæ affectus. Ac tremor sanè à palpitatione manifestò distinctus est, à rigore autem hoc pacto distinguas licet.

Mouere animæ est.

Palpitationes instrumẽtorũ offensæ.

Tremores facultatis affectus.

Prius considerandũ venit, quid sit rigor. etenim & hoc ex ijs, quæ admodũ sunt cognita, esse putaẽ, nihilo tamẽ minus difficile diiudicatu est: nõ hac modò ratione, ꝙ causam inuenire, vel dispositionẽ, quæ ex ea corpori obuenit, haud procliue sit: sed ante hæc adhuc in ipsa notionis descriptione errare mihi illi videntur. Rigorẽ enim, si quidẽ ita sermone absoluto, perfrictionẽ dixeris, vt nõnulli pronũciarũt, error manifestus est, cũ multi quidẽ validũ frigus sentiant, nõ tamen etiam rigent: imò nec si validã perfrictionẽ statuas, ne hoc quidẽ verũ est. Nã qui stomachico, aut cardiaco deliquio rigẽt, validè quidẽ algẽt, nõ autẽ rigorẽ experiũtur. Iam perfrictionẽ cum tremore, rigorẽ dicere (in quã sentẽtiam pleriq; medicorũ descendunt) occasionẽ habet deceptionis: nẽpe concussionẽ corporis, ac turbationẽ, quę vehementibus rigoribus cõiuncta est. Deprehenditur autẽ manifestò, ꝙ nõ omnibus rigentibus acciderit, solis autẽ ijs, qui vehemẽter rigent: neq; ijs, quibus accidit tremor, affectus obueniat, sed quædã veluti cõcussio & turbatio. Tremor etenim, vt demonstrauimus, nisi partem mouere voles, non accidet. Agitatio autẽ, quæ validos rigores comitatur, tã violenta & necessariò corporibus incidit, vt cõquiescere nõ liceat, etiã si strenuè admodũ renitaris. Ac tremor sanè vnius partis affectus, rigor autẽ totius corporis est. Vnde mihi & Platonem mirari subit, qui tremorẽ cũ rigore confundat. Si enim ij, qui rigorẽ interpretati sunt, tremorẽ cũ perfrictione, aberrarũt, quomodo ipse idẽ esse tremere & rigere existimãs, vera prædicauerit? Nã pręter ea, quæ diximus absurda, etiã hoc adhuc ei refragatur, ꝙ nonnulli tremãt, nullũ frigiditatis sensum experiũtes, nõ tamen fieri potest, vt quis citra perfrictionis opinionẽ rigeat: iccirco neq; illi, qui rigorem perfrictionis sensum esse dictitarunt, procul ab affectus notione abijsse videntur. Non enim idẽ sanè dixeris, perfrixisse & frigus sentire. Quæ verò resoluta sunt, torpida, difficili, aut prorsus nullo sensu prædita, omnia perfrixerunt. Item quod tremorẽ expertũ est, paraplexiã, epilepsiã, similiter & flatus, & aquã inter cutem, & inflationes, & œdema, totum frigidum est, sed nullum ex ijs frigiditatem percipit, vnde neq; riget: sin autẽ sentiat, protinus certè & rigebit. Propter hæc itaq; Platonem dico non rectè opinari idem esse rigorem & tremorem, cum neq; vnius sit partis affectus rigere, vt tremere: neq; sensus frigiditatis trementibus, vt rigentibus. Et motus in rigentibus sanè citra mouendi

Rigor.

Tremoris & rigoris differentia.

Tremor vnius partis affect⁹.

Rigor totius corporis.

Platonis error in rigore.

partes voluntatem, omnino inuitis est: in ttementibus, non citta mouendi arbitrium. Sed Platoni sanè aliquis forsan condonauerit, quòd in tam tenuibus & medicis rebus errorē admittat, cum aliorum affectuum corporis propè omniũ generationē exactè sit persecutus. Attaleum autem demirari par est. multo etenim Platone adhuc recentiot, nō in causæ rationibus modò Platonē sequitur, id enim tolerari poterat, sed etiam circa notionem similiter atq; ille confusus apparet. Neq; enim rigoris tremorísq; notionem distinxit, describénsq; rigorē in hunc modum ait: Pugnam concussionémq; hanc tremor comitatur, totus autem hic affectus frigidus, & causa efficiens idem nomen sortita est, vt inquit ille, & Plato affirmat. hic enim ipsam Platonis sententiam protulit. Habet autē vniuersa hunc in modum: Nam humorũ corporis partes grandiores, cũ in minorum sedes subire nequeant, expellunt eos, & nostram in corpore minimā humiditatem trudũt, aliam ab externo inæqualitet motam, neq; immobilē propter æquabilitatē & impulsionē efficiētes, coagulant. Quod autem præter naturā cogitur, secundum naturam ipsum sibi renititur, in'q; contrarium repellit. In hac pugna & conquassatione tremor rigórq; consistit: omnísque eiusmodi affectus, causáq; efficiēs frigida est, atq; hoc nomine appellatur. Quòd sanè neq; tremori idem est rigor, nec perfrictio simpliciter, imò neq; perfrictio valida, manifestò ostensum est: quod autem paulo superius dictum est, nempe perfrictionem esse sensibilem, discutiamus num falso prolatum sit. Nonnulli enim rigorem non sensibilem esse frigiditatem, sed molestam esse arbitrantur. siquidem multi etiā ex sanis frigere admodũ dicuntur, alij sponte refrigerij desiderio diutius in aqua frigida immorati: quidam etiā huius vsu in frigida diutius versantur, rigent autem non statim, quemadmodum nec qui lauit, deinde seipsum in frigidā coniecerit. neq; enim hic, nisi admodum diu immoretur, riget, etsi frigiditatis qualitatem manifestò sentiat. Quapropter, quantum ad frigiditatis sensum attinet, omnes hi statim rigerent, si rigor frigiditas esset sensibilis, sed non rigent merito, non enim est omnibus cum dolore frigiditas, sed nonnulli ipsorum, qui æstiuo tempore validum calotem non tolerantes in frigidam sese conijciunt, adeò frigiditate oblectantur, vt tandiu in ea morentur, donec tangenti tibi glaciei modo refrigerati esse videantur. An igitur totum iam habebimus, si rigorem dolorificam molestiam definiamus? an quid adhuc desideratur? Forte enim nonquilibet rigor ita finiendus venit. In ægrotantibus sanè non idem videtur rigere, cum eo, quod est horrere, aut algere. dicimus igitur subinde accessionis insultum, huic sanè cum rigore, alteri cum horrore, alij cum frigiditate sola oboriri: & in omniũ medicorum cōmētarijs idem vsus existit. Ita cum quis cum nulla concussione corporis & agitatione perfrigescit, nō hic riget, verùm si affectus rigor appellari debeat, inæqualem & præter voluntatē motum ei accedere oportet. quod sine hoc accidit, si ne cutē quidem inæqualiter commouet, perfrictionē nominant: sin autem hāc quidem perturbet, quatiátq; per quosdam insultus, corpus autē totum non commoueat, horrotē nominant: vt hic cutis solius affectus talis existat, qualis totius corporis rigòt. At in sanis alio modo rigere dicimus, nempe in omni dolorifica perfrictione: sin autē ratione morbi obueniat rigor, non satis est hoc tantùm dixisse, sed totius corporis concussionem apponere conuenit. Quod aliqui inducētes, perfrictionem cum tremore ipsum appellarũt,

Attalei error.

Frigus.

Horror.

Rigor.

manifestò autem non sunt interpretati: quippe tremorem nuncupare neutiquam oportet, sed agitationem quandam præter voluntatem, aut turbationẽ, aut concussionem, aut aliud id genus nomen, inuenire. nam tremoris vocabulũ de peculiari affectu enunciatur. Qui igitur morbidum rigorem diffiniunt, perfrictionem, alium nullũ dicere videntur, quàm eum, qui sanis accidit: etsi totum genus, de quo medici omnino dispután, etiam commemorati viri diffinire statuerint. morbidum autem vocamus, cum à nulla exteriori causa violẽta corpus, sed ex se talem obtinet dispositionem. Ita enim, puto, Hippocrates quoq; aiebat: Cum quis causone affligitur, si rigor superueniat, liberatur. Non igitur, aqua frigida febricitanti superfusa, rigorem excitabis, sed cum ex ipsa corporis dispositione suscitatur. In eundem modum & hæc sunt pronunciata: Cum rigore desipientia, malum testatur: item obliuio, malum. Rursus: Sexto die rigores difficile iudicium notant. iam rigores incipiunt mulieribus ex lumbis per spinam potius: sed & viris potius retro quàm antè. In omnibus his rigor non qui sanis accidit, sed qui morbidus explicatus est: qui nimirum est perfrictio dolorifica cum quadam inæquali totius corporis concussione, agitationéq;. Cũ igitur quid tandẽ rigor sit nouerimus, reliquum est, vt inspiciamus, quæ causa sit efficiens, quas potissimùm præcedentes causas comitetur, & quibus superueniat dispositionibus: ac de vniuersa ipsius generatione disputemus.

Morbidus rigor quis.

Quòd enim rigor natiui caloris affectus sit, omnibus ferè in confesso est. Requirit autem totus hic sermo auditorem diligentem, & qui plurimum mentis habeat. ego etenim natiui caloris affectum, rigorẽ esse dixi, ne quis externi dictum esse ratus, mentiri forsan me opinetur contra Erasistratum, Praxagoram, Philotimum, Asclepiadem, alióſque plurimos, qui calorẽ non insitum, sed ascititium esse censent. Quomodò enim hi natiui caloris affectum dixerint, qui prorsus natiuum calorem ignorarunt? Verùm genuinum sanè, vt diximus, non omnes calorem esse fatentur: generationem autem ei ascititiã moliẽtes, variè alius aliam. Vnum hoc omnes concedunt, esse aliquod secundum naturam in vnoquoq; animante calidum in conuenienti mensura æstimatum: ac circa hoc rigorem, horrorem, omnémq; perfrictionem fieri aiunt. Asclepiades igitur, cum non modò calidum, sed ne aliam quidem vllam vim insitam statuisset, omnem febrim propter quasdam corpusculorum in meatibus obstructiones, semper constitui dictitat: in magnitudine autem meatuum differentiã ipsius ponens, molitur ita ostẽdere, quibusdam sanè necessariò cōiunctum esse rigorẽ, quibusdam non. Ac ego nisi longiorem, quàm par est, sermonem fore sperarem, & præcipuè iniquũ censerem de Asclepiade quidẽ solo agere, aliorũ verò dicta omittere: aut rursus omnium mentionẽ facere aggrediens, in longam ac infinitã sermonis proxilitatẽ incidere me timerẽ, deinceps vtique de omnibus opinionibus contẽplatus, vnde vnaquæque probabilis occasionem haberet, quid potissimùm eis imponeret, vbi aberrarent cum ostendissem, ita ad nostram descenderẽ opinionẽ. Verùm hoc in aliud tempus differatur. neq; enim Athenæum laudo, qui de Asclepiade, Heraclide Pontico, Stratone Physico, aliquid dicat, nullius autem aliorũ meminerit: etsi non modò horũ opiniones de rigore, sed alias multo plures nihilo minus celebres & probabiles, explicare potuisset. Nos igitur initio hoc sumpto, quod omnibus in confesso est, nempe rigorem affectum esse caloris in vnoquoque ani-

Causa rigoris

Natiui caloris affectus.

Asclepiades nullã vim insitam admisit.

Calor natiuus ſemper in motu.
Calor natiuus eſt natura & anima.
Motus caloris.

mante natiui, videamus quomodo oriatur. Procedet autem diſputatio ex Hippocratis principijs, non autem corpuſcula & meatus ſtatuemus corporis noſtri elementa: neque calorem, motus, aut attritus, aut alterius cuiuſdam cauſæ ſobolem pronunciemus, ſed corpus quidem totum conſpirabile & confluxile cenſemus, calorem autem non acquiſitum, neque animalis generatione poſteriorē, verùm ipſum primum, primogenitū, & inſitum. ac natura, & anima nihil aliud quàm hic exiſtit. Quare ſi ſubſtātiam per ſe mobilem, & ſemper mobilē ipſum intelligas, haud errabis: ſingula autem hæc ſeorſim indagemus, etſi de ipſis alibi diſcere liceat: in præſentia autem ſermonis cōtinuitas examinanda eſt. Nam calor inſitus ceu ſemper mobilis, neque intrò ſolum, neq; extrà fertur, ſed alterū ipſius motum alter ſemper excipit. Celeriter enim, ſi intus calor maneret, in immobilitatem ceſſaret: ſi foras efferretur, & hīc motus diſſiparet ipſum, atque hac ratione perderet: modicè autē extinctus & modicè accenſus, vt Heraclitus aiebat, ſemper mobilis ita perſeuerat. Incēditur igitur, quū ad ima inclinat, alimenti appetens: ab intimis elatus, & vndequaque diſperſus, extinguitur. Verùm ad ſuperiora exterioráq; lationem, & vt ita dicam, à ſuo principio explicationem, quòd natura calidus ſit, experitur: intrò autē fertur & deorſum, hoc eſt, ad proprium principium viam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps eſt: quippe ex calido & frigido temperatus. Prima ſanè calidi ratione, ſua ſponte mouetur, atque hoc potiſſimùm ad actiones indiget: magnū tamen ipſi vſum & frigidum exhibet. ſolet enim calidum in ſublime attolli ac cum eo alimentum adducere. ſi autem frigidum non obſtaret, etiam longiſſimè procederet. Fit autē frigidum huiuſmodi caloris motui impedimento, ne diſperſus aboleatur: quippe periculum eſt, ne ipſe præ leuitate & impetu ſurſum à corporibus diſcedat: ſed frigidum retinet, impedítque, & vehementiam nimij huius motus tollit. Redeamus igitur ad ſuperius inſtitutū, oſtendentes qualiſnā natiui caloris affectus ſit rigor.

Notatu digna.

Calor natiuus calidi & frigidi particeps.

Sanitas.

Cum calidum in calore natiuo præpollet, qui morbi

Quòd etenim vbi in naturalibus temperamēti terminis manet animal, ſanitate fruitur, verbis non indiget: hoc eſt, cùm vt Hippocrates aiebat, calidum & frigidum mutuo inter ſe temperamento mediocriter habent. ſin autem alterū altero ſit fortius, animal ægrotare neceſſe eſt, ea morbi ſpecie, quæ cauſæ ſuperantis naturæ reſpōdeat. Inflāmationes igitur, ereſypelata, herpetes, carbunculi, affectus teſtātes feruorē æſtūmq; igneū, ac omnes febriles, cū vis calidi euicerit. Contrà, conuulſiones, tetani, palpitationes, ſtupores, reſolutiones, epilepſiæ, & paraplegiæ, frigidi ſuperantis affectus. Ex huiuſmodi vitijs vnum eſt & rigor hic, non ſimpliciter perfrictio exiſtens, ſed conſenſus. vnde adijciendum ei eſt, ſubita ac vniuerſim facta. Præterea vehemētem perfrictionem & violentā eſſe oportet, vt ex manifeſta diſtinctione vera colligas, rigorem inſiti caloris perfrictionē eſſe ſu- » bitā & violētam. Rurſus enim, vt Plato dixit, quod ſenſim & paulatim fit, inſen- » ſibile: quod autē ſenſile, neceſſe eſt hoc vehementer moueri, & tremere ſubito. Quare perfrictio quidem inſenſilis, longiori tēporis ſpatio & paulatim accidit: cita autem & emergēs admodum, cum ſenſu prorſus contingit. neq; enim huiuſmodi affectus latere poterit. Iam talis affectus cum frigiditatis ſenſu nō omnis dolorem adfert, ſed interim etiam voluptatem, ex Platonis nimirum teſti- » monio, cuius verba ita habent: Affectus præter naturam, & violentus, ſubito » accidens, dolorificus eſt in nobis: quod autem ad naturam redit ſubito, ſuaue

est. Quare, subito, vtriq; & suaui & dolorifico commune est, necessario, ne affectus lateat, coniunctum. In hoc autem, quòd non latet in naturalē statum reducere, suaue est: quòd autem extra naturalem statum eduxit, dolorificum. Vnde vnum & idem numero frigidum, partim oblectat, partim dolorem infert. Si quidem corpori præter modū calfacto admoueatur, omnino oblectat: nam immoderato calore laborans ob deficientis frigidi ingressum mitigatum, oblectatur quidem cū mitigatur: suā autem naturā obtinēs, si subito refrigeres, dolore afficies: nam ob tēperamēti immoderationē laborabit. Siquidē, vt ait Hippocrates, iis, quæ secundū naturam habent, vbi alterantur, corrūpunturq;, dolores accidunt. Nō solūm igitur subitā & vehemētem frigiditatem esse oportet, vt rigor oboriatur, sed adijciendū huic adhuc est violentiā copiæ, hoc est præter naturā statum: vt rigor sit, subita perfrictio in statum præter naturā perducens. Atque hoc mihi obseruandum in hoc sermone videtur: præsertim si de affectus generatione vera quis pronunciaturus est, vbi dixerit in rigore subitā violentámque natiui caloris perfrictionem fieri. Refrigeratur itaque etiā, cum dissipatur, robore, quod continet ipsum, destituente: item alimēti, à quo accēdebatur, penuria. sed neuter horum affectuū rigorem efficit, aut omnes, qui moriuntur, rigerent. Quapropter corrumpi calidum, vt ita dicam, omnibus morientibus commune est, attamen non rigor. Non enim absoluto sermone calidum refrigerari oportere assero, sed & subito & violenter, hoc est robustum ipsum perseuerans, neq; substantia, neque virtute læsum ab exteriorum causarum aliqua molestari. Considerato mihi flammā extrinsecus, interim materiæ, vnde accendebatur, defectū interire: interim in sole splendido contabescere ac emori: rursus ab aqua multa extingui, aut lignorum super eam cumulatim iniectorum copia suffocari. quatuor hæc accidētia quatuor de causis, non eodem omnia modo, flammā afficiūt. Eius enim, quæ in sole contabescit, robur, dissipatur, aëris nos ambientis violentia discussum: nam radiorum solis robur igne fortius est, & durabilius. Cū verò materiæ defectu non amplius accēditur, substantia deperdita, interit. Quod enim accensum est, semper in motu ad exteriora discutitur dissipatúrque: intrò autē inclinās alimenti accipiendi gratia, deinde eo destituta, imbecilliter adeò secunda vice porrigitur: materiæ autē copia grauata & respiratione destituta, strāgulatur. De noxa autem, quę ab aqua prouenit, manifestius est, q̄ vt verbis indigeat. Pugna enim valida flāmæ est aduersus omnē & syncerā & multā humiditatē, vt si & oleum ipsi cumulatū exhibeas, necessūm est strepitum & concussionē quandam oboriri, igne propemodū voce violentiam fatente. Talem sanè affectū in caliditate insita, rigorē intelligito. Neq; enim cum materiæ inopia calidum laborans, nec alimentū sentiens contabescit, nec cum à copia ipsius grauatū, nec cum imbecille labascit, rigorē fieri deprehendes: sed cū validus existit adeò, vt expandi possit, deinde prohibetur. Propter hoc ipsum etiā agitari corpus accidit, duplici hîc quoq; & cōposito motu oborto, vt in trementibus, sed diuersa ratione. Illic etenim facultatis corpus mouentis imbecillitate, mixtus motus ortus est, prout robur remiserit, membrum erigens, parte semper deorsum sublabente. Nunc autē naturali caloris motu vi impedito, rigor occurrit. Cupit etenim tanquā nec substantia, nec robore oblæsus tum expandi, tum in omnes corporis partes distribui: prohibitus autē, & vi in altum repulsus, ad proprium

Quo modo rigor accidat in febribus.

principium refugit. Cum autẽ indidem manere nequeat (nam substantiæ semper mobili, loco consistere, mors est,) sese colligens & veluti in vnum congregans, æquabiliter sanè non intrò libero motu protenditur: sed vehementi latione vtẽs, & veluti à carcere exiliens, nõnunq̃ insurgit motu aduersus ea, quæ transitum ipsius occupát: illa sanè propellere, vias autẽ puras reddere cõtendẽs. At cũ in ea impingit, à latione sanè impetuosã cohibetur, totũ autẽ corpus, cum incidit, perturbat. Nam præter alia etiã vaporosus nunc redditus, dum illiditur in ea, quæ obsistunt, intrò rursus resilit, ceu ictu repercussus, ac iterũ ad principium reuertitur: inde rursus erũpens, incidit violẽtius, iterũmque resilit, etiã in hoc illapsu: idq; frequenter per successionẽ fit, quandiu noxia perseuerant. Hac itaque ratione affectus dolorificus, tanquã corpore ictibus laboráte, & motus inæqualiter inuadit, & in vtroque motu animal riget. Nam cum in naturali statu erat, connatus noster calor æqualibus & liberis transituũ vijs vtebatur, tẽpore & mẽsura motus in se inclinans, deinde se explicans: cum autẽ riget, neque inclinationes, neq; explicationes, motus existunt. Iustius autẽ dixeris ipsum intrò quidem proficiscentẽ (vtar autẽ non meis, sed veterum virorũ vocabulis) resilire, impelli, reprimi, & cõcurrere: foras autẽ tendentẽ, erumpere, excuti, exilire, & elabi. Etenim & hæ vetustiorum hominũ dictiones, omnes probè prolatæ sunt, & affectum accidentẽ, q̃ licet maximè, manifestò interpretantes. Agitari autem dico omnia in corpore, & concuti, turbariq;: ac omnis in rigore motus inæqualis, inordinatus, citra voluntatẽ eueniens, ob inæqualẽ, validum, & violentũ illapsum inuasionémq;, & repulsum caloris insiti, vaporosi redditi, perficitur. iccirco corpus post rigores amplius recalescit, quàm cum in naturali statu calidũerat. Iam effunduntur etiã sudores. cũ enim per multos insultus noxia liberè propulerit, & absolutè respirauerit, tribus de causis corpus incalescere necesse est. Primũ, q̃ frequẽter calor à perspiratu exteriori repressus in alto colligitur: deinde, q̃ nunc totus foras vehementer expansus est: postremò, quòd caliditas insultu, ictu, violentóq; motu accendi soleat. Ac lignũ, aut lapidem atterens, confricánsq; nonnunquam ignẽ accendes: at insitus spiritus, cum natura sit calidus, si vehementer moueatur, non multo magis accendetur. Sed hoc in naturalibus motibus euidenter videre licet. Nam currẽtes, luctantes, confricantésq;, ac alio quodam modo se mouẽtes, nihilo minus incalescunt, q̃ si quis in sole æstiuo, & apud ignem incaluerit. Subinde accidit etiam in huiusmodi ex alto reditu, calorẽ ceu feruidũ, aliquid humorum confestim effundere: quẽ sanè sudorẽ appellamus. Quocirca post rigorẽ, refrigeratum non recalfieri iterum, malum est, nam calor inter pugnandũ victus est. Vincitur autẽ, nũc causæ offendentis robore, nunc cum ipse

Corpus incalescit post rigorem.

Sudor quid.

» est imbecillior. Sic itaq; & illud dictũ est: Ex rigore mutus non recalescẽs, malũ.
» Rursus, dispositiones vtrasq;, ob quas rigores fiunt, exitiales docens, inquit: Post
» oculorũ peruersionẽ in febri laboriosa rigor superueniens mortẽ fatetur. Hic sanè rigor validę causę soboles est: alius autẽ propter virtutis imbecillitatẽ, lethalis,
» Si rigor inciderit febri non intermittẽte, ægro iam imbecilli, exitialis. Verùm de his alibi vberius dicitur: in præsentia verò considerandum venit, num omnes ferè rigorẽ frigidæ causę meritò attribuãt. Quòd enim frigidus affectus sit, cuius constat: an autẽ & causa ipsius efficiens talis existat, inspectione mihi dignum videtur, Tertianæ igitur exquisitę, si quid aliud, certè rigor nota est. nam accessio-

Tertianæ exquisitæ rigor.

nes vnà cum vehementibus rigoribus inuadunt, etsi febrim hanc nemo vel insanus ex frigido constitui humore dixerit. Causos enim est genere, tantò altero causo continente inferior, quanto calor febris & flammeus & perurens deficit. Sitis autẽ indelebilis, & refrigerij desiderium, bilis meræ vomitus, & quòd post hunc æger melius habet, quomodo non sunt omnia manifestò ob calorẽ redundantẽ? Quomodo igitur rigẽt in tertianis, quomodo in causis, hoc est ardẽtibus febribus continuis, si non intermittentes, sed perpetuò vrẽtes affligunt, rigor superuenit, & febrim per crisim soluit? Ei enim, qui causo affligitur, ait Hippocrates, si rigor superuenerit, morbus soluitur. Imò acre & calidum medicamentum vlceri admotum, primùm sanè dolorem infert: mox horrorẽ, deinde rigorem excitat. Ac multos nouimus tum riguisse, tum febricitasse, ob vlcera ab acribus medicamẽtis irritata. Iam & inflammatione, cum in abscessum mutatur, rigorẽ horrorémq; comitari necesse est. Multarũ verò & aliarũ dispositionũ mẽtionẽ facerẽ, in quibus rigor ob acrem potius q̃ frigidum humorẽ clarè cõstituitur, nisi sermonis prolixitatẽ vitarẽ. Ne igitur frigido soli cõpulsi rigorẽ tribuamus: quoniã & horrendum aliquid auditu & spectatu, nõnunquam & rigorẽ, & horrorẽ facit. Hoc sanè & Plato, nõ tantùm Hippocrates, edocuit. Cum igitur de morbis, qui ob flauam bilem fiunt dissereret, rigoris etiam meminit: vnde tum aliorum multorum gratia, mirari subit medicos post illum longè natos, tum in sermonibus de rigore maximẽ. Quomodo enim non graue est, si Plato non medicus nouit etiam ex bili nonnunq̃ fieri rigorẽ, causámq; inuenire studuit: hi autem tantũ ab huius cognitione omnino absunt, vt ne ex bile quidẽ & acri quodam humore, excitari rigorem sciant. Sed fieri non potest, vt causam inuenias, quomodo ob acrem calidúmq; humorem frigidus affectus constituatur. forsan autẽ inueniri potest, siquidem & Plato inuenit. Multò igitur satius erat, si reuera inueniri nequit, nõ adhortari, vt rem quis aggrediatur euidenter apparẽtem, sed causę ignorantiã fateri: tollere autem id, quod apparet, simile est ac si fatearis ne videre quidẽ nos, eo φ ignoremus quomodo videamus. Quòd igitur nihilo minus ob acrẽ & calidum humorẽ q̃ frigidũ & congelantẽ rigor excitatur, lõgè verissimũ est. Deinde inspiciẽdum est, nũ frigidũ aut acre simpliciter abũdare oporteat, vt rigorẽ possit excitare: postea autem illud multis incertũ diffiniemus. neq; enim simpliciter frigido humore redũdãti, neq; simpliciter acri, rigor oritur. De frigido sanè superius manifestò ostendi, cum in memoriã reuocarẽ omne, quod œdema repræsentat, torporẽ, paralysin, & aquã subter cutẽ. De calido autem & acri, nunc tibi indicabo. Nam malis humoribus præditi (κακόχυμοι dicuntur) arquati, & febricitantes acutè, causóq; occupati, omnes rigerẽt. Neq; igitur simpliciter, aut frigidum humorẽ, aut acrem ad rigoris generationem abundare conuenit: sed peculiarem vtriq; ipsorum modum esse oportet. Erit autẽ modus (neque enim totum sermone persequi veri studiosis detrectandum est) aut copiæ mensura, aut humoris qualitas, aut locus aliquis corporis, in quo hũc colligi oportet. Erit autem in eo, quod loco manet, aut mouetur, & in motus modo, haud parua differentia. Ad has igitur ipsas Plato quoq; respiciens, dicebat: Cum fibræ sanguinis hanc sanè vim habeant, bilis naturâ vetus sanguis facta, ac rursus ex carnibus in hunc liquata, calida & humida paulatim primùm incidens, propter fibrarum facultatem congelatur: congelascens autẽ & vi restincta, algorem tremo-

Rigor causo superueniẽs.

Rigor ex acri medicamẽto vlceri adhibito.

Horrendũ auditu & spectatu rigorẽ excitat.

Non frigidus aut acris humor simpliciter rigorem efficit.

„ rémq; intus parit: copiosior autem influens, caliditate quæ ab ea venerat, fibras „ exuperãs, pręterq; modum exæstuans, conseruat. In his Plato omnia conatus est persequi, quæ in omnibus affectus generibus scire cõuenit. Nam speciem humoris dixit, bilem ipsum nominans. Indicauit & qualitatem, calidam & humidam appellans, vnde etiam huiusmodi bilis exoritur. nam ex carne liquescẽte ipsam fieri protulit. Iam & locum, in quẽ fluit, adiecit, ex eo, quòd indicat bilem influẽtem à fibris in sanguine contentis, concrescere. Huic orationi etiam affectus generatio adiuncta est, vbi algorẽ tremorémq; fieri pronunciauit. algorẽ sanè nominans, frigiditatis in rigoribus sensum: tremorem autem, inæqualem concussionem & agitationem. In qua non hunc modò, sed etiam medicorum plerosque hallucinatos dicimus. Nos enim superius motum in tremore obortum, ab eo, qui in rigore accidit, distinximus. Cum igitur ait, copiosior influens fibras euicerit, corpus excalfacit, ad suã ipsius vim fibras transmutans vice versa, vt ipsa ptius ab illis mutabatur. De veritate igitur corũ, quæ Plato dixit, cõsiderare propositum nunc non est, cum in alijs commentatijs simus tractaturi, sententiámque laturi de ijs, quæ in Timæo memoriæ mandauit. Quòd autem nihil omisit eorum, quæ dici conueniebat ab illis, qui de rigore pronunciant, id iam ex verbis ipsius apparet. Etenim humorem dixit, à quo rigor nascitur, & locum, in quem fluit, motúsque speciem: præterea modum, quo refrigeratur, & rursus incalescit corpus. Itaque de Platonis opinione in expositione eorũ, quæ in Timæo prodidit, secundum artem medicam examinabimus. Nunc autem nostram proferimus sententiam, accommodantes ea, quæ ex Hippocratis opinione paulo antè comprehensa sunt. Etenim calidorum medicaminum applicationibus nonnunquã solus horror, sæpe & rigor superuenit: quemadmodum in ardentibus, quas causos appellant, & tertianis febribus: cum flaua bilis nõ in vasorum conceptaculis, sed per carnes mouetur: vel quòd copiosior hîc humor in ipsis creatus sit, vel quòd per ipsas à natura expurgetur. Hac enim ipsa ratione sola, ardentes febres à tertianis differũt. Etenim ardentes, in vasis bilem habent: tertianis extra vasa, per sensilia corpora fertur, nam dum per ipsas rapitur, acrimonia offendens dolorem excitat. Contingit igitur interea duo quædam fieri, inclinare nempe in corporis altum, sanguinem, atque ideo exteriora eius refrigerari: particulas autẽ ipsas corporis, in quibus bilis consistit, vnamquanq; ipsam à se ad vicinã excretrice alienorũ facultate propellere, vsq; dũ ex omnibus abacta, per sudores, aut vomitus, aut etiam per aluum fuerit excreta. Hoc autẽ & cruditate laborantibus, aut vitioso humore plenis, aut in solem æstiuum, aut balneum descendentibus, aut exercitatis accidit. horrore itaque nonnulli ipsorum statim corripiuntur, & rigent. Conuenit autem non modò causam quandam in nobis esse mordacem, sed etiam vehementer agitatam, si factura est rigorẽ. Ac communi hoc vtrique causarum generi accidit, & quæ frigidæ, & quæ calidæ facultatibus existũt, nẽpe vt corpus dolorificè moueant. Ideóq; in quartanis febribus & tertianis rigor simul inuadit, etsi ab humoribus cõtrarijs facultate constituãtur. frigidus etenim melãcholicus humor, calidus autẽ flauæ bilis. Nõ absolutè autẽ abũdare ipsos dixi oportere, qui aut rigorẽ, aut horrorẽ sunt facturi, sed etiã motu vehementiori per corpora sensibilia ferri. Quo autẽ tẽpore sanguis, & cum eo etiã nimirũ caliditas in altũ corporis & viscera refugit, cutis particulæ,

Ardentes febres causi, quomodo à tertianis differant.

Extrema frigent quare in febribus.

crurum manuũmq; extrema, frigida & exanguia reddũtur, eò quòd plurimùm à visceribus absunt. Si igitur in alto calorem insitũ extingui contigerit, vel suffocatum, inde quòd foras non transpiret, vel à frigidis causis euictum, animal emoritur. Sin autem in altum quidem refugiat, causis autem lædentibus collectus resistat, in hoc veluti instrumentum efficitur facultatis alienorũ expultricis, quæ in omni corporis particula consistit. Ipsa enim iam per se noxia expellere nata; multo id magis efficit caloris ex alto emergentis subsidio; qui simul ea, robore lationis, in quodcunq; procliuius ei fuerit, eijcit. Subinde igitur noxia per cutem excutit, subinde per vomitus & ventrẽ inferiorem.

Ex frigida pituita rigor

Cæterùm nõ modò ex flaua aut nigra bile rigor, sed etiã ob frigidam admodum pituitã fieri solet. Vocat autem hunc humorem Praxagoras ὑαλώδη, hoc est vitreum. verùm talis rigor neq; vehemens est, etsi diebus nõnunquam pluſculis deinceps perseueret. Conquiescẽtibus autẽ nobis, & nullo modo agitatis ipse quoq; cessat: motos verò statim comitatur pro motus mẽsura: ob validiores & robustos motus, vehemẽtior: ob imbecilles, lenior. Vidi hoc symptoma mulieribus magis q̃ viris accidere, ac ijs mulieribus, quę in otio maximo degebant, & balneis post cibos vtebãtur. Noui & adulescenti cuidam ex nostris cõtubernalibus in Alexandria accidere, cum primùm ad ipsam appulimus initio autumni. Ingesserat autẽ hic pluribus deinceps diebus palmularũ glandes multas, simplices, & recentes, & post balnea & ante hæc: erant plures ipsarum non exactè maturæ. Accidit itaque ei, vt primùm post exercitium & balneum à vehemẽti inciperet horrore: propter quem & opinatus se febricitaturũ decubuit, & vestimentis contectus, conquieuit. Cum autem tota nocte transacta febri careret, surrexit mane ad cõsueta munia reuertens: horrorem interea sentiens, iterum decubuit, quieuitq; vsque ad balnei horam: ac cum ob balneũ rursus surrexisset, horror vehemẽtior inuasit, erátq; accidens rigor quoq; iam exiguus. Tũc igitur omnimodò febricitaturum se arbitratus, multo adhuc magis in quiete se cõtinuit. Cùm autem toto die noctéque insequenti experiundo deprehenderet se ob mediocres motus horrere, si quando largius moueretur, rigere: cõsilio nostro de ijs, quæ fieri expediebat, vsus est.

Curatio rigoris ex pituita in adulescẽte.

Ego itaq; memorãs huiusmodi quiddam mulieri in Asia nostra accidisse, familiarem & metu liberaui, & adhortatus sum, vt cibis, potionibus, & medicamentis vterentur, quæ & calefacerent & crassitiem humorum dissecarent. ille igitur hoc pacto conualuit.

Dia trion pipereon. Dia calaminthes. Dia castoriu rigoris remedia.

Post illa similiter affectis per initia quidem dedi medicamentum ex triplici pipere, quod dia trion pipereon appellant: deinde nostrum dia calaminthes: postea ex liquore cyrenaico & castoreo compositum, quod etiam quaternarijs circuitionibus est vtilissimum, præsertim vbi à rigore vehementi algescunt. Ne mireris autem, si apud veteres medicos scriptũ inuenias, febrim comitari necessariò rigores, qui sine frigore obueniunt externo, ex ipsa corporis dispositione prodeuntes. Nihil enim tale veteribus, nec balneis tot post cibũ, nec vita otiosa vtentibus accidit. Hoc autem tempore ambo hæc frequenti in vsu habita, etiam rigorem hunc, qui excalfieri nequeat, excitant, nouum quoddam & peregrinum accidens propter victus nouitatis rationem: omnibúsque ita affectis vel tensionis, vel grauitatis sensus in dextris hypochondrijs oritur, vbi iecur situm est, venis nimirum ipsius crassitie humorum infertis, obstructisque. Quemadmodum autem grauitatis & tensionis in viscere sensum affecti habent: ita & ri-

Quartanarũ rigor.

Tertianarum rigor.

Galenus quater tertiana, semel causo laborauit, quartana nũquam.

gorẽ percipiunt, ab eo, qui quartanis & tertianis accidit, diuersum. Nam in quartanis talem ipsis rigorem fieri affirmant, qualem cum per frigus validum iter faciunt. In tertianis item & causis, id est vrentibus febribus, tanquam ab aciculis acutis & tenuibus in carnibus lancinẽtur, pungantúrq;, subinde sentiũt. Ego itaq; & ipse quartanarum rigoris imperitus sum, alterum autẽ expertus, vt qui in iuuentute quater tertiana febre laborauerim: causo autem semel. Quare de dicta rigoris qualitate in huiusmodi affectibus, testimonium ferre possum. Qui autem quartanarum rigorem experti sunt, ad ossa vsque pertingere dictitant, cum sit vehemens similis rigoribus, qui ex ambiente nos aëre admodùm frigido nascuntur. Verùm hoc quoque tertianis causísque febribus adijcere possumus, quod quartanis non inest. Etenim plurimi sitiunt, & calorem per imas partes in ipso rigoris tempore sentiunt, quorum neutrum in quartana febre rigoribus accidit.

Conuulsio.

Quoniam verò & de rigore abundè dictum est, reliquum fuerit etiã de conuulsione adhuc verba facere. Erit autem neq; longus, neque obscurus sermo, si quis eorum, quæ hactenus recensui, memor fuerit. Incipiam autem etiam nunc à repetitione eorum, quæ in libris de musculorum motu ostendi. Cùm enim omnes arbitrarij motus, musculis obeantur, quando ad sua ipsorum capita retracti vnamquanque particulam, cui inserũtur, simul attraxerint: si affectus aliquis in tensionẽ ipsos ducens, acciderit, hunc motus sequitur, similis quidẽ naturali, sed citra voluntatem, ac vocatur vitium, conuulsio. Quòd autem musculus & tendirur & conuellitur ad suum principium, sicut & quòd illa corporis particula, cui inseritur cum ipso simul attrahitur, commune & sanis & conuulsis existit: quòd autẽ inuito hoc accidat, præter naturam affectis inest, non sanis. Si igitur à quot causis neruosa corpora tẽdantur, inuenerimus, finem sanè & hîc iam sermo nobis accipiet. Atqui nihil est eorum ferè, quæ extra corpus sunt, chordis neruosius, quas quotidie & in lyris, & in citharis ab artificibus intendi quidẽ videmus, vbi instrumentis vsuri sunt: remitti autẽ, cum cessantes ea reponunt. Porrò rumpuntur in immoderatioribus aëris temperamentis, in humidis sanè & Austrinis cõmõdefactæ: in siccis autẽ & Aquilonijs, siccescentes. Propter hoc igitur remittunt ipsas, cum seponunt, præsertim vbi ambiens fuerit, qualis dictus est. Rumpuntur enim vtroq; modo tensæ. Considerato mihi & neruos & tendines in animalium corporibus vel distentos à superflua humiditate, vel siccescentes à causis siccantibus in tantam perduci tensionẽ, in qua sanis motus fiebat arbitrarius. Considerato itẽ fieri posse, vt nerui continui particulam quandam corporis, aut inflammatione, aut alia quadam causa validè affectam secum attrahant conuellántq;. Etenim cum has omnes dispositiones mente conceperis, ob quas cõuulsio oriatur, inuenies. si quidem inflãmationes neruosarũ partiũ ac præsertim cum in neruorũ principio, aut etiam prope ipsum generantur, neruos continuos attrahentes tendunt: quemadmodum extrinsecus artifices, chordas. Si autem neruosa corpora ab humorum copia obstructa tendantur, similis interea affectus oritur atq; chordis, quæ propter ambientis humiditatẽ vehemẽtius intenduntur. Contrà in malignis febribus ardentibus, quas causos appellaui, & valida phrenetide fieri apparet. Vt enim lora, quæ prope ignem siccescentia cõtrahuntur tenduntúrque: eodem modo spasmi fiunt, ex nimia morborum siccitate, quæ neruosum genus admodum arefacit. In ardentibus igitur febribus,

id ex sola siccitate euenit: phrenitide, etiam ex principij neruorum inflammatione symptoma comitatur. Nosti porrò iam hunc affectum partim emprosthotonon esse & dici, partim opisthotonon, partim tetanon, omnes habere pro confesso. Cum sanè prorsum corporis particulæ tenduntur, emprosthotonon: cum in posteriora, opisthotonon: æquali autem robore ad vtrasque partes vergentem, tetanon. Ac ex siccitate conuulsiones nunquam sanaueris, quippe ita affecti protinus emoriuntur, ne cogitandi quidem remedij tempus permittentes. Quæ autem ex copia, aut inflammatione fiunt conuulsiones, his medeberis, copiam sanè euacuans: inflammationem verò proprijs ipsius præsidijs persanans, quæ in medicatoriæ methodi libris didicisti.

Conuulsio in ardentibus febribus & phrenitide.

Ex siccitate conuulsiones insanabiles.



CLAVDII GALENI PERGAMENI DE TREmore, Palpitatione, Rigore & Conuulsione libri finis, Interprete Ioanne Guinterio Andernaco Medico.

Claudij Galeni Pergameni de præno-SCENDO LIBER, IOANNE GVINTERIO ANDERnaco Medico Interprete.



VT ſanè vulgus medicorũ eſt, ô Epigenes, nemo poteſt ea, quæ ægris per ſingulos morbos eueniũt, prænoſcere. Ex quo enim ij, qui videri potius, q̃ eſſe docti non in medica tantũ, ſed etiã alijs artibus ſtuduerunt, numero vicere, optima quæq; artiũ neglecta ſunt: ea verò in vſu habita, vnde aliquis ſermone hominũ celebretur, nẽpe apud vulgum dicere aliquid, & facere ad gratiam: item adulari blandè, opulentos & potẽtes in ciuitatibus quotidie ſalutare, & ſimul cum eis incedere, ac domum redeuntes deducere, in cœnis latus eorũ cingere & ſcurriliter nugari. Quidam ipſorum non hæc modò, ſed etiam veſtium & annulorum ſumptu, comitum multitudine, & vaſorum argenteorũ apparatu idiotis perſuadent, magni ſe pretij eſſe homines, & imitatione dignos. Ex his igitur omnibus partim allicientes, partim attonitos reddentes homines veri in rebus iudicij imperitos, vt quidem hi exiſtimant, multis bonis fruũtur: vt autẽ ego dixerim, cum verè bona non ſint, ipſi falſo opinãtur. Cũ itaq; tales exiſtant, præter alia cõtra leges facere nõ dubitãt, breuiſſimóq; tẽpore artes ſe docturos polliciti, cõplures diſcipulos cõparãt, à quibus etiã ipſi poteſtatẽ in ciuitatibus, in quibus degũt, accipiũt. Hęc igitur cõmunis omniũ artiũ infelicitas præſentẽ vitã occupauit. Medicinę autẽ varia quidem eſt: ſed vnũ aliquod ex ijs, quæ in illa accidunt, ſtatui promere, vt quod ad me potiſſimũ pertineat. Quãdo enim medicus aliquis ex ijs, qui legitimè eã dedicerũt, aut deliriũ futurũ in ægrotãte, aut rigorẽ, aut cataphorã, aut ſanguinis profluuiũ, aut parotidas, aut abſceſſum aliquẽ in quacũq; parte, aut vomitũ, aut ſudorem, aut alui turbationẽ, aut ſyncopen, aut aliud quid huiuſmodi prædixerit, & peregrinũ & mõſtrũ præ diſſuetudine idiotis apparet: ac tantũ abeſt, vt qui prædixerit in admirationẽ apud illos veniat, vt benè actũ ſecum putauerit, ſi nõ etiã præſtigiator aliquis eſſe videatur. Pauci autẽ quidã ipſorũ huiuſmodi ſpeculationẽ nõ dãnãt quidem, ceu quę haberi nequeat: ſed interrogãt ſtatim & ipſum, qui prædixit, & alios medicos, num etiã tale quid à maioribus inuẽtũ ſit, an ſolũ ipſius prędicẽtis ſit inuentio? Hinc itaq; neceſſariũ eſt, quoſdam ſanè medicos inſcitiã ſuã occultantes, forſan autẽ nõnullos etiã verè ignorãtes, dicere, à nullo maiorũ tale quid eſſe proditũ: ſed præſtigiatorẽ eſſe, qui huiuſmodi prædictionẽ oſtendit. Ipſe verò prędicẽs, neq; quòd à pluribus maioribus ſcriptũ ſit, & pręſertim ab Hippocrate, omniũ nobis bonorũ authore & duce, audet fateri, metu ſimul præſentiũ medicorũ, & odij ſuſpicione, neq; quòd ipſe inuenerit: mẽtiretur enim ita, & magis odio ab eis haberet. Quæſtionẽ itaq; ſuſtinẽs, ad quã quid prorſus reſpõdere debeat, ambigit: ſi detrectet, & deliberandũ cẽſeat, meo iudicio augebit ſanè præſtigij ſuſpicionẽ in futurũ: poſtremò autẽ inuidiã in ſe cõcitabit, vt inſidias ab eis experiat: primũ ſanè, per pharmaca, deinde quibus Quintus captus fuerat, præſtantiſſimus

Tales ferè omnes hodie medici.

Hoc hodie caballam medicorum vocãt.

Nota. quaſi hæc ex ſanitate hominũ reſtituta conquiſierint.

Multo magis hæc tempora

Ignorantiæ quorundam patrocinium.

Quintus vrbe eiectus tanq̃ ægrotãtes interimeret.

quidē sui tēporis medicorū, vrbe autē eiectus, tanq̃ ęgrotātes interimeret. Quare necesse est, vt ei, qui artē philosophicè & vt Asclepiadis dignū est, exercet, alterutrū cōtingat, aut vt Quinto similiter in exiliū relegatus, pręclara sensus pręmia reportet: aut calūnias sustinēs & manifestò, si quidē timidior fuerit, partim respōdens, partim subticēs, leporis vitā degat, semper tremēs, & vt patiat̃ aliquid expectās, præterq̃ quod præstigij suspicionē augeat. Sin autē animosior cominus procedat solúsq; cū multis versutis hominibus, ac in plerisq; improbatissimis fraudū generibus exercitatis decertet, ipse eruditiōe & disciplinis fretus, ac taliū malignitatū imperitus, vel omnino victus obtēperet in posterū ad omnia illa, in quibus eo vti voluerint: vel si diutius resistat, certétq;, mirabili quadā fortuna vsus, semper certè bellū lōgè deterrimū, quod intestinū nominăt, gerere cogetur, cū effugere nō possit. Accidet igit̃ necessariò, multos ita fraudibus oppressos, & alios, qui veritatē syncerè, nō propter aliquod exterius, sed ipsam propter se honorăt, vbi semel iniquitatē pręsentis seculi fuerint experti, nouerĭntq; manifestò, q̃ nulli sint mortaliū cōmodo futuri, ex vulgi cōsortio discedere, tanq̃ in tēpestate magna & agitatione vētorū seipsos saltē seruare conātes. Hi sanè vulgo quidē incogniti, noti verò & amici maximè quidē & primū dijs ipsis, deinde hominū præstantissimis in quiete vitā agētibus, permittētes fraudulētis istis gloriā apud vulgus aucupari & inclarescere. Omniū horū causa hominibus, diuitū in vrbibus & potentiū deliciæ existūt: qui voluptatē virtuti preponētes in nullo honore habēt eos, qui aliquid honesti nouerūt, quíq; alios docere quid possunt. Toti autē illis dediti sunt, qui voluptates suppedităt, hos dităt, hos admirătur, & in cœlū efferūt, necnō histrionū, & adulatorū imagines, deorū statuis asseclas cōstituūt: eruditos autē tăti faciūt, quătum opera ipsorū indigēt. Nam in vnoquoq; honestum nō respiciūr, neq; peritos ipsos sustinēt, sed geometriā quidē & arithmeticen, quantū ad impēsarū rationē, & domus cōstructionē attinet: astronomiā verò & diuinatoriā, quătū ad prænoscendū, quorum hæredes futuri sint, opus est, vsurpăt: quēadmodum & musicen, quatenus auditū oblectare velint. Philosophię autē, quæ horū omnium pręcipuū cōtinet, demonstratorię speculationis nullā habent rationē, nisi quantū vsus cogit, quosdam rhetoricorū virorum instrumento subdito sophistica dicta speculatione vti. Philosophiæ enim ipsius nulla mentio, sed omniū disciplinarū inutilissimā hanc instar milij perforati arbitrantur. Hi igitur sunt, qui etiā medicinæ vsum necessariū vident dūtaxat, neq; hūc rectè, sed, vt Plato alibi dicit, si de medico & coquo à pueris aut stultis hominibus sentētia ferri debeat, coquus vtiq; nō paulo plus laudis reportabit. Hæc igitur ego ignorans in priori meo Romā aduētu, nihílq; suspicās, indicaui nō verbis nudis, sed operibus futurorū prænotionē, curationémq;: donec tale quippiă accideret, vt tu nouisti, qui potissimùm per totius morbi Eudemi Peripatetici philosophi curriculum adfuisti. Itaq; die quodă nōnulli ipsum post lauacrū inuasit inæqualitas, horror autē ab hora octaua: propter quē à cibo abstinere coactus, postridie inculpatè agēs, putauit tutius esse eū post octauă horă differre. Cū autē nihil eadē hora molestū occurreret inedia vso vsq; ad nonă, ac vlterius nulla permutatio appareret, lotus & modico cibo assūpto, tertio die pro cōsuetudine nobiscū versabat̃. Securitatis autē gratia visum ei est etiā in illo die cibū post horas suspectas differre. Lauit itaq; post octauă, & cibo sumpto leui, credidit nihil ei molestū accessurū. Quarto die quo nobiscū

Quæ sustinēda verè medicinā exercēti

Leporis vitā degere.

Hoc optimi quiq; faciunt.

Docti viri nō vulgo, sed dijs cogniti.

Quos hodie practicos & caballistas vocant.

Hi Theorici nostris medicis tantū vocantur, & grāmatici.

Qui delicatos syrupos magistrales propinant.

Galenus ĩ primo in Romā aduentu fraudum istarum Ignarus, vt literatiomnes.

Historia de Eudemo philosopho: in cuius curatione Galenus Romanorum medicorum fraudem expertus est.

versatus, ad balneum discessit, ridens simul & respiciens te, Vtrum, inquit, etiam in hoc quarto die tutius est octauā horam inedia excedere, an balneo vtendum iam est? Tu igitur tanq̄ nihil molesti futurum esset, lauacrū accedere iussisti, aliiq; omnes, qui aderant. Ego autem solus subticebam. Roganti verò ipsi, cur tacerem, respondi non omnino me citra suspicionem esse, initiū quarti circuitus secundum primi diei rationē, quo me pulsum tangere iussisti, accidisse. Cùm autē prænouissem naturalem tuū pulsum, qualis erat, sine quo nō licet exiguas ipsius mutationes in statum præter naturā, deprehendere, manifestò nihil pronūciaui: quemadmodum neque nunc magis possum aliquid de suspicione tunc mihi oborta proferre. Lauit igitur ex facili, & mediocriter nutritus est. Deinde cū circa vesperam vocasset me, ac rursus pulsum eius tāgere iussisset, idem quod ante balneum pronunciaui, audiuit, ac magis adhuc confidentius q̄ tunc. Iccirco visum est sequentē diem, qui septimus ab initio futurus erat, quartus autē ab illo, exactius obseruare: ac cū domi fuisset cōmoratus, lauit, cibósq; assumpsit, quū plures, vt nosti, omnino absq; febri ipsum esse dicerent. Ego igitur quærēti tibi (meministi enim omnino & hoc) suspicionē mihi nūc esse dixi, minimæ scilicet cuiusdam quartanæ circuitionis initiū ei oboriri. Discessi igitur visitaturus quēdam circa vesperā ægrotū, non prope habitantē. Interim lauatus Eudemus statim quidē cibum sumpsit, nō multo pòst caliditatē per totū corpus sensit, quā ex potu hausto prouenisse arbitratus (vinum enim vetus postridie assumpserat) hoc ipsum cōsuetis medicis recensuit: cúmq; & illi statim vinū causarentur, nihil hîc adhuc molesti in quarto die post calorem obortū fore ratus, lauit, & cōsueto more cibo vsus est. Manifestò autē febricitare orsus, persuasum habuit quartanæ esse circuitū. Me verò solum inde cōmendauit, tanq̄ exactè pulsum priore tempore tangentē, persuasus mihi soli habitū esse in philosophica speculatione mentione dignum, medicinæ verò obiter rationem habuisse. Etenim audierat cum pater me ad philosophiam duceret, iniunctū ei per somnia euidētia, vt me medicinam edoceret, non vt superfluā quandam disciplinam mihi futurā. Contigit etiā tunc forte fortuna, vt nouisti & ipse, laborāte quodam homine per initia autumni morbo acuto, deinde per tēpus refectionis, circa horam quintā febricitare exorso, pronunciasse me tibi præsenti cum hominē illū vidissem, manifestissimū quartani circuitus esse insultū. Cū enim iuxta proportionē per quartum diem repetitio fieret, Eudemus factā prædictionē abs te audiēs, multo magis attendere mihi persuasus est. Quare cū secūdum circuitū accessio in magnitudinē procederet, cōuocatis præstātissimis quibusq; vrbis medicis, de morbi cū ratione cōsiderandū censuit. Ego autē sponte relictus sum, vt qui nollem verbis cum ipsis contendere. Cū verò celeberrimis ipsorū Theriacen ægro propinare visum esset manè, eo die, quo accessio quarto repetens, futura expectaretur: digressis illis, vt nosti, te præsente interrogabat me, quā spem de medicamēti vsu haberē. Nosti igitur quomodo ei respōderim nihil ambigēs, medicamentū scilicet nō modò nihil præsidij allaturū, sed etiam duplicē effecturum quartanā. Ac cum ipse causam quæreret, cur ita responderē, Crudū adhuc esse morbū dixi: ac medicamentū hoc adhiberi, quatenus vitiosum humorē crudum, præsertim per hyemis initia perturbare possit, nō tamen vel perfectè cōcoquere vel discutere. Hæc igitur ego Eudemo respōdi. Subsequēti die manè veniētes ad ipsum medi-

Naturalis pulsus necessariò intelligendus ante eum qui præter naturam est.

Pater Galeni per somnia admonit⁹, vt filium medicina instituendum curaret.

Theriace exhibita intempestiuè duplicem quartanam ex simplici fecit.

ci, nobis nõdum præsentibus, medicamentũ propinarũt: reuerito narrare eis, quæ ego ipsi dixerã: vt qui simul omnes medicos discedẽtes cõsiderẽt promittere videret, medicamentũ assumptũ nõ parũ ipsi profuturũ. Cũ autẽ eadem hora accessio inuaderet, dicebant ita nõnunquã accidere in prima potione, vt morbus moueretur, agitaretúrq;. Secũdo autẽ potu in totũ discuti, si die, quo accessio quarto repetens, futura expectatur, similiter manè ex eo assumeret. Illi quidẽ ita loquuti cum bona spe discesserũt. At quartana, nõ expectato proximo circuitu, præter opinionẽ hora octaua inuasit, idq; fortior q̃ die primo fuerat. Venientibus itaq; manè medicis, vt nosti, iterum ex medicamẽto propinare visum est. Cúmq; pro portione prioris accessionis exhibuissent, discessere: ac quę secundo post ipsam superuenit accessio, priori in ipsa respõdebat: cuius rei gratia circa vesperã me rogabat, quid expectarem futurum. Ego, vt nosti, arteriarũ motũ ipsius explorãs, nũc sanè, dicebã, respõdere tibi quippiã ad quęstionẽ tutò nõ possum, manè autẽ forsan potero, intuitus omnẽ, quę noctu redditur, vrinã. Reuersus itaq; sub auroram intuitúsq; lotiũ, sinere iussi, ac rediturũ me dixi circiter horam quartã, si quid interea mingeret. Ac sanè iam eò profectus, postq̃ vrinas inspexissem, pulsúmq; diutius tetigissem, pronũciaui ei tertiã quartanæ accessionẽ circiter eandẽ horam adfuturã. quo dicto iam discessi. Paulo pòst, Sergius & Paulus, qui nõ multo pòst vrbis præfectus creabatur, & Flauius Cõsularis, iam & ipse in Aristotelis philosophia exercitatus, sicut & Paulus, Eudemũ visitatũ venerũt: quibus ille omnia, quę à me audierat, recensens, tristitia se afficere dicebat hodie factã de futura accessione prædictionẽ, obseruare autẽ, quomodo eueniret. Cũ iam & illa circa eandẽ horã vt præteritæ, accideret, Eudemus sanè admirabatur, & inuisentibus ipsum omnibus meas prædictiones indicabat. Erãt autẽ hi propè omnes, qui Romæ & dignitate & eruditione præcellebãt. Cũ igit̃ Boethus in Anatomica speculatione me summè esse exercitatũ audiuisset, rogabat iam me, vt aliquid de voce & respiratione, quomodo fieret & per quę instrumẽta, ostẽderẽ. Vt igitur cognouit nomẽ meũ, etiã hoc ipsum Paulo narrauit, qui & ipse postq̃ innotuisset me rogabat, vt etiã sibi quid ostenderẽ. Dicebat enim omninò se speculatione eorũ, quæ in cõsectionibus apparent, indigere. Similiter & Barbarus auũculus regis Lucij, qui Mesopotamiæ dictæ præerat, ipse quoq; sicut Paulus disciplinã desiderabat. Postea & Seuerus cõsulatũ tunc gerẽs, in Aristotelis philosophia etiã versatus. Quomodo igit̃ cõsectiones successerint cũ ipse scias, breuiter paulopòst repetemus, nũc autẽ ad Eudemũ reuertor. Cũ enim tribus quartanis laboraret, medici de salute eius desperarũt, hyeme iam ferè media. Ego verò primũ tanq̃ præceptori meo, deinde q̃ forte fortuna prope ipsum habitabã, necesse habui obtemperare bis die vocanti. At Antigenes eo tẽpore me deridebat, vnus ex Quinti discipulis, qui & Marino conuixerat, principatúmq; inter medicos obtinere creditus omnes potentes medicabatur: haud scio, qua opinione ductus, laudantibus me ridendo dicebat, paulopòst ipsos cognituros, quem cõmendarent, cum Eudemũ efferri viderint. Atq; hæc ad præsentes idiotas dicens, nonnunquam sermone auerso, respiciénsq; ad medicos aiebat, Eudemũ sexagesimum & tertiũ annum agentẽ, tribus laborantem quartanis in media hyeme, Galenus se curaturum promittit. Tu igitur Epigenes charissime, & prædictiones de eo postea factas, & curationẽ nostrã quãto præconio extuleris: mihi autẽ primum tunc inuidiæ initium obortũ est,

Boethus.

Paulus Sergius.

Barbarus.

Seuerus.

Antigenes malignus erga Galenum, vt hodie barbari omnes i eruditos.

Virtus odium parit.

Inuidia medicorum.

Ita solent maleuoli: cũ vincere non possunt, amicitiã doctorũ ambiunt, vt hoc nomine apud vulgus postea famam tueantur.

Martian⁹, alter Galeni hostis.

vt qui tum propter grauitatẽ vitæ, tũ artis opera essem admirationi. Etenim ex tribus quartanis cum primã quidem exorsam, hoc finitum iri die præsagijssem, visus sum admirabilis: cum autẽ & secundæ statũ solutionis tẽpus verè protulissem, omnes sanè fuerunt attoniti: in tertia certè, deos precabãtur, vt successu frustrarer. Cum autẽ & illa in die à me prædicto cessaret, nõ ob prædictiones tantũ, sed etiã curationem, haud mediocrẽ gloriam sum consecutus. Antigenes igitur ferè in terrã se coram me demisit, propter temerarias ipsius in me obloquutiones habitas: similiter & Martianus, qui ipse quoq; tum per illud tẽpus, tũ antea adhuc ceu maximus Anatomicus, in magno honore & gloria apud adulescẽtes medicos extitit. Legebãtur autẽ duo eius libri de cõsectionibus scripti. Is ipse quoq; dolore affectus, eo quòd Eudemus non modò iure in omnibus laudari me oportere, sed etiã pro miraculo haberi dicebat: non ex medicina prædictiones, sed ex vaticinatoria has à me fieri calũniabatur. Ac vaticinatoriã quam tandem diceret, cũ nonnulli quærerent, interim auguratricẽ dicebat, interim ex sacrificio petitam, aliquando symbolicã, aut mathematicam. Postremò tale quid apud Eudemum accidit, tertiæ quartanę die instante, qua perfectè eum liberatũ iri dixeram. Martianus hora nona ad Eudemum profectus præsentẽ accessionẽ nõ paulò, sed etiam multo vehementiorẽ præterita esse dixit, ac statim abijt vultu læto: manifestò indicans se gaudere, tanquam prædictio non successerit. Eudemus autẽ sentiens facilitatẽ morbi tolerandi, qualem necdum antea perceperat: quinetiã confidens mihi tanquã non erraturo in prædictione, expectans, dum alius etiam quidam medicus accederet: cúmq; nõ vnus tandem adueniret, sed duo & tres (obseruabãt enim omnes, quomodo prædictio succederet, optantes saltem in tertia quartana frustrari me & prædictione & curatione ipsius) Eudemus sanè voluit & illos pronũciare, quam ipsi de morbo suo opinionẽ haberent. Cúmq; eãdem responsionẽ audiuisset, quam Martianus protulerat, & attendens similiter etiam illis, ceu lætioribus Martiano redditis, intellexit sanè & ipse gaudere illos, quasi & prædictio & curatio improsperè successerit. Quoniam autẽ diutius morabar præter cõsuetudinẽ, in visitando quodam occupatus, misit cõtinuè ad me iuxtà habitantẽ, vt dixi, cupiẽs, vt de facilitate ipsius quam habebat, ferrem iudiciũ. Vt igitur accessi, ne sedere quidẽ me permittens, manũ exporrexit, iubẽs vt pulsum tangerẽ. Cũ autẽ explorassem, studiose quærebat, quidnã nunciarem. Ac ego ridens, quid aliud, inq̃, ac bona? qualia, ait, hæc particulatim mihi edicito. Ego rursus, nõ satis, inquã, erit tibi summã ipsam vniuersim audienti, gaudere ob ea, quæ futura sunt. Nequaq̃, inquit, audire enim desidero particulatim. Audito iã. Hac nocte tota dispositione morbosa perfectè liberaberis: quibus factis etiã symptomatũ omniũ, & superueniẽtiũ, & futurorũ solutio comitabitur. Atq; hoc dicebã nuper mihi ex pulsibus indicasse naturã, quæ corpus tuũ dispensat, excitatã iam, motámq;, vt omnẽ humorum prauitatẽ ex corpore tuo expellat. Quo modo igitur iam à natura hoc tibi indicatũ esse dicis? non enim loquens hæc tibi dixit. responde. Omnino enim nouisti me, quæ dices, intellectu magis assecuturũ, q̃ omnes hos miserabiles medicos. Quoniã motũ, dixi, arteriarũ elatius extulit, q̃ ad alterã dimẽsionẽ: quod semper facere cõsueuit, vbi id, quod noxiũ est, excernere è corpore nititur. Post hęc dicta Eudemus iterato sermone intulit. Verũ quia multæ excretiõis vię à natura distributę sunt (etenim vomitus, aluus profluẽs, forsan

Indiciũ naturę quũ aliena expellit, pulsus sublimis.

& vrinarũ copia, ſudorũ multorũ eruptiones, ſanguinis profluuiũ, & cõſueta hæmorrhois adaperta, vacuationẽ ſubitam efficit) proprium artis tuę munus fuerit, vacuationis ſpeciem interpretari. Sãguinis igitur profluuiũ futurũ, hæc & illa ſigna pręcedunt, queadmodũ etiã ſudores hæc. Adieci autẽ inter dicendũ & ea, quę vomitus præcedũt. At vacuationis per ventrẽ ſubitæ criſim fatẽtis, nullum peculiare eximiũ ſignum habemus. Verum ſi nullũ ex alijs adſit, reliquum eſt, vt ſperemus in te hoc futurũ. Dialecticè, inquit, collegiſti eius, quod fiet, inuentionem. Hæc ſanè cum aduesperaſceret iam inter nos diſſerebamus. Cum itaq; mane accederem, tuipſe audiuiſti ſummã prædictionis à philoſopho, qui non ſuſtinebat moderatè loqui vt conſueuerat, ſed vociferabatur ad omnes nos ingredientes amicos, Pythium Apollinem per Galeni os voluiſſe oracula ægrotãtibus dicere, necnõ curare ipſos liberareq; in totum die prædicto. Nam cũ factã morbi ſolutionẽ (perſuaſum enim habeo iam ex toto me eſſe ſanũ) longo tẽpore antea prænũciaſſet, & curationẽ & prædictionẽ ſum conſecutus. Liberauit autẽ me tribus quartanis, in quas ex intempeſtiuo theriacæ medicamẽti potione incidi, quando tempus ipſius eſſet non illis eloquentibus: hic propinans me liberauit, deriſus ab eis, ꝙ ſenem hyberno tẽpore laborantẽ tribus quartanis, leuaturũ ſe putaret. Imperiti ſanè artis medicæ cũ hæc audirent, cõmune bonũ me Romæ degẽtibus futurũ exiſtimãtes, omnes gaudebãt. At Martianus, qui nõ medicũ modò, ſed etiã amicũ eſſe ſe teſtabat, cũ audiuiſſet, quid ſuperiori die pronũciaſſem de arteriarũ motu, quẽ illi turbulentũ, nõ decretoriũ nominãtes extimuerũt, etſi Eudemũ ſecundũ naturã prorſus habere offenderẽt, ne verbo quidẽ vno laudari me ſuſtinebat. Digreſſus autẽ in Sãdalariũ fortè mihi occurrit, ac ſtatim neq; ſalutãs, vt iſolebat, rogauit nũ ſecundũ Hippocratis Prorrheticorũ librũ legiſſem, an omnino mihi eſſet incognitus? Ac deinde vbi audiuiſſet me legiſſe, ac mihi vident, inquit, nõnulli medicorũ rectè & conueniẽter pronũciaſſe, ex germanis Hippocratis libris ipſum nõ eſſe. Omnino igitur nouiſti, inquit, quę in eo ſcripta ſunt? Ego verò huiuſmodi nõ vaticinor, quorſũ autẽ hoc nũc dictũ ab eo eſſet, quęſiui. Quòd cum ab Eudemo te admirãte digreſſus eſſes, aiebat, heri veſperi ex pulſus tactu prædixeris excretionẽ per aluum futurã, poſt quã nõ amplius febricitaret. Quæ vbi ipſe protuliſſet, ego tantũ reſpondens, ab Eudemo hæc audiuiſti non à me, ſtatim diſceſſi: profectúſq; ad Eudemum, quid accidiſſet, nunciaui, demirabárq; medicorũ in Romanorũ vrbe celebriũ maleuolentiã. Ille ſecundum rationẽ hoc mihi accidere dixit, conferẽs cum patriæ noſtrę medicis eos, qui in hac vrbe verſantur, pluribus de cauſis ad ſummũ malitiæ tendentes. Ac deinde mihi omnes in hunc modum recenſuit. Ne arbitreris bonos viros hac in vrbe fieri malos, ſed qui mali iam ſunt, rerum materiã hîc, & quæſtum multo vberiorem ꝙ̃ ij, qui in externis vrbibus agunt, inueniunt. Ac dum multos ipſis ſimiles locupletatos vident, actiones eorum varias imitantur, atque hinc ex pluribus cauſis in extremam prauitatẽ delabuntur. Dicam autẽ tibi nõnullas ipſorũ prauitates, ceu longo tẽpore expertus. Non enim ſolũ natura, neq; quæſtuoſarũ rerũ materia, malitiã eorũ, qui natura praui ſunt, adauxit, ſed etiã diſciplina viarũ impoſturę ſecuta eſt, quas quotidie à ſui ſimilibus iniri conſpiciebant: deinde in his imitãdis tũc verſant. Et ſi ab aliquo maleficij arguãtur, ad alios ignotos trãſgrediũtur: quibus illa, quę prima experiẽtia perperã facere ſunt deprehẽſi, tutius offerũtur. id quod

Bonus nunꝙ̃ malus fit.

Diuitię hodie medicinæ finis.

Id verè eruditi facere nequeunt.

Vt libellus docet de cautelis medicorũ inſcriptus.

Id circulatorij medici hodie præſtant.

7 nõ parum eos mouet vt nunq̃ à maleficijs desistãt. Qui autẽ paruas vrbes inhabi
tãt, neq; magnitudine quæstus alliciũtur, quẽadmodum huius incolæ, cognoscũ-
túrq; facilè à ciuibus, & si etiã parũ deliquerint, inexercitatã habẽt speculationẽ.
Hîc autẽ & quòd nõ ab omnibus cognoscãtur, quæ frequẽter maleficia moliun
tur, naturæ ipsorũ malignitatẽ auget. Nam ingerunt se ignorãtibus ex improui-
so, & præsertim ijs, qui propter animi simplicitatẽ ipsos cõtrà mõdere nequeũt,
sicũt ipsi seinuicẽ conuitijs lacerant, si quã etiam paruam iniuriam intulerint. Vt
igitur latrones apud nos ob maleficium aliquod se mutuò iuuant, sibíq; parcent:
eodem modo qui hîc agunt aduersus nos cõiurati, sola hac re à latronibus diffe-
rũt, ꝙ in vrbe, nõ in mõtibus facinora sua perpetrẽt. Sed iam, quod proposuerã,
inquit, sępe audiuisti: quare quãprimũ seditio, ac belli tumultus in patria mea ces
sauerit, cõspicies me ex hac vrbe discessurũ, & breuẽ adeò hîc morã facturũ, quò
citius ab improbis istis nebulonibus liberer. Sed ignorãt, Eudemus ait, hoc tibi in-
stitutũ esse: & si nouerint, quẽadmodũ ipsi mentiũtur, omnes te similiter vt ipsos
mentiri censebũt. Et quemadmodũ ipsi rerum indigi, & imperiti, cum in patria
manere nequeant, eo quòd præter alia, quæ dixi, vafritiã subdolam improbámq;
exercere cognoscuntur, in hanc vrbem migrarunt: ita quoq; alios huc profectos
arbitrantur, & nolle prius discedere, quàm rẽ fecerint. Et si à ciuibus genus tuũ,
possessionẽmque tuam audiant, quòd non sis ex eorũ numero, qui rerum inopia
laborent, effictum omnino abs te esse dicent, vt auditoribus imponas. quæ enim
ipsi fecerint, ea de omnibus suspicãtur. Cum igitur hæc aliáque id genus Eude-
mus dixisset, addidissẽtque eos, nisi improba vafritie nos lędere poterint, ad insi-
dias per pharmaca descendũt: cúmque retulisset idem inter narrandum adule-
scentem quendam ante annos circiter decem in hanc vrbem profectũ, qui ope-
ribus similiter ac tu tractationẽ artis indicabat, pharmacis fuisse sublatũ, cum fa-
mulis duobus, qui vnà cum ipso aduenerant: Gratiam tibi habeo, dixi, præceptor
charissime, qui omnẽ ipsorum prauitatẽ mihi recensueris. Ego enim securè me-
ipsum tuebor, digressus ab eis procul: claráq; inscitia eorũ facta, à magna hac &
populosa ciuitate, in paruam, paucorũmq; hominũ migrabo, vbi omnes inter nos
nouimus, ex quibus orti simus, quam eruditionẽ habeamus, possessionem, & mo
res, quámq; vitæ rationem ineamus. Eò igitur animũ conuertens, inscitiam ipso-
rum & vafritiem redarguere non studui, sed cõmemoratũ adulescentem, ad quẽ
profectus, primo statim die dixi quartanæ febris accessionis insultũ fore, vbi acce
pissem, curaui, statum morbi solutionis tẽpus, vt in Eudemo, præfatus cúmq; à te
vocatus essem, vt hominẽ quendam inuiserẽ Charilampis cubicularium in neruo
vulneratũ persanaui, id quod nullus aulicorum medicorũ præstare potuerit. Ac
post ipsum in Sandalario Diomedem Rhetorẽ, cuius nec ipsius quoq; morbi dis-
positionem celeberrimi inter aulicos medicos inueniebãt, sed etiam secus q̃ de-
cens erat curationẽ moliebantur, paucis diebus cum morbũ admodum diutur-
nũ prænouissem, restitui. Ac æstate appetẽte in primatibus Romæ & præsagia, &
curationes magna laude dignas, molitus sum: ac in multo honore & gloria apud
omnes erã, nomẽq; Galeni celebre. Ac cum gloria crescebat inuidia, eorũ, qui &
ipsi putabãtur esse aliquid, tanq̃ in omni artis parte à me vincerẽtur, adhibebãntq;
vrbẽ circũcurrẽtes alius aliã calumniã: hic ꝙ casu illum curauerim, periculoso cu
rationis modo vsus: ille ꝙ ex vaticinatrice, nõ ex medica speculatione prædictio-

In paruis ciuitatib⁹ meliores medici esse coguntur.

Medici romani, latrones.

Absit vt hodie medicus toxicũ etiam inimico ꝓpinet

Galenus è Roma in paruã aliquã ciuitatẽ migrare instituit.

Galenus felix in curãdo.

Diomedes Rhetor curatus.

Lutetiæ hoc non fit.

nes fieret. Accessit etiã his quæstio, quã cum Stoicis & Peripateticis habebã, quos Boethus ipse cõuocarat. Adde, quę in Iusti vxore fecerim, quã cõtabescẽtẽ citra vllius particulę affectũ euidentẽ, non solũ amare deprehendi, sed etiã quẽ amaret. & paulopòst quomodo inuenerim, aperiã. Sed primũ certaminis, quod cũ Stoicis & Peripateticis gessi, præsentibus etiã alijs simul cum ipsis & medicis & philosophis, mentionẽ sum facturus, simulatq; vnde incepit, percensuero. Vt si etiã alicui ex ijs, qui huiusmodi sermonum communicatione digni sunt, librum hunc voles impertire, omnem iam factorum ordinẽ habeas: & ne semper narrando occuperis, quæ & in artis medicæ operibus, confectionibúsq;, & in disputationibus ipsorum fecerim, inuidos & medicos & philosophos redarguẽs. Cum enim prouocarer ab eis, ad hoc descẽdi, Homerum imitatus, qui me docuerit hominem vicissim impetere, cum quis prior molestus fuerit. Tale igitur initium conuersatio cum eis habuit. Flauius Boethus, vir consularis, quàm fuerit & honesti studiosus, & doctrinæ cupidus, tu quoq; nosti. Vtebatur autẽ pręceptore sectæ Peripateticę Alexandro Damasceno: qui quidem & Platonis scita nouerat, sed Aristotelicis magis adhærens. Cum igitur rogasset me, vt per confectiones docerem, quomodo respiratio & vox fieret, cõparauit & hœdos & porcos complures: simias enim dicebam non desiderare confectionẽ, cum non solùm hæc animalia similem habeant constructionem, sed etiam pedestria ferè omnia: quæ autẽ magnam ædunt vocẽ, aptiora exili voce prȩditis esse, quæ sumptiones demonstratorias ad fidem de re proposita faciendam præbeant. Aduenerant spectatũ, quæ ostẽsurus essem cum alij quidam, tum & Adrianus Rhetor, nondũ rhetoricas institutiones docens, sed cum Boetho adhuc agens: item Demetrius Alexandreus Fauorini familiaris, publicè quotidie exponens ea, quæ secundum Fauorinæ dictionis speciem proponebantur. Cum autẽ ego ante confectionẽ dicerẽ me quidem ea, quæ in confectione apparerent, ostensurũ, quæ verò inde sequantur, non meum esse tantum colligere, sed etiam omnium præceptorẽ Alexandrum magis posse sperare, omnes sanè reliqui tanquam modestum sermonẽ receperunt, honorem Alexandro deferentes: ac simul adhortabantur eum, vt toti negotio citra contentionẽ incumberet. Quippe non latet te Alexandrum hoc affectu ab ab omnibus nosci, quemadmodũ & tunc manifestò indicauit. Cum enim ostensurum me pollicerer neruulorum tenuissimorũ, quasi capillarem coniugationẽ quandam gutturis musculis inseri, alijs ex sinistris partibus, alijs ex dextris, ob quos funiculo interceptos, vel sectos, animal mutũ redditur, ita vt nec vita, neq; actio ipsius offendatur: Alexander cõmodùm respondens, priusquã ostendatur hoc primum, inquit, vtiq; tibi concedetur, sed ijs, quæ sensu apparẽt, credere nos oportet. Quæ vbi ego audiuissem, relictis ipsis discessi, vnum hoc loquutus, errasse me, qui putarẽ ad rusticos Pyroneos venire, aut non certè venturũ fuisse. Postquã iam discessissem cũ alij Alexandrũ increpabant, tum Adrianus, Demetriusq; malè semper erga contentionẽ ipsius affecti, probabilem occasionem habebant, qua vehementer eum corriperet. Cum verò studiosi etiam omnes, qui in vrbe Romanorum erant, & Seuerus, Paulúsq;, & Barbarus id resciuerunt, omnes certè grauiter ipsum accusarunt: volueruntq; præsentibus ipsis confectiones fieri, congregatis ad hoc alijs vniuersis, qui in medicina & philosophia erant celebres. Durante igitur conuentu pluribus diebus, ostẽdi inspirationẽ non fieri

Qui dicitque vult audit sæpe q̃ nõ vult.

Flauius Boethus.

Demetri9 Alexandreus.

Seuerus, Paulus, & Barbarus viri consulares anatomę interfuerunt.

thorace eleuato, expirationem verò depreſſo: præterea muſculos indicaui à quibus attollitur: adhæc neruos, qui in ipſos inſerũtur, ex ſpinali medulla proficiſci: inſuper quomodo non coacta ſpiritus foras delatio expirationẽ ſine ſtrepitu efficiat: violentã verò eſſe diuerſam ab ea cum ſtrepitu accidentẽ, quam efflationem nominamus. Cum autẽ monſtraſſem etiam talem ſolam, dum per arteriam aſperam exit à cartilaginibus ictam, vocem efficere, & à muſculis has moueri, neruóſq; hos mouẽtes affectos vocis abolitionẽ moliri: & obloquutoribus hęc vbi indicaſſem omnibus conuictis, Boethus rogauit me, vt eorum cõmentaria ſibi darẽ. Ac cum miſiſſet ipſe, qui notis celeriter ſcribere norunt, dictitaui omnia & oſtenſa à me & dicta, non præuidẽs an ea multis eſſet cõmunicaturus. Et hactenus ô Epigenes, nemo auſus eſt refragari, quindecim interea annis præteritis: quãuis multi contradicere nitantur, vt hoc ſolùm apud vulgus audiant, nempe Galeno ſe contradixiſſe, non tamẽ audent ſcripta ad doctorum hominum iudicium referre. Reliquum igitur, quod pollicitus ſum, deinceps tibi enarrabo, modò dicere & apponere ſermoni præſenti oporteat: præſertim cum & ſophiſtarum medicorum nonnulli, recẽſendo, qua ratione Eraſiſtratus adoleſcentis erga ancillam patris cognouit amorẽ, ſcribant arterijs pulſus amatorios ædentibus ipſum inueniſſe, nunc autẽ non amplius, vt quis ex pulſibus inuentum eſſe dicat, ſuſtinent. Ego ſanè quomodo Eraſiſtratus id deprehẽderit, dicere non poſſum: quomodo ipſe cognouerim, iam tibi aperiam.

Ita faciũt hodie quidã ſemigræculi medici.

Vocatus ſum ad mulierẽ inuiſendã, quæ noctu vigilijs torquebatur, & aliàs in aliam decubitus figurã ſe tranſmutabat. Hanc dum febri carentẽ inuenio, rogo de ſingulis particulatim ei obortis, vnde vigilias accidere deprehendimus. Ipſa autẽ vix, aut nequaquã reſpondebat, ceu fruſtra interrogaretur, indicans: deniq; vultu auerſo veſtimentis ſuperiniectis vniuerſo corpori, totam ſe contegit, ac alteri cuipiam exiguo puluino inclinabat, quẽadmodum ij, qui ſomno indigent. Digreſſus itaq; ego inde alterutrum ipſam pati exiſtimabam, aut melancholicè animo torqueri, aut quatriſtitia afficeretur, nolle fateri. Differebam itaq; in ſubſequentẽ diem exactius de ipſa cõſiderare. Ac cum veniſſem primùm, audiui ab ancilla aſtante, fieri non poſſe, vt ipſam viderẽ. Iterum reuerſus poſtquam idem audiuiſſem, tertio redij: ac cum famula mihi diceret, vt diſcederẽ, nolle enim mulierẽ moleſtari: cúmq; nouiſſem ipſam me digreſſo & lotã & ſolita aſſumpſiſſe, veni poſtridie, ac ſolus cum ancilla multifariam diſſerens, cognoui manifeſtò triſtitia quadam affectã, quàm caſu inueni, vt etiã Eraſiſtrato accidiſſe puto. Nam cum certus eſſem nullum in corpore affectũ exiſtere, ſed animali quadam moleſtia mulierem torqueri, contigit eodem tempore, quo ipſam inuiſebam, id confirmari, aduẽtante quodam ex theatro, ac nunciante ſe Pyladem vidiſſe ſaltantem. mutatus enim ipſius viſus eſt, & faciei color. Quod ego contemplatus, manu mulieris brachiali iniecta pulſum deprehendi inæqualem, ſubitò, ac multifariam factum, qui animã turbatam eſſe indicat. idem igitur & de re quadam contẽdentibus obuenit. Poſtridie dixi cuidã ex ijs, qui ſequebantur me, cum mulierẽ viſitatum accederẽ, vt paulopòſt aduẽniens nunciaret mihi Morphũ hodie ſaltare. id vbi factum eſt, pulſum nihil offendi mutatũ. Similiter & ſequenti die comitante me, vt de tertio ſaltatore nunciaretur curaui, verũ pulſu manẽte conſtanti, quarta rem diligenter examinaui nocte: qua obſeruans pulſum, cum Pylades

Quomodo Galenus amorẽ mulieris deprehendit.

Inęqualis pulſus.

ſaltare nunciaretur, turbatum multifariã, deprehendi ita mulierẽ Pyladem amare: atq; hoc exactè obſeruatum, diebus ſubſequentibus confirmatum eſt.

Quemadmodum etiã diuitis cuiuſdam ſeruus œconomus ſimiliter cognitus eſt mihi ægrotare. Cum enim angeretur de reddendis rationibus eorũ quę diſpenſarat, in quibus non parum argenti deſiderari ſciens, præ curis vigilabat, & triſtitia contabeſcebat. Cum autẽ prędixiſſem domino ipſius, nullum eſſe affectũ corporeum ſeni, inſpicere conſului, quî timeret, cum ipſe rationes eorum, quæ adminiſtrauit, eſſet repetiturus. nam iccirco triſtitia afficiebatur, ꝙ ſciret non exiguũ in eis deſideratum iri. Quoniam rectè, dixit, conieciſti hoc, conſului firmę agnitionis gratia, vt ei diceret, quantã haberet famulus repoſitam pecuniã, hãc poſtularet, ne de repẽte eo mortuo periret, diſpenſatione in alium domeſticũ tranſlata, quẽ nondũ eſſet expertus: ab illo enim non deſideraret rationes. Poſtquam dominus hæc ſeruo dixiſſet, is perſuaſus ſe non examinatũ iri poſtea, eóq; euadens lætior, tertio die naturalẽ corporis habitum recuperauit. Cur nam igitur priores medicos & mulierẽ & famulum viſitantes hæc latebant? Nam ex cõmunibus ratiocinationibus huiuſmodi inueniuntur, etiam ſi exiguam ſpeculationis medicæ ſcientiam habeant. Ego ſanè puto, eo quòd nullam habent cognitionẽ eorũ, quæ corpus propter animi affectus pati conſueuit. forſan quòd neq; ob contentiones & metus ſubito animũ turbantes pulſus mutari, cognoſcũt. Quod Eraſiſtratus intelligens, quando mulier in eadem domo cum ægrotante eſſet, facilius inuenit, vt quæ ab adoleſcente frequentius videri poterat, non pluribus diebus quemadmodum Pylades: qui neq; tunc apparens, ſed auditus tantũ mulierem turbaret. Nugæ igitur ſunt pulſus iuxta amatorium affectum moti, eorum, qui ignorant nullum quidẽ pulſum amoris eſſe indicem: ſed anima turbata ob quãcunq; tandem rem pulſus alterari, neq; naturalem æqualitatem, neq; ordinẽ conſeruantes. Itaq; cum vnũ adhuc adiecero, ob quod ſtatim ſanè obſtupuit Boethus, vbi autem quomodo eſſet inuentũ, audiſſet, admirari non amplius ſe dicebat, ſed ignorantes ſpeculationem tanquam indoctos damnare, ad aliud quid digrediar.

Historia de ſeruo quẽ Galenus cura ari gi deprehẽdit

Cum itaq; alter filiorum ipſius ægrotaſſet, deinde conualuiſſet: cúmq; mox recidiuam morbus feciſſet, iterũmq; ceſſaſſet, & poſt hæc rurſus puer febricitaſſet, dixi eum clanculum comedere. Nam quæ manifeſtò ei dabantur, præterquam quòd qualitatibus eſſent idonea, etiã quantitate moderata fuerant. Quapropter matrẽ pueri, vbi diligẽter ſe ipſum ob ſeruaturã promitteret, cõſtituit cuſtodem, quæ toto die aſſideret, prohiberétq; domũ illam ingrediũtes, in qua ipſe dormiebat, occluſam interius ab ipſa exactẽ. Poſteaquã quatuor iam diebus ita obſeruaretur, noctu incaluit. Ob quod Boethus mihi indignatus, & acceptũ domum ſuã deduxit ad puerũ. Secuti autẽ ſunt ipſum etiã, qui in via occurrebant, inter quos & tu eras. Puerũ deprehẽdi ex cubiculo vnà cum matre ad aliud domicilium digreſſum, vbi etiã lectus erat, in quo mater pueri decumbebat: lectica verò, quædam exigua inter duos lectos inferius, iuncta, in quã puerũ collocans obſeruabat ne quis eum accederet. Porrò ſedile vnũ lecticæ mediocre ad ceruicẽ eius habebatur. E regione iuxta ſuperiores lecti terminos, duo ordine ſedilia vicina erant: ſuper quæ Boethus nos collocans, ipſe vxori aſſidẽs, Adduxi Galenũ, inquit, hũc, vt audiat abs te, quàm diligẽter hiſce diebus puerum cuſtodieris, ne quicquã in victus ratione peccaretur: quæſitúſq; prius reuera nocte febricitauit, aut tu, cum

Historia de filio Boethi.

calidiorem ipsum factum esse diceres, desipuisti prætimore, quæ putaris febrem esse caliditatem ob aliam forte causam obortam: deinde quomodo habeat, manifestò nobis indicet, simulq; omnem victus rationē te doceat. Cum itaq; arteriā pueri in brachiali tetigissem, absq; febri ipsum esse dixi, sed præbere me conuitiorum occasionem ijs, qui me vaticinatorē appellant. Interloquens itaq; Boethus ait, Et ego apud illos te vocare, vt nosti, consueui vatē, cum huiusmodi diceres, quale hostes tui fieri non posse dictitant, vt ex medicinæ speculationibus cognoscatur. Atqui hactenus omnia (dicebam) ostendi talia ex speculatione medica inueniri, & quosdam medicorum ea scripsisse. Dicere igitur iam vaticiniū omnes mihi iussistis, ac ego precatus vos semel adhuc, vt permitteretis mihi pueri pulsum tāgere, posteaq̄ hoc fecissem, testaberis, dixi, ô Boethe, nullum mihi proficiscenti tecū, cum tota via nos disseremus accessisse, qui futurum vaticiniū prædicauerit. Postquā itaq; ipse dixisset se attestaturū, Nouisti, inquam, quomodo ridēs ego aduertere & audire vos iussi vatis oraculum, tale quoddam esse loquutus. Cyrillo huic in domo ista aliquid ex esculentis occultatum est, quod, cum mater ipsius ad balneum proficiscens, domum clauserit, deinde securitatis gratia claui seræ iniecta obsignauerit (hoc enim audio ipsam frequēter facere) absconsum filius accipiens, ita ingerat. Postquam hoc Boethus audiuisset, statim prosiliens ad puerum, corripit ipsum, & in lectum transferēs, lecticámq; sterni iubens, sperabat occultatum quàm primū appariturum. Vbi operimēta omnia, & substernicula excussa essent, pannum deinde perscūtatus est. Postea sedili sublato, num aliquid sub eo occultatum appareret. Cum autē nihil ita apparuisset, translato puero à lecto ad lecticam, lectū totū iterū sterni iussit, ac in risum solutus, quid, ait, vaticinator dicit? Ego autē admiratus, quod nihil inuenisset, vbi occultatum putabatur, id, quod solùm indiscussum remanserat, tanquam nullo, quod quærebatur, in eo contineri suspicante, in altū attollens commouebam. erat autē hoc exiguū matris ipsius velamentū sedili impositum, quo discusso pars panis in eo contenta, in terram decidit, ac vos omnes altissimè clamastis, vnà cum Boetho ridentes, vaticinatoriámq; commendantes. Boethus verò supra omnes ridens admirabatur, quomodo pulsus esculentū reconditum indicare posset. Sed quid puer facturus esset matre lauante, indicaui: dixíq; præterea, O vir acerrime, pulsibus hoc non indicantibus, Galenus coniecit. Nam ostio exactè clauso, puerum sine metu comedere potuisse, haud erat difficile coniectu. Imò etiam quòd aliquid occultatū esset, idq; esculentum, pulsus sanè non indicauit: verū turbatum ipsum puerum conspicatus, intellexi vt in muliere amante & seruo timente, turbationem ex animali quodam affectu obortam, quum puer omnino febri vacaret. Rogabis igitur forsan, vnde id, quod occultatum erat, esculentum esse coniecerim. Audi iam de hoc quoq; turbationē animi. Quum puer neq; causam esset dicturus in iudicio, nec luctaturus, neq; certamē solemne initurus, ob rem corpoream magis quàm animalem turbari eum ratio indicat.

Quæ cum audiuisset Boethus, Per deos, inquit, mirandū est tam nota medicamēta nullum medicorū cognouisse. Vnde clarè constat, & ipsos huiusmodi opus nunq̄ ostendisse, ac te omnia aliunde potius, quàm ex medicina,

facere dictitant. Videntur autem aiebat, non modò ignorare, qualis sit contendentium pulsus, sed neq; si fortè aliquis ipsorum nouit, quæ tu ratione disquisieris, posse desquirere: eo quòd nec natura prudentes, nec disciplina mentē exercuerunt. At in malignitatis (aiebat) operibus & exercitati & sapiētes sunt. Horū igitur, ô Epigenes, teipsum testem habeo: aliorum autē multorum, quæ in prima profectione omnia à me gesta sunt, alios. Audisti ea ab illis, qui à me sunt curati. Vnum igitur reuera mirabile, non tantùm me præter omnium opinionem dicentē, vt antea pleriq; medicorum nominabant, sed etiā præter opinionē facientem, appellari effecit. Nam Boethi vxor fluore muliebri, vt appellant, infestata, cū per initia celebres medicos, è quorum numero & ego iam vnus esse omnibus videbar, reuereretur, consuetis obstetricibus optimis quibusque in vrbe seipsam concredidit. Postquā verò nihil iuuaretur, Boethus congregatos nos omnes consulebat, quid esset faciundum. Cum itaq; inter nos cōuenisset, vt secundum scriptam ab Hippocrate, & præstantissimis post ipsum curationem vniuersa fierent: cúmq; ipse Boethus cuperet me frequēter famulantibus ipsi mulierbus adesse, ac materias particularium præsidiorū vniuersalem scopum respicientium, intueri, quæ huc potissimū spectabant, vt siccarent quidē, non modò vteri regiones, sed etiam totum corpus, ita vt & vnctiones astrictoriæ muliebribus locis adferrētur, sic faciebam. Verùm cum hæc agendo, dispositio deterior fieri appareret, dubitatio, vt verisimile est, omnes nos inuasit: ac quærētibus aliam curationis rationē ad quam digrederemur, non ex ratione aliquis inuenit, neq; ab experiētia suggerebat meliorē ea, quæ apud optimos medicos in confesso est. Interea & tumor aliquis in ventre visus est similis ei, qui grauidis accidit, quē nonnullæ mulieres ex iis, quæ ipsi inseruiebant, existimarunt reuera ob conceptum accidisse, non tamen aliorum medicorum quisquam arbitrabatur. Nam muliebris fluxus notæ, quæ quotidie excernebantur, opinioni huic repugnabant. Cum itaq; mulier eam obseruans, quam præstantissimam esse crediderat, tum alia faceret, vt in grauida, tum quotidie lauaret, accidit in prima balnei domo, vt vehementissimo dolore oborto, quales parietibus accidere consueuerunt, aqueus humor euacuaretur tātus, vt animo defecto mulier è balneo exportaretur. Dum autem famulæ ipsius lugerēt, clamarēntq; omnes, nulla verò nec pedes, nec manus, nec os ventriculi, quod sanè & stomachum consueto vocabulo appellant, perfricaret, ego forte fortuna ante externum balnei ostium stans, clamore exaudito insilij: ac intuitus ipsam perfrixisse, nardino vnguine in manus sumpto stomachum fricui, iussiq; præsentibus, ne frustra vociferantes, otiosæ consisterent, sed aliæ pedes excalfacerent, aliæ manus, nonnullæ odoramenta naribus offerrent: atq; his tunc statim ipsam recollegimus. Lætabatur autē mirificè obstetrix, ventre ob euacuationē compresso, non adeò, q̄ falsa esset, quę parere ipsam opinaretur: sed q̄ dispositioni nobis non credentibus contradixerit, ceu rē scientificè noscens. Porrò dum ambigimus, quid faciendum esset, similíne, vt prius, scopo mulierē medicari auderemus, an ad alium transire, solicito mihi per noctē tale quid in mente venit: Ac memini, deliquio animi, vt dicebam, orto, quādo etiam mulieres nihil quidē auxiliari dicebam, astare autē plorantes, ego verò vnguento nardino in manus sumpto, os ventriculi & præcordia perfricare, tantam in his regionibus mollitiē musculorum per præcordia inuenisse, vt cum per initia violentius ea infricare

Boethi vxor fluore muliebri infestata à Galeno curatur.

B. statuissem, timens postea, ne carne pressa particulam quandam liuidam efficerē, à violentia destiti. Vt enim quis per summa voluerit assimilare omnia præcordiorum loca, similia lacti sanè in casei generationē coalescēti, non tamē iam concreto mihi apparuerunt. Itaq; immoderatam affectus casei modo aquosi humiditatē siccare omnes statuimus, ac curationis modum inuenire, ex materie, quæ non tantùm siccet, sed etiam calefaciat, quod par est: ne corpus contabescat frigida tēperie immoderatè præditum, præsertim cum æstiuo tēpore contrarium tunc nos moliamur. Atq; ideò maritimę arenæ calidæ eā immisimus. Ratiocinatus autē etiam aliud quoddam cōmunius peccatū in plerisq; affectibus frequenter à medicis committi, qui superfluum quidē inaniunt, vt autē inanito simile generetur, dicere omittunt: cogitaui victus rationis consilium instituere ex potione paucissima: totius corporis frictione, præterea vnctione, ita præparata, non ex pice & resina, sed ex melle solo largius quidem cocto, sed refrigerato tantum, vt aquæ fontanæ æstiuis horis sit persimile. At quemadmodum satius esse noui superfluam humiditatē per cutem dissipare, eodem modo vrinā mouētibus medicamentis ipsam ad vesicam deducere: cæterùm, vt aluus subducatur, cura habenda est. Facto autē diebus post subitam excretionē circiter septē subsequentibus, experimento, secundum quos Boethus omnes nos & priuatim & communiter rogabat, vt aliquē curationis modum prospiceremus, abduxi tum à præsentibus & familiaribus & amicis in domo seorsim, ac cum eo disserui. In nullo, inquiens, ne in vno quidē opere medico hactenus errasse me cum scias, tu considerato apud te, an decē in totū diebus permissurus sis ea, quæ circa vxorē tuam facere instituo: & si melius habere quolibet die videatur, postea alijs totidem diebus aliquid ei facere cōcedes: sin minus tunc & ego prorsus ab ea discedam. Quod cum promptè ille annuisset, primū sanè medicamento aquā ducente per aluum euacuaui, postea bibere aquā, in qua decoctum sit asarum & apium. Vbi verò primis diebus duobus his administratis nihil ex fluore apparuisset, tertio rursus exhibui, non copiose per aluum euacuās id, quod prius in vterū vergebat, non modò per vrinas, sed etiam per ventrē inferiorem deriuare cupiēs. Post hæc corpus melle singulis diebus illeui, ac perfricui, primùm sanè linteis mollissimis, deinde durissimis: dedíq; carnes auium montanarū, & pisces saxatiles exhibui. Postquā verò his remedijs quintodecimo curationis die aduenieūte, nulla prorsus affectus nota appareret, Boethus intelligens plus à me, quàm essem pollicitus, præstitum, rogabat, vt in totum dispositionē persanarem, præceptiones darē in reliquum tēpus, ne amplius similiter ægrotaret. Quoniā verò mense completo colorata exactè erat, vt nihil planè à naturali habitu desideraretur, nihil quoq; ex fluore cōspiceretur, quadringentos aureos ad me misit, auxítq; generosorum horum medicorum inuidiam, inde quòd me laudibus extolleret. Quinetiam ipse quemadmodum & Seuerus, opera à me gesta haud detrectabat indicare Romanorum vrbis Imperatori Marco Aurelio Antonino. Lucius enim ab vrbe discesserat Parthici belli gratia, quod à Bologesō ortū erat. Ac ego intellectā ipsorū promptam voluntate, ac veritus, ne, dum hoc illi agerent, à reditu in Asiam impedirent, rogaui eos, vt pauco tēpore id differrent. Ego enim dicebam me tēpus ipsis hunciaturū, cum hoc in gratiam meam fieri vellem. Quando igitur bellum cessasse intellexi, statim ex Romanorū vrbe discessi, ceu nimirum in Campaniam iturus.

Curatio fluoris.

Quadringentos aureos Galenus ex curatione accepit.

Galenus conditionē apud Imperatorem refugit: hodie miris artibus apud reges esse & pricipes contendunt. Galenus Romam reliquit ob medicorū improbitatē.

famulo videlicet vno relicto, qui domum obseruaret: cui iniunxi, vt nauigio ex ijs, quæ in Asiam proficiscuntur, inuestigato, statim adducto quodam institorio ex Bebura emptore venderet ea, quæ in domo haberentur, exiretq; protinus vrbem, & nauim ingressus, Siciliam adiret, inde in patriā reuerteretur. Hæc igitur paulo pòst gesta sunt. Ego autē per Campaniā profectus, illinc postea ad Brundusium contendi: quò perueniens statui prima quaq; naui siue in Dirrhachium, siue in Græciam nauigaret, permeare, veritus, ne quis præpotētum virorum, vel etiam Imperator, cognito discessu, tanquam fugitiui, militem mitteret, quo me Romam iuberet reuerti. Ego itaq; post vnum diē Casiopen nauigaui. Amici autem Romæ dum me quærerent, & à famulo relicto sciscitarētur, vbi nam essem, audirent autē me in Campania agere, primū sanè id, quod factum erat, suspicabantur. At procedente tempore, cum neq; me, neq; famulum meū Romæ viderent, intellexerant ea, quæ ab initio dicebā, esse facta: atq; tunc vix persuasum habebant omnes, qui prius non credebant, reuera mihi institutum fuisse Romā relinquere: quoniam non falso sed verè id dicebam. Haud multo tēpore pòst Lucius reuersus est, sed alterius belli, quod contra Germanos susceptum erat, initiū constitutum. Porrò vbi mentio de his, qui operibus non verbis medicinam philosophiámq; ostenderent, fieret, haud pauci ex familiaribus ipsius talem me esse nominabant. Egressi igitur iam ex vrbe ad bellum, statuētésq; per hyemem in Aquilia degere, ac præparato maturatóq; exercitu mittūt ad me, iubētes, vt ad ipsos venirem. Verùm cum Lucius media hyeme fatis cōcessisset, frater ipsius corpore Romam translato, factísq; ei iustis, profectionem ad Germanos suscepit, iniungēs & me ipsum comitari. Quoniam autem benignus erat & humanus, potui, vt nosti, ab eo impetrare, vt Romæ manerem, quia statim erat rediturus. Toto igitur, quo ipse aberat, tempore, memor ego consuetæ vrbis medicorum & philosophorum improbitatis, decreui inde recedere aliàs in alium locum, vbicunq; filius ipsius Commodus esset, qui à Pitholao educabatur: cui Imperator ipse Antoninus iniunxerat, vt si quando puer ægrotaret, me ad curationem eius accersiret. Cum autē ipse diutius in bello Germanico, quàm putarat, moraretur, vniuerso hoc tempore multa opera conscripsi & philosophica & medica, quæ rege Romam reuerso amicis petētibus exhibui, sperans ipsa apud solos illos fore. Nam si indignis communicatum iri sciuissem, ne illis quidē dedissem. Voco autē indignos, qui animo praui non vt discant aliquid ad lectionē se conferunt, sed vt quædam ex ipsis possint calumniari. In his igitur libris tota speculatio prænotionis ex pulsibus, & aliorū præsagiendi modorum tradita est. Quam igitur prænotionē in altero Quintiliani filio molitus sum, si inde voles discere, ex qua speculatione facta sit, facilis & perspicua tibi erit, cū opus de iudicijs perlegeris, ingeniúmq; exercueris in geometria & dialectica. At vulgares hi medici, qui ab operum exercitio destiterunt, ad imposturas autē conuersi artem in eis exercuere, neq; intelligere quippiam ex ijs, quæ sunt scripta, possunt, nec audire. Sextus igitur acutissimè cœpit laborare, vt septimum diem citra crisim egredi non posset. Quæ verò huius ipsius prænotio sit, commētarijs de crisi proditum est: quibus etiam crisim frequenter anteuertere ac prærumpi, dum non expectat diem fideliter decernentem, ostendimus. Hoc autem cùm Sexto posset accidere, statui in quarto die ceu prædicere Pitholao, roganti quid de futuris augurarer.

Galenus ab Imperatorib. vocatur.

Quo tempore Galenus opera complura scripserit.

Tales multi sunt ad calumniandū quàm ad laudādum promptiores.

Tales plerîq; Auicennistæ sunt.

Filius Quintiliani Sextus.

Præsagia Galeni in Sexto.

Interrogabat autem hic, cum præſciret me multa ex his, quæ ſapietiſſimi medici fieri non poſſe arbitrantur, præſagiſſe. Reſpondi igitur ipſi ridens, extra ſeptimum quidem diẽ morbum progredi non poſſe, ſed omnino aut ſexto aut ſeptimo criſim expecturũ. Quòd ſi igitur ſexto fuerit iudicatus, recidiuã eius eſſe timendam: ſin autẽ ſeptimo, firmam habiturum criſim, eámq; fore neceſſariò per ſudorem. Poſtquam verò ſexto die criſim ita expertus eſſet Sextus, natura admodum contentioſus, vt me corriperet, recidiua non facta, lauabat ſanè quotidie, neq; vinum bibebat, neq; aliquid præter ptiſanæ cremorem, vel ſolum, vel cum micis panis aſſumebat: frequenter & pane ipſo in aqua macerato cõtẽtus erat. His ad duodecimum vſq; diem factis iactitabat, in eo prænotionem meam ſe viciſſe. Bibebat autẽ tertiodecimo die vini aquoſi pauxillulum, necnon totam victus rationem pleniorem paulo priori inſtituit, ſeruans tamen adhuc tenuem. Sequenti die à primo decubitu quartodecimo, febricitare orſus, iuſſit vt nemo mihi indicaret, putans neq; vehemẽtem fore febrem, neq; die diutius vno duraturam. Vbi verò procedẽte die ſemper etiam magis incrudeſceret, Claudius Seuerus reuertens in ſuam ipſius domum illi vicinã, cum audiret ipſum febricitare, ac vehemẽter iam affligi offenderet, primùm ſanè rogabat, quam ſententiam ego de ortæ febris initio nunc habere ei viderer: auditáque ab ipſo veritate, ꝙ ob contentionẽ noluerit quenquã ad me, qui indicaret, accedere, Claudius ipſe iuſſit vt Sextum inuiſerem, ac poſtea ad ipſum accederẽ. Quibus factis rogabat, quid mihi de morbi recidiua videretur. Reſpondi igitur ei, quod & Sexto prædixerã, poſt tres dies acceſſionem hanc ſolutũ iri, febri in ipſis admodum calida reddita: deinde criſim ſeptimodecimo poſt initia die expertura. Sextus igitur libenter audiens ſolutionẽ breui futurã, promptè credidit. quod enim nimirum vnuſquiſq; cupit, id etiam futurum putat. Seuerus autẽ quòd quidem non erraſſem in Sexto ſeruando, fidem mihi adhibuit: veruntamen diem, quo prorſus à morbo liberaretur, nõ credidit: difficile eſſe autumans, vt non expectato vel ſequenti die certi aliquid de his, quæ quarto die futura erãt, pronunciarem. Atq; ſic affectus miſit multo manè ad domũ Sexti, dicens ſe expectare, vt me vocet, quò poſtꝗ illum inuiſiſſem, ad ſe venirẽ. Vt igitur inuiſi Sextũ, ad ipſum ſum profectus. Contradices, inquit, ijs, quæ heri protuliſti? aut in ijſdem perſiſtes? Poſtꝗ verò nunc magis quàm heri eadem ac conſentanea prioribus pronunciare me dixiſſem, à prandio rurſus aduocatũ interrogabat denuo, an firmiter criſim Sexto futuram perſuaſum haberẽ. Audiuit igitur me id magis, quàm heri affirmare. Item ſecundo die rogabat, eandem'ne ſententiam cum prædictis ſeruarem, an aliquid ex prolatis immutarẽ. Imò, inquã, tantum abeſt, vt quid ex illis recantẽ, vt etiam nonnihil commemoratis adijciam. Quo audito ille quærebat, quid id eſſet: dixi, nocte ſeptimadecima præterita, ſudorẽ circa horã ſecundam noctis incepturũ. Num igitur hæc quoque narraſti Pitholao, ait? Reſpondi & me dixiſſe, & illum habere perſuaſum nihil à me vel in prædictione, vel curatione eſſe erratum. Omnino igitur (inquit ille) etiam Imperatori Pitholaus hæc indicauit? Ad quod ego reſpondi, pro arbitrio Pitholaus agat, gloriam ex huiuſmodi non admodũ venor. quippe non obambulo, prænotiones meas, ac curationes præconio efferens, quò magis tum medici, tum philoſophi me odio proſequantur, præſtigiatorem, & vatem appellantes, aliáque id genus conuitia in nomen meum proclamantes. Vo-

Γνώμη.

Galenus non eſt bonus caballiſta.

bis autem amicis, qui artē medicam ex horū inſcitia damnaſtis, oſtendo ſanè eam & Apolline & Aeſculapio dignā, medicos autem hos dehoneſtare: ſicut etiā philoſophos, philoſophiam. qui cum ne vllo quidem idiota incorruptius viuant, venerando philoſophiæ nomine ſe appellari patiuntur. Hæc quidem Seuero dixi. Tu autem ô Epigenes, medicorū ferè omniū malitiam nouiſti, qui me ſucceſſu proſpero fruſtrari manifeſtò optant, mittūntq; toto die, qui quid accidat, indipiſcantur, eíſq; nuncient. Non enim ſcierant me Seuero & Pitholao prædixiſſe, veſperi criſis futurum principium. Poſtquam autem circa ſeptimam horam acceſſionem Sextum inuaſiſſe intellexerunt, in cachinnos ſoluti, palámq; gauiſi omnibus, qui occurrebant, conuitioſe dixerunt, mirandam Galeni diuinationem contrario modo eueniſſe. Oborta verò criſi, vt prædixeram pridie, vice verſa omnes pudore ſuffuſi ſunt: cum tamen hæc prænotio nihil haberet admiratione dignū, vt oſtendi tibi cum in cōmentarijs in primum de morbis publicè graſſantibus, tum præterea in opere de criſibus. At hi medici non modò, quæ à veteribus ſcripta ſunt, ignorant, ſed ne dies quidem adhuc poſt ſeptimum numerare poſſunt, præſertim ſi æger à febri immunis, rurſus ex recidiua febricitet. Attamē Hippocrates in Epidemiorum libris omnes dies in ſingulis ægrotātibus adusq; ſolutionem extremam, non ſolùm eam, quæ quartodecimo die, ſed etiam quæ ſexageſimo, aut octogeſimo accidit, memoriæ prodidit. Hæc igitur prædictio, vt dixi, tanquam admiranda etiam vulgaribus iſtis medicis putabatur, ſed talis reuera non erat, ſicut nec curatio pueri ipſius Cōmodi, quæ ijs, qui aderant, conſcijs peregrè illo agente fuit adminiſtrata. Illa porrò verè admirabilis, quæ in ipſo Rege accidit: dum ipſe quidem, ipſiúſque medici, qui cum eo peregrè fuerant profecti, acceſſionem quandam febrilem incepiſſe opinarentur: errarent autem omnes, & in ſecūdo & tertio die manè & circa horam octauam. Sumpſerat pridie medicamentum ex aloë amarum hora prima: deinde Theriacen, vt conſueuit quotidie aſſumere. Ac cum circa horam ſextam ingeſſiſſet, mox ſole occiduo lauiſſet, cibóq; vſus eſſet modico, oborta ſunt tota nocte tormina, necnon alui inanitio: eóq; ipſe febri correptus eſt. Quod cum medici ipſius vidiſſent, conquieſcere iuſſerunt, deinde ſorbitione ad horam nonam aluerunt: poſt illa ego vocatus ſum, vt & ipſe in Palatio dormirem. quo facto ecce venit aliquis, qui nos lucernis accēſis iuſſu Imperatoris acceſſiuit. Iam circiter tribus præſentibus, qui in diluculo ipſum inuiſerant explorarántq; pulſum, initium quoddam acceſſionis omnibus eſſe apparebat: me autē, cum tacitus aſtarē, intuitus Imperator, primū interrogabat, cur alijs pulſum tangentibus, ego ſolus non tangerē. Reſpondi igitur tunc in hunc modum. Cum hi bis iam tetigerint, & fortè iam pulſuum tuorum proprietatem vſu ac experientia cognitā habeant, vt qui tecum peregrè fuerint profecti, magis ipſos ſpero diſpoſitionē præſentē modò agnoſcere. Quę cum dixiſſem, iuſſiſſétq; ipſe me pulſum tangere, iſq; appareret iuxta communē omnis & ætatis & naturæ menſuram, plurimùm abeſſe ab eo, qui acceſſionis initium indicaret pronunciaui: inuaſionem quidem nullam eſſe febris, ſed ſtomachum aſſumpto alimēto comprimi, quod in pituitam verſum eſſet, antequā excerneretur. Quæ dinotio cum laudem aliquam mereretur, ipſis his verbis ter ordine Imperator dixit, Ipſum eſt, hoc ipſum quod dixiſti eſt, ſentio enim à frigidiore alimēto me grauari. Rogabat igitur, quid eſſet faciūdum. Ego ſanè reſpon-

Indocti medici artē ſua inſcitia infamāt.

Dexterrima Galeni & prænotio & curatio.

Galenus ſolus Imperatorem curat.

Respõsio Galeni ad Imperatorem Modestum.

Imperator Galenum laudat.

Galenus primus medicorum, solus philosophorũ dictus ab Imperatore.

Tales hodie non sunt scilicet.

Galeno tact⁹ exactissimus.

di, quæ sensi, dixíq; ad eum: Quòd si alius quispiam ita esset affectus, darem ei, quemadmodum consueui, vinum potui, cui piper esset inspersum. In vobis autem regibus, cum medici præsidijs securissimis vti soleant, abundè est lanam potius nardino vnguento calido imbutam, ventriculi orificio imponere. Ille alioquin etiam sibi consuetudinẽ esse dixit, cum aliquando de stomacho cõquereretur, nardinum vnguentũ calidum purpurea lana exceptũ, applicare. Quod cũ Pitholao facere iussisset, ac nos dimitteret, imposita ea, & pedibus manuũ calidarum confricatu excalfactis, vinũ Sabinum postulauit, piperéq; iniecto bibit: ac post potionẽ Pitholao dicebat, se medicũ vnũ, eúmq; admodũ liberũ habere; ac nũq̃, sicut & tu nouisti, me prædicare destitit: primũ sanè medicorũ esse, philosophorũ autem solũ. quippe expertus erat iã multos non modò pecuniæ studiosos, sed etiã contentiosos, gloriæ cupidos, inuidos, & malignos. Quod igitur ego dixi, hac inuestigatione nullam puto mihi magis admirabilẽ obtigisse. Cũ enim quæratur ab omnibus, qui optimè in pulsuũ arte exercitati sunt, quorũ vnus etiam Archigenes extitit, signũ aliquod accessionis peculiare, & in quibusdam per initia arteriæ systolen inueniri ipsi dicant, nonnulli verò neutiq̃ sensibilẽ esse systolen, felicẽ me existimo. Quid enim aliud dixeris, cui tactus etiã in exigua pulsuũ differẽtia percipiẽda exactissimus contigerit? Medicorũ autẽ aliquos adeò aberrãtes sum expertus, vt qui accessionẽ habere inciperẽt, relegarent in balneũ, aut cibum assumere iuberent, id quod ego prohibui. Perpetuò igitur exactè expertus me cognoscere accessionis initiũ, præcipitantius forsan, attamẽ ausus sum asseueranter Regi dicere ex primo pulsus tactu aliam sententiã, q̃ & ipse apud se opinabatur, & à medicis audierat. Quod porrò in Cõmodo præstiti maximè aiũt mirandũ esse, at reuera permultũ ab hoc abest. Nam à palæstra reuersum ante cibum ingestũ febris admodũ calida inuasit: mihi autẽ pulsu explorato particula quædam inflammationem sustinere videbatur. Quibus auditis Pitholaus admirari se dixit, si tonsillarũ inflammatio pueri pulsum immutaret. Nulla enim alia ipsius pars inflãmatione tentabatur, atq; interea ore ipsius adaperto inspicere iubet. Vbi iam loci apparerent asperi, multúmq; rubentes, non tamen magnũ haberet inflammatio tumorẽ, rogabam, quis confricuerit eam medicamento stomatico, quod vehementiorẽ q̃ puero conueniat, astrictionem repræsentat. Vbi seipsum respondit fricuisse ex melle & rhu medicamẽto, iussi vt ad mulsam, in qua rosæ decoctæ essent, digrederetur, atq; hac sola vteretur nocte & sequẽti die toto frequẽter simul & nocte succedanea. Tertio die manè postq̃ inflãmatio cessasset, ac puer paulo minus tota febri careret, persuasi Pitholao, vt eũ in balineas vicinas cubiculo, in quo decũbebat, introduceret, ita vt solij aqua copiose vteretur: qua omnes quidẽ aliæ particulæ irrigarẽtur, solùm autẽ caput superfunderetur abundé. Cæterùm cibo ad horã tertiam assumpto, Ania Faustina cognata Imperatori è proximo accessit, excusans se, q̃ altero die ipsum non inuiserit, heri inquiẽs de febri oborta certior facta sum: atq; his adhuc adijciebat, manifestũ esse, nos octauam horã, qua inuadebat accessio, egredi debere. Ridẽs igitur Pitholaus, ait: Quid ni Thessalicam diatriton eramus egressuri. Verũ Galenus hic, inquit, speculatus manè gracile corpus pueri, siccúmq;, totũ lauacro credidit, cibúmq; obtulit,

Ania Faustina.

nequaq̃ febricitaturũ puerũ referens: iterũ'q; in balneũ deducere vesperi iussit, cœnámq; præbere, quali sanus vtebatur. Hæc audiens Faustina paulisper ibi morata, manu me prehendens, medicũ quendã, ex his, qui eum erant comitati, Methodicũ secum eduxit, iocánsq;, Galenũ, inquit, hunc nouisti nõ verbis, sed operibus (Faustina Methodicũ cum Galeno committit.) cũ vobis Methodicis pugnare. Frequenter enim iã multos febricitare incipiẽtes lauit, vinúmq; potui dedit: nõnullos etiam primo, quosdam tertio die ad cõsueta munia relegauit: in quo omnes vos primis diebus duobus inediam præscribitis, ac suspectas horas egredi decumbentes obseruatis. Ac nũc ideo sciẽtiæ certitudo indicatur in regio puero, qui patre peregrè agẽti in primis duobus diebus vehementer febricitauit, vt etiam vos heri audiuistis: tertio die non differre cibum, vt vos præcipitis, post horam octauam sustinuit, sed iam lauit nutriuítq;: & educator ipsius Pitholaus in huiusmodi rebus exactissimus, vt diligẽtia ipsius timiditas sit, eo quòd viri artem prius esset expertus, persuasus est, vt & lauaret puerũ, & ante horam suspectã aleret. Huiusmodi sanè dicebat vsq; ad vehiculum pergẽs: ego verò cum illa esset ipsum conscensura, recedens dixi, Fecisti me multo magis quàm antea à medicis odio haberi: ac digressus Pitholao ipse narraui. Quin etiã propter huiusmodi medicos opera cõscripsi, vnum de febrium differentijs, alterum de diebus decretorijs, ac tertium de crisibus: ostendens ab Hippocrate traditam esse speculationem, ex qua quis ea, quæ ægrotis superuenient, præno scit. Hi autẽ tam sunt malè nati, ac rudes, vt ne mea quidem expositione adiuti ea possint intelligere. Nam tu ipse nosti Epigenes charissime, conscripta à me de his omnibus, quæ vidisti me prædicere, fateri ab Hippocrate esse indicata, præter solam pulsuum speculationẽ: quam etiam vnam non elaborauit, sicut qui eum ætate secuti sunt, alius aliud ei adijciens, ad hunc vsq; diem exornarunt. Etenim corporis dispositionum cognitio ex speculatione petitur: sicut rursus ex accurata dispositionum cognitione, futurorũ præcognitio. Iam quod te præsente factũ est in iuuene quodam, cum nonnulli medicorũ, qui Romæ principatum obtinent, de sanguinis missione considerarent, commentarijs, quæ conscripsi, indicatur, ab Hippocrate absolutissimè ostensum. Etenim quintũ iam diem morbi iuuenis agebat, videbatúrq; medicis venæ sectionis præsidiũ esse assumendum, cum affectus eam secũdo, aut tertio, aut saltẽ quarto die fieri desideraret. Deinde cum neq; anni tempus, neq; ægrotantis ætas, quemadmodum neq; vitalis imbecillitas, neq; præcedens victus ratio, indicationem morbo contrariam præberet, omnia verò inter se consentirent, sanguinis missionem indicantia, consuluerunt medici venam incidere, vt par est, sapientes. Ego autem omnibus, quæ apparent, exactè consideratis ab Hippocrate proditis indicijs, eorũ, quibus sanguis erumpet, Rectè, inquàm, ipsos sanguinis detractionem diffinire, sed naturam eò impelli, coactam id, quod se grauat, excernere, atq; hoc statim adeò futurum esse, etiam si nos non faciamus. Medici his auditis admirabantur nimirum. Vbi verò ægrotus in lecto insurrexisset tanquam vellet exilire, rogatus autem, qua de causa exiliret, cum nihil adesset metuendum, dixit rubrum serpentem ex tegula irrepentem se videntem, timere, ne aberrans super ipsum dilaberetur, atque ideo locũ in quo decumbebat, fugere. His sanè medicis id nihil conferre ad futuram sanguinis eruptionẽ videbatur: mihi autem cum alia omnia speculato, tum in dextra nasi parte vsq; ad malas obscuram tunc rubedinem, multo nunc fa-

ctam illuſtriorem, credibile propemodùm iam videbatur ex dextra nare ſanguinē profluxurū manifeſtó. Ac nonnulli ex his, qui aderant ægroti famulis, clanculū iniunxi vas in promptu haberet ſub veſte, ſanguini excipiendo idoneū. Ac deinde omnibus medicis audientibus locutus, ſi pauxillulum manſerimus, hominē ex dextra nare ſanguinem fundentem conſpiciemus. At quū illi riderent, quòd in prædicēdo adiecerim dextram narem: atqui, dicebam, aut ambo oportet fieri, aut in altero me errare. Nam à ſpeculatione vtraque prænotionem habent, tum quòd æger ſanguinem fundet, tum quòd ex dextra nare. Cum igitur viderem ægrum indicem digitum, tanquam prurientem naſo demittere, famulo vas occultanti mentem ei, quod accideret, aduertere iuſſi, vt cum iam ſanguis è nare perfunderetur, accurrens vas ſupponeret. Simulatque igitur hęc dicebam, digitum è nare cruentum extraxit, famulúſque accurrens vas ei ſubiecit. propter quod maximo, vt noſti, clamore orto omnes medici aufugerunt. Ego autem roganti tibi prænotionis ſpeculationē indicaui vniuerſam, ex his, quæ Hippocrates memoriæ prodidit edoctus: præterea hoc adieci, vehementem ſanguinis eruptionē eſſe expectandam. Etenim impetus naturæ valens eſt, & morbus non coctus, cuiuſmodi cauſas immoderatæ ſanguinis vacuationes comitari conſueuerunt. Quare morari aliquandiu apud ægrotum ſatius eſſe ratus, puerū me comitantem miſi, qui adferret cucurbitam magnam multis inſcijs. Ac cum ſubitò copioſus ſanguis in vaſe colligeretur, aliud poſtulaui: ac accipiens ſanguinem, ac pondus, vidi euacuati libras quatuor & dimidias, ægrúmque ſublimem figuraui, ac frigidam poſcam nare haurire iuſſi, impoſuíque fronti ſpongiam frigida mulſa imbutam: ac artubus deligatis, cum nihil hæc omnino proficerent, cucurbitula in dextris præfixa præcordijs ſtatim ſanguinis fluorē cohibui: quod & ipſum ex Hippocratis arte ſumi tibi indicaui, atque non idcircò tum hæc, tum alia omnia, quæ in ipſis operibus oſtendi conſcripta ſunt. Etenim rigorem futurum quomodo prænoſcere oporteat tradidi, alui profluuium, vomitum, copiam vrinarum immoderatam, aut retentionem, ſudores, parotidáſque euenturas, humorum decubitus, delirium, mentis alienationem, aliáque omnia accidentia: quibuſdam autem, vt dixi, antea cognitis, hæc prætereà apud ſe conſideret, quemadmodum ego in Boethi filio ratione collegi, ac in amante muliere, & ſeruo ex metu triſti ac dolente. Nuper, vt noſti, etiam cum tale quippiam prædicerem pręſagium, vulgares iſtos attonitos reddidit. Nam œconomus quidam omnia domini negotia rectè adminiſttans, ac ideo in precio habitus, cum alij medici ipſum curarent, criſim per ſudorē ſeptimo die expertus eſt. Poſtridie pulſum ipſius deficientem inuenientes, malignam in corpore diſpoſitionē latitare opinati ſunt, magno errore: deinde adoleſcente vnà cū domino domū egreſſo caſu mihi occurrerūt, narratis ſymptomatis, quæ pręceſſerant, & in præſentia vrgerēt, quidnam id, quod præter rationē in pulſu euenerat, indicaret, poſtulabant diſcere. Ac ego audiens domum, in qua decubuerat eſſe in propinquo, cum ipſis ingreſſus ſum, tetigíq; adoleſcentis pulſum. Nam in ipſa ſenſibili diſpoſitione frequenter etiam illuſtrium medicorum nōnulli haud mediocriter, vt dixi tibi, errant, dum pulſum non magnum cenſent magnū, quemadmodum interim & citatum, non citatum, vel tardum. Pari modo in languidis, & vehementibus, duris & mollibus pulſibus dinoſcendis falluntur, ac magis adhuc in ordinatis, & inordinatis, æqua-

Quomodo ſāguinē Galenus compreſſerit.

libus,& inæqualibus,tum in collectione, tum in vna diastole: propter quos ego etiam quatuor de pulsuum dinotione libros conscripsi, alios præcedentes quatuor,qui de pulsuum causis titulum habent.Requirit enim vtrosque commentarios opus de præsagiendo ex pulsibus,& ipsum in quatuor libros distinctum, propter quod etiam cõmemorata duo vtilia existunt.At in vno pulsu inæqualitas,vt ostensum est, vehementiori exercitio ad dinotionem sui indiget, vt quæ multas habeat differentias.Pulsus autem & qui vna actione,& qui in pluribus ordine subsequentibus inæqualis est,nihil habet præter naturam aliud,præterquã hoc solum,quòd per intermissionem accidit.Huiusmodi igitur symptoma ab origine esse,scire conuenit, sed quod difficillimè dinosci queat: imò non potest, nisi omnes pulsuum differentias exactè sentias.Intuitus igitur hominem ita habentem consului medicis,vt refectoria victus ratione eum securè crisim expertum alerent,addens quòd cum iam egreditur & consueta obit munia,pulsu ipsius tunc explorato,deficientẽ inuenirent,quemadmodum etiamnũ.Hoc enim ei natura accidisse non ex coincidente aliqua causa morbosa,statim id,quod dixeram ipsis incredibile videbatur:toto autem subsequenti tempore deficientem in vno ictu pulsum aliàs in alio numero inuenturos affirmaui. Postea aliquando accedentes me postulabant audire,quo signo adulescentis naturã talem cognouissem: respondi igitur ipsis,quod Isocratem rhetorem discipulo quandoq; dixisse audiui. Qui cum rogaret,an tribus annis exercitatus posset de vnaquaq; re proposita dicere, vt Socratem orantem videbat,respondisse virum adulescenti ferunt: Te sanè,ô puer,optarem etiam vno die posse discere,quod quæris,verũ pro ingenij infelicitate pluribus ad discendum opus est.Cæterũ cognoscetis,dixi,pulsuum differẽtias naturæ contrarias hoc libro perlecto.Erat autem primus, qui de omnibus pulsuum differentijs dinoscendis tractat, eorum,qui introducuntur exercitij viam tradens,quatuor libris comprehensus. Hoc igitur ô Epigenes medicæ prænotionis opus est memoratu dignum,sicut & id,quod in Imperatore ostendi,cui accessionem ipsum inuasisse videbatur: reliquarum autem, quæ vulgares isti medici admirantur,nullum vel propè simile est.His enim admiranda esse apparent propter multorum ignorantiam,non ijs,qui quæ in arte difficilem habent prænotionem,propter se legitimè exercuerunt.

Isocratis dictum ad discipulum.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE prænoscendo libri finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni ad eos, qui DE TYPIS SCRIPSERVNT DE CIRCVITIBVS liber, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Periodus.

Eteribus sanè medicis abundè hoc solùm fuit dixisse, nonnullis morborum accessiones per circuitum oboriri, quem Græci periodum appellant, non adhuc adijcientibus, quid vocabulum circuitus sibi vellet. Nouerant enim se Græcis hominibus libros scribere, qui manifestò scirent, cum æquali tempore aliquid simile specie fiat, totum hoc tempus Græcos periodos nominare. Ita igitur Olympiacas quasdam & Pythiacas appellabant periodos: recentiores autem primùm sanè periodis, typi vocabulum, quasi dicas formulæ, inuexerunt. Deinde alij idem voce periodus, ordo, & typus significari: alij non idem. Omnia verò hæc diffinire aggrediuntur alij aliter, non solùm proprias diffinitiones constituentes, sed etiam aliorum contradicentes. Qui igitur studiosę diffinitiones tractarunt concedentes tribus nominibus, typo, periodo, & ordine, vnum quiddam significari, minus nugantur. At qui periodum nominant tempus, quo idem fit: typum autem nō absolutè omne huiusmodi tempus, sed cum integris diebus & noctibus circunscribitur, prolixas hi & inutiles nugacitates proferunt. atque iccirco tum suum, tum discipulorum tempus conterētes, vbi ægros accedunt, quouis idiota sunt deteriores. Siquidem idiota mentis compos, cum viderit aliquem quolibet die accessionem experiri, siue paulò tardior accessio veniat, siue præuertat, imaginationem quandam periodi quotidianæ dictæ habet. At si quis & industrius & medicinæ studiosus fuerit, eum notio quædam subit duarum tertianarum, aut trium quartanarum, atq; id à medicis distinctum esse volet. Qui verò prædictis hypothesibus emácipati sunt, si ægroto duabus horis quotidie accessionem anticipatoriá sustinenti inciderint, viginti sanè & duarum horarum periodum esse pronunciabūt: totum verò typum non simplicē, sed compositum quendam arbitrantur: deinde perscrutati plurimum & apud seipsos ratiocinati, alij in digitis, alij etiam in tabella libro cuidam inscripta, duodecim duodecumanas eiusmodi typū esse dictitant. Verùm cum auditores propter hæc rident, indignantur, multo magis cum hora vna quandoq; accessionem præuertentē conspexerint, tunc quoq; vigintiquatuor, vigintiquaternanas esse enunciant: & ipsi rídentur, & alijs medicis quandam ignorantiæ suspicionē apud idiotas cōciliant. Cum enim illos ex libro viderint cum grauitate quadam ceu rem maximā inueniētes vigintiquatuor, vigintiquaternanas, subit ipsis omnes, qui libros legunt, damnare, ac potius irrationali exercitio artem tractantibus sese permittunt. Si igitur quispiam argumenta medicorū huiusmodi nugantiū sequatur, etiam tertianā, cum vel hora vna præuertat, vel tardius accedat, omnia potius q̄ tertianam dicent. Nam præuertentem, quatuor & viginti horarū cum sit, implexū esse dicit quadragesimumoctauum: tardius autem venientē, quinquagesimanam, atq; hanc referre quinq;

& viginti horarum esse. Quis igitur primus inceperit hanc attonitam scientiam, haud noui: quando autem ego primùm eum, qui ipsam indicat, audiuerim, aperiam. Excesserat sanè nuper è viuis Antoninus, qui Adriano in principatu successerat: regnabat autem tunc Seuerus, qui seipsum quidem mutato nomine Antoninum vocauit: Lucium verò, quem in imperij communionem acceperat, Seuerum appellabat. Hoc tempore cum primùm audiuissem, admiratus sum eos, qui in hunc modum proponebant. si quinq; horis aliquis accessionē experitur, duabus remissionem, vt tota periodus horarum septē existat, idq; ordine deinceps fiat, quis typus censeri debeat. Respondi igitur statim ei, id ne fieri quidem posse. nam breues ita accessiones, longas facere declinationes, ac omnino etiam ad integritatē peruenire. Tu accessionem quidem, dicebam, narras morbi mitissimam: periodorum autem frequentia perniciosissimam ipsam rursus pronuncias. Non, inquit, consideretur in præsentia, vtrum hypothesis fieri possit, an minus, exercitij autem gratia huiusmodi inquiri permittito. nam ad variorum typorum inuentionem doctiores nos efficit. Illi igitur, quòd huiusmodi exercitium ineptiores nos potius reddit quàm promptiores, ostendere tunc tentaui: nunc alijs ostendam, vbi prius percensuero, quis tandem huius speculationis vsus existat.

Accessiones prænoscere vtile in febrib.

Quoniā igitur nihil adeò vtile est, præsertim in febribus, vt accessionum futurarū principia prænoscere, si quis statim ab initio artificiali coniectura id potest efficere, plurimū ægrotanti per totum morbi decursum profuerit: sin autē statim ab initio nequeat, procedēte autem tempore possit, reliquo tempore ægrotū iuuabit, & quanto citius in morbi speciei notitiā venerit, tanto longiori tempore ægrotāti auxiliabitur.

Qualis sit febris, discenda per initia.

Incumbendum igitur est statim per initia, vt cognoscas, qualis sit febris, sicut in commentarijs de crisibus ostensum est, ac magna ex parte firmiter licet hanc ex notis illic proditis cognoscere. At si quæ prima die dubitatio fuerit oborta, in secūdo discerni debet: sin etiā hunc quandoq; effugiat, tertio certè cognoscetur. quòd si hūc etiam interim effugiat, quod rarò accidit, saltē in quarto necessariò intelligetur: si neq; in hoc quis morbi speciē cognouerit, sed etiamnū dubitat, magnā partē artis hic ignorat. Nam cū alia, tum accessiones omnes febriū, vel in singulis diebus, vel tertio, vel quarto inuadūt: cum in pluribus sanè morbis, in quibus etiā præcipuè vsus prænotionis est, accessio futuræ tertio quoq; die sit & singulis, in paucissimis autē quarto. Sed dicet forsan aliquis recētiorū horū sophistarū, etiā quinto die periodos quasdā fieri, & sexto, & septimo, nonnullásq; alias ad multos dies extendi: quos reuera beatos prędicare ob admirandam intelligentiam licet; si non assequūtur ex his, quæ dicunt, se totius de typis operis vtilitatem è medio prorsus tollere. Qui igitur confitentes se à primo die febrium species dignoscere nescire, expectant vsq; ad quartum, neq; quintanam aliquam periodum, neq; sextanam, neque extra has aliquam vidisse pronunciant, etiam si non secundo, aut tertio, saltem sequentibus de futura accessione aliquid sperare possunt. Illi verò, qui in numerosam dierum multitudinē dies extendunt, futurā accessionē neutiquā possunt prænoscere. Verbi causa, in primo die ortæ licet & in quotidiana, & tertiana, & quartana, & quintana, omnibúsq; subsequentibus inesse. Si igitur in secūdo die orta est

acceſſio ſiue non, de tertio die nihil poterũt ſperare, qui longas periodos inuehunt. Fingamus itaq; poſt primũ diem neq; in ſecundo, neq; in tertio, neq; in quarto, acceſſionẽ accidiſſe. Qui ſanè tres ſolas periodos nouerũt, hominẽ è lecto erigũt, ac conſueta obire iubẽt, ab omni ſuſpicione liberatũ arbitrantes: qui verò etiam ſequentes, quæ multorũ dierũ ſunt, fieri dicunt, ſimiliter quintum diẽ merito ſuſpectũ habent, queádmodum & alios priores: ita verò & ſextũ, ſeptimúmq;, alióſq; ſubſequẽtes. At ſi etiam in ſecundo die quædam oboriatur acceſſio, incertũ eſt, an ſecundum quotidianæ figurã, proportionẽ cum ea, quæ primùm facta eſt, tueatur, ſiue alterius periodi ſit initium. Hac ratione ſi etiã ſecundum tertiã periodum in ſecundo orta fuerit. Nam ignoranti ſtatim ab initio diſcernere, num quotidiana ſit, an tertiana, ſiue alia quædam febris, incertum, vnáne ſit quotidianæ an duarum tertianarum implexus, vel etiam trium tertianarum. Ac de alijs maioribus periodis eadem ratio eſt. Quòd igitur, qui multas eſſe periodos arbitrãtur, nõ ſolas tres, haud vnq̃ futurã acceſſionẽ prænoſcere poterũt, oſtẽſum iam eſt. Dicamus autẽ deinceps de ijs, qui ſolas tres arbitrãtur, non tamẽ ex propria natura vnãquanq; dignoſcunt, verùm ex acceſſionũ repetitionibus. ita enim ſolent nominare ipſi acceſſionum proportiones. Tales ſi nõ ſemper quemadmodum priores, acceſſionẽ futuram ignorabunt, certè vſq; ad quartum, aut quintum neceſſarió. Ponamus enim in primo die vnã obortã eſſe acceſſionẽ, in ſecundo duas, in tertio rurſus duas, & totidem in quarto. Poteſt itaq; & talis eſſe ſimpliciũ periodorum implexus, vt in primo die quotidiana inceperit: in ſecundo, tertiana: in tertio, poſſit & tertiana, poſſit & quartana, incertum enim hoc ante quintum eſt: deinde in quarto die, quartanæ, quæ ſecundam acceſſionẽ iuxta primum diẽ incepit, & tertianæ, quæ in ſecundo auſpicata eſt, ſecundã. Conſtat autem omnibus quintum diẽ duas habiturum acceſſiones, nempe ſecundam tertianæ, quæ die tertio incepit, & quartanæ, quæ ſecundam die ſecundo auſpicata eſt. Fieri autem poteſt alijs pari modo habentibus, vt duæ aliæ tertianæ, aut duæ quartanæ aliæ in tertio die inceperint. Quoniã enim quartus dies in tali hypotheſi nullam habet cum tertio communionẽ, accidit & duas tertias duáſq; quartanas, & tertianã quartanámq; vnà in tertio die incipere. Mirari autẽ ſubit eos, qui huiuſmodi implexus componunt, quòd non intellexere fieri poſſe, vt duorum typorũ acceſſiones in eandem horam conueniant: quod ſi eueniat, corrumpuntur ipſius repetitionis notæ. In propoſita igitur hypotheſi accidit, vt alia quartana in primo die hora ſecunda incipiat, alia quartana vndecima. Quæ cum ita ſe habẽt, vna in quarto die eſt acceſſio ſecũda hora inuadens: nõ tamen vnã dicunt aliquando fieri ſecundũ ſubiectã hypotheſin, ſed duas perpetuò. Contemplator autẽ, quomodo licet & tres ſimul acceſſiones in vnã horam concurrere, atq; ideo non ignorari implexum ab ijs, qui vniuſcuiuſq; typi ſimplicis ſpeciẽ poſſunt dignoſcere. Fingamus enim in primo die quartanam hora tertia incepiſſe: in ſecũdo, eadem hora tertianam: in tertio, eadem hora quotidianam: neceſſe iam his ſubiectis in quarto die vnam acceſſionem trium circuituũ in idem inter ſe peruenientium hora tertia oboriri. Sed nullus ipſorum hoc literis mandauit, omnes autem tanquam ex vno ore in prædicta nunc hypotheſi in quarto die tres

fieri accessiones dicũt, siue quis singulis diebus semel ægrotum accessionem habere statuat. Nonnulli simpliciter quotidianã pronunciant, nonnulli verò duas tertianas esse, ac tres quartanas posse dicũt. Quomodo sanè discernere ipsas cõueniat, plures ipsorum neutiquã inquisierũt: nonnulli differentia horarũ coniectant, tanquã non liceat hora sexta, verbi causa, omnes diebus diuersis inuadere. Quod si fiat, singulis diebus cõtinget vnam apparere accessionem triũ periodorum inuicẽ implexarũ, quotidianæ, tertianæ, & quartanę. Nam primus dies quartanam habebit solam, secundus tertianã, tertius quotidianã, quartus simul omnes tres in idem tẽpus congressas: ob quas quintus rursus dies quotidianam habebit solam, sextus præter hanc etiam tertianã, septimus tres in idem tempus congressas. Non igitur constat, vt dictum est, vtrum quotidiana vna sit, an duarum tertianarum miscella, aut tertianarum & quartanarum, aut quartanæ, tertianæ, & quotidianæ. Atqui non eadem est curatio tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, nisi & hoc arbitrẽtur. Ex quo enim imperitia simul & impudentia eorum, qui in artem insiliunt lasciuiũtq; præpollet, mirũ nihil est quibusdam etiam talia ignorari: verùm nos nouimus, quam differentem quotidiana vna à tertianis duabus, ac tertianæ à quartanis curationem desiderent: ac neutiquam fieri potest, vt ij, qui vniuscuiusque speciem ignorant, discernant. Ac subinde in ægrotãtibus medicos vidimus duarum tertianarum implexum, quotidianam vnam esse autumantes. quibus persuasimus ægrotum à duabus tertianis infestari, soluta quidem ex ipsis prius mitiore, relicta autem sola difficiliori. Omnes igitur, qui de typis libros scripserũt, videntur nihil curare præsidium, quod ex ipsis in prænotionem & victus rationẽ peruenit: sed queadmodum dicunt, ita quoq; faciunt, exercitia iuuenibus hæc scribentes, similia ænigmatis, quæ in cœna proponũtur. Si igitur ipsos absolutè velint exercere, id facere liceret ducentes ipsos ad geometriã, arithmeticen, logisticen, & dialecticen. At si, vt inuadentẽ accessionem prænoscant, ad hoc perueniunt exercitij, ex toto errant, qui iuuenibus, prauis insistere vijs, ex his persuadent, vnde nihil inueniunt, vel in prænotionẽ, vel in curationẽ vtile: cum liceat ipsos se docere, quomodo accessionem internoscant febris quotidianæ, tertianæ, quartanæ, semitertianæ tertianæ naturam referentis, aliarúmq; singularum, quæ nõ modò circuituũ figura, sed etiam tota natura inuicem differunt. Nam qui has ignorant dignoscere, inutilis ipsis tota de typis speculatio est: præstiterit autem forsan dixisse, quòd tota hæc sit superuacua. Ei verò, qui proprijs signis vnamquanq; febrem nosse studuerit, nõ modò lucro est vanam loquacitatem contemnere, sed etiam victus speciem vnicuiq; conuenientẽ prænoscere. Sed hi sanè adhuc tolerandi sunt. Etenim Agathinus vir non vulgaris, in eiusmodi disciplinam successit. At qui septem horarum circuitus faciũt, desiderabant quidem non nos, sed Philistionẽ, aut huiusmodi similem nugas ipsorum irridentem. Quoniã verò recentiorũ nonnulli me precibus adegerunt, vt quam ego ludens ipsos docui methodum ad typorum, qui in huiusmodi hypothesibus afferuntur, inuentionem, in tabulam reponerẽ, in illorum gratiã etiam diem vnum in hoc sermone nõ grauatim collocaui. Incipiamus igitur iam disciplinam ipsorum, hinc sumpto initio. Typum hi vocãt, non omnẽ circuitũ, sed si quis ex integris diebus & noctibus constitutus est: & secundum vnũquenq; dierum numerum peculiarem typum esse volunt, non autẽ viginti aut triginta

solùm dierum, sed etiam vltra hos typorum circuitus extendentes. At in typis his a accessionis tempus ad alteram accessionẽ non amplius quidem typus, sed hoc solùm periodos ipsis nominatur. Audiui autem iam quẽdam etiam librum integrum non exiguum conscripsisse, docentem, quomodo quis in vnaquaq; periodo accessoria proposita & speciem inuenit, & typorũ numerum: ac per deos admiratus sum, quæ tandem essent, quæ in libris dicit. Nam methodus, ex quibus quis inueniat, quot sit typorum implexus, paucissimis versibus doceri potest. Talis cum sit, numerũ horarum vniuscuiusque typi promptum habere conuenit, vel in memoria, vel in charta descriptum. Quotidianæ typum vigintiquatuor, tertianæ quadragintaocto, atq; ita deinceps quartanæ quidem septuagintaduæ, quintanæ nonanagintasex, sextanæ centũ viginti, septimanæ centum quadragintaquatuor, & aliarum, vt hæc tabula subscriptum habet.

TYPI HORAS.			
Quotidianus	24	Vigesimanussextus	609
Tertianus	48	Vigesimanusseptimus	624
Quartanus	72	Vigesimanusoctauus	648
Quintanus	96	Vigesimanusnonus	672
Sextanus	120	Trigesimanus	696
Septimanus	144	Trigesimanusprimus	720
Octanus	168	Trigesimanussecundus	744
Nouanus	192	Trigesimanustertius	768
Decumanus	216	Trigesimanusquartus	792
Vndecumanus	240	Trigesimanusquintus	816
Duodecumanus	264	Trigesimanussextus	840
Tridecumanus	288	Trigesimanusseptimus	864
Quatuordecumanus	314	Trigesimanusoctauus	888
Quindecumanus	336	Trigesimanusnonus	912
Sexdecumanus	360	Quadragesimanus	936
Septemdecumanus	384	Quadragesimanusprimus	960
Octodecumanus	408	Quadragesimanussecundus	984
Nouemdecumanus	432	Quadragesimanustertius	1008
Vigesimanus	456	Quadragesimanusquartus	1032
Vigesimanusprimus	480	Quadragesimanusquintus	1056
Vigesimanussecundus	504	Quadragesimanussextus	1080
Vigesimanustertius	528	Quadragesimanusseptimus	1104
Vigesimanusquartus	552	Quadragesimanusoctauus	1128
Vigesimanusquintus	576	Quadragesimanusnonus	1152
		Quinquagesimanus.	1176

Huiusmodi habeãt in charta tabulam paratam, qui facilè calculari nõ possunt. Post huius apparatum inspiciatur proposita accessio horarum pro ratione accessionum recurrẽtium, cuius primus scriptarum numerus est particula. Cum enim ipsum inuenerint, typi genus habebũt. genus autẽ vel speciem, vel formã, vel naturam in præsentiarum dicere nihil interest. Numeris typorum inuentis particulam quoque habebunt. Si enim tertia fuerit particula horarum typi numerus circuitu repetẽs, tres dices typos illos inuicem implexos. Si quarta, quatuor: si quinta, quinq;: numero semper ex parte nomẽ imponẽs. Vt igitur exẽplo

Quomodo typos mixtos esse cognoscamus.

methodus fiat manifeſtior, fingamus aliquem acceſſionē experiri horis ſex: hanc autem remittere duabus, vt totus circuitus octo ſit horarū. In hac hypotheſi cōſiderato, quæ pars ſint octo, nempe vigintiquatuor: deinde inueniens tertiā eſſe, quotidianas tres implexas eſſe dices: quotidiana ſanè, quoniā numeri vigintiqua- Nota. tuor pars eſt, numerus octo continens: tres autē, quia tertia pars. Fingamus rurſum ſedecim horarum eſſe acceſſionum circuitum. quoniam igitur ſedecim numeri vigintiquatuor nulla eſt particula, quadraginta autē octo tertia eſt, & quadragintaocto tertianæ periodi eſt numerus: tres febres tertianas inuicem implexas eſſe dices. Fingamus rurſum acceſſionum periodum eſſe horarū octodecim, pars autem hæc eſt neq; quotidiani numeri, neque tertianæ, ſed quartanæ: dices igitur quatuor quartanas implicatas eſſe. quartanas ſanè, quoniam ex ſeptuagintaduarum horarum numero conſtat: quatuor autem, quoniam octodecim horarū numerus pars eſt ſeptuagintaduo continētis. Statuamus iterum acceſſionum periodum horarum eſſe quinque, pars autem ſūnt quinq; horæ centenarum viginti vigeſimaquarta: dices igitur typos ſextanos vigintiquatuor inuicē eſſe implexos. Pone rurſus acceſſionum horarum periodum ſeptem, pars autē hæ ſunt centenarum ſexagintaocto horarum, hoc eſt octani typi vigeſimaquarta. Quare pronunciabis typos octanos eſſe vigintiquatuor. Finge iterum acceſſionum periodum horarum nouem, pars autem ſunt hæ ducentenarum ſedecim horarū vigeſimaquarta. hæ rurſus ſunt ducentæ ſedecim, decimi typi circuitus. Erunt igitur in hypotheſi hac decumani typi quatuor & viginti. Subijciatur rurſus acceſſionum periodus horarum decem: duodecima autem pars eſt numerus hic centenarū viginti, qui eſt ſextanæ periodi. idcirco ſextanæ erunt duodecim. Ponatur iterum acceſſionum circuitus vndecim eſſe horarum, numeratur autē ducentarum ſexagintiquatuor numerus ab vndecim per vigintiquatuor. Erūt igitur vigintiquatuor typi duodecumani inuicem coniuncti, quoniam ſecundum vigintiquatuor numerum vndecim continens, duodecumani typi horarum numerum metitur, qui eſt ducētarum ſexagintaquatuor. Semper igitur typorum ſpecies ex numeris in tabula deſcriptis inuenietur, multitudo verò ipſorum deprehenditur, ſi noſcas, quota numeri pars acceſſionū horarum numerus exiſtat: quod idem eſt, ac ſi noueris iuxta quem numerū ijs, qui acceſſionum eſt typi numerū metitur. ſiquidem à ſe mutuo denominationem ſumunt & numerus hic & particula. Nihil igitur intereſt dicere, tertiam eſſe partem duodecim horarum quaternarium numerum, aut duodecim per tria in quatuor partiri. Simile huic eſt etiam ſi ita dicamus, quaternarius duodenarium per ternarium metitur. Redacta igitur rurſus in pauca capita methodo ad alium deinceps ſermonē digrediamur. Erunt porrò tanquā quædam ipſius diffinitiones huiuſmodi. Inſpiciendæ veniunt acceſſionum periodorum horæ, quota pars ſint horarum typorū. etenim à parte denominatus numerus, copia typorum erit: at qui ab his partitur, ipſe typus eſt. Alia autem oratione idem ſic interpretabitur. Acceſſionū periodi numerum horarum inſpicito, per quem metitur quemlibet ex ijs, quæ tabella habētur. ipſæ enim ex tabella numerus typorum ſpeciem indicabit: per quem verò ex ijs periodi numerus metitur, multitudinem ipſorum indicat. Alia verò oratione idem hoc pacto exponetur. Numerus horarū circumeuntium per acceſſiones æſtimatus, quoties metitur aliquem ex ijs, qui ſecundum typos haben-

tur, toties typus ille ipsi implicatur: siue autem implicatur, aut complicatur dicas, nihil refert. Iam multis alijs verbis eandem methodum licet interpretari. Verùm sufficit etiam hactenus vanam istorum artem percensuisse, vt paucis capitibus singulos errores, qui sequuntur, possimus ostendere, rursus à promptioribus exorsi. Vbi enim circuitus per accessiones repetens horarum duodecim fuerit, possunt quidem & duæ tertianæ esse, possunt & quatuor tertianæ, & quartanæ nihilominus sex, & octo quintanæ, & decem sextanæ, & duodecim septimanæ, & quatuordecim octanæ, & sedecim nouanæ, & octodecim decumanæ. Rursus igitur eodem modo via nugacitatis non parua inuenitur, quæ sistere nequit, neq; vllum habere scopum diffinitum, vbi circunscribere ipsum erit necessariũ. Cur enim magis vsque ad octodecim decumanas, aut viginti vndecumanas, aut vigintiduas duodecumanas procedere conuenit, quàm ad aliquem periodorum subsequẽtium? Licet enim dicere vigintiquatuor quidem esse quatuor decumanas: sex autem & vigintiquinque sedecumanas, octo vigesimanisquinis & decumanis similiter his licet apponere. Satis iam hoc est de quotidianis. At adhuc nugacius in tertianis & quartanis, ac multo magis omnibus his sequẽtibus agũt. Vel enim sedecim horarũ periodus nihilo magis est trium tertianarum, quàm sex quintanarum, aut septimanarũ nouem. Potest hæc duodecim quidem nouarum esse, quindecim autem decumanarum, octodecim tridecumanarũ, vnius autem & viginti quindecumanarum, ac ad portionem omnium subsequentiũ. Verùm mihi abundè est viam tantũ indicasse, qua in huiusmodi tempus conterũt. Quinetiam quindecim horarum circuitus (vbi enim huius adhuc viam indicauerim, ad aliud transgrediar) quatuor quidem quartanarum est, octo septimanarũ, decumanarũ sedecim. Atque horum omnium vniuscuiusq; methodus est, vt in digitis citra tabulæ operã possis calculari. Verùm ego sanè loco institutionis singula hæc profero ijs, qui per ætatẽ puerilẽ in numeris statim sunt exercitati. Nam homo inexercitus non mẽsibus, sed totis annis ad eos indiget, quo in rebus inutilibus fiat prudens, quæ cum studio nonnullos sibi inuicem proponere nõ pudet. Quòd igitur bifariam errant omnes, qui de typis commentarios scripserunt, dum neque morborum species docent, neq; in rebus frugiferis tẽpus consumunt, abundè satis puto demonstratum. Quandoquidem verò coëgerũt nos relictis vtilibus tẽpus in refellendis ipsis perdere, ostendemus vtiq; eis in quantam stupiditatem perueniant, tum ipsi, tum qui ipsis tanquã vtile aliquid docentibus attendunt. Nam cũ fateantur de re, quæ fieri non potest, verba facere, attamen ceu exercitiũ quoddam tractãtes, ne millesima quidẽ totius curationis parte exercentur. Præterea argumenta ipsorum inter se pugnãt, quæ etiam prima tibi percensui, nonnulli ipsorum vsque ad quindecim dies typorũ circuitus procedere statuunt: nonnulli verò vsque ad mensem: sunt, qui etiam ad duos tréſve menses venire ponunt. Ego verò quam sententiam habeam de ijs, quæ Hippocrates dixit extra periodum quartanam, alibi indicaui, vbi docui mihi esse persuasum speculationem arti commodam existere. Nunc autem (neque enim docere mihi propositum in hoc sermone est, sed reprehendere eos, qui neque vtilia scribunt, & speculationem laudant inutilissimam) ad primos me conuertam, qui vsq; ad quindecumanum typum exercitij causa procedere affirmãt: quippe imprudentes hi & nescij suam ipsorum hypothesin alijs, quas apponũt, peruertũt.

Errãt bifariã qui de typis scripserunt.


Si enim febris, quæ per horas vigintitres acceſſionem habet, non eſt quotidiana præuertens, neceſſariū eſt ipſam quatuor & viginti vigeſimaſquartanas exiſtere. Quēadmodum igitur & eam, quæ vna hora tardius inuadit, vigeſimaſſextanas eſſe, eáſque vigintiquatuor. Non igitur verè dicunt, qui typos in quindecim dies exporrigi ſtatuunt, multo magis cum vel tertianarum, aut quartanarum, aut ſanè quintanarum circuitum horis vel duabus, vel tribus tardius inuadentem, aut præuertētem, in typorū implexus ducant. Similiter vigintiquatuor vigeſimaſſextanas. Vt enim relicto quindecim dierum circuitu ad quintanæ periodum veniam, in hoc typo, ſiquidem vna hora acceſſio præuertat vigintiquatuor, vna & vigeſimæſextanæ erunt: ſin autē moretur vigintiquatuor, rurſus vigeſimæoctanæ. At ſi nonnullas iam præuenientes tardantéſq; ſtatuunt, manifeſtò ſuam tollunt hypotheſin. Quare neceſſarium eſt typos integris diebus & noctibus circūſcribi, ipſos ſtatuere, aut nihil eſt quod nugentur. Eo autem ſtatuto typi in longū dierum numerum procedent, quanuis illi nolint. Melius igitur forſan faciunt, qui per initia ſtatim numerum dierum ſecundum typos incōprehenſibilem eſſe ſtatuunt. Si enim etiam aliud nihil dicunt, pulchrè ſaltē, ne quis contra ipſos diſſerat, effugiunt, non quēadmodum priores à ſeipſis damnantur, dum typos vſq; ad quindecim dies progredi affirmant. Coguntur autē vti non ſolis, qui ex multis decadibus componuntur, ſed etiam ijs, qui ex centurijs conſtant. Quoniā igitur nequeunt typorum multitudinem effugere, fieri nō poteſt, vt implexus inuicem connectentes euitent: ſed quemadmodum, qui tres typos ſolos eſſe ponunt quotidianam, tertianam & quartanam, tamen ex ipſarum implexu multa efficiunt paria, ita neceſſarium erit etiam his omnes typos inuicem coniungi. Sicut igitur coniungunt tres commemoratos primū ſanè vnumquenque ſibi, deinde inter ſe, ſic neceſſarium erit his quoque coniungi. Incipiamus igitur à quintana, oſtendamúſq; ipſis, quomodo huic coniuncta permulta efficiat paria ſiue implexus. Vnum itaq; par tale eſt. primo die incipiat quintana, deinde tertius quartúſue dies ab omni febre purus ſit: quintus ſanè quintanæ, quę primo die incepit, ſecundam habeat acceſſionem: ſextus autem, eius, qui ſecundum inuaſit: deinde ſeptimo & octauo à febri liberis, nonus quidem tertiā primæ quintanæ habeat acceſſionem, decimus verò ſecundæ & ipſe tertiam deinceps. Pari portione quarta quintana procedet. Nihil autem refert in præſentia duplicémne quintanā, aut duas quintanas hîc dicas, quod nec ipſum omnes concedunt. Alterum par duarum quintanarū. Primus dies vnam acceſſionē vnius habeat quintanæ tranſitionem, ſecundus liber ſit, deinde tertius alteram quintanam incipientē habeat, proportione in ſubſequentibus diebus ſeruata. Aliud duarum quintanarum coniugium. Primus dies alteram ipſarum, quartus alteram incipientem habeat, ſubſequentibus diebus proportionem ſeruantibus. Quartum coniugiū duarum quintanarum, altera ipſarum prima nocte inuadat. Quintum duarum quintanarum coniugium, altera ipſarum prima die incipiat, altera ſecunda nocte. Sextū duarum quintanarum par, altera prima die auſpicetur, reliqua tertia nocte. Septimū duarum quintanarū par, altera primo die incipiat, altera quarta nocte. Hæc igitur ſeptem coniugia coniunximus, ſtatuentes priorem quintanam primo die auſpicari. Rurſus autem alia ſeptem faciemus, primā ipſarum nocte prima incipere proponētes. Si igitur ita ipſi & ſextanā adiunxerimus, conſtat plura ſimul fore

coniugia, ac plura adhuc eorum, quæ ſeptimanam connectunt, aut multo plura, quæ octauã, vel etiam, quæ decumanã: vt nihil dicam de vigeſimanis, trigeſimanis, quadrageſimanis, quæq; has viſæ ſunt neceſſariò hypotheſes ipſorum ſequi. Illæ igitur in præſentia dimittantur. Fiant autẽ nobis vſque ad decumanum, ac primũ mihi conſidera, vt nunc cum duplex quintana gignitur, cõiugia dicimus. Si autem triplex oborta fuerit, conſtat multitudinẽ haud paucorũ parium aliam generari. Iam verò licet & quadruplicem ipſam fieri quotidie, vna inuadente acceſſione. Quintuplex fiet mixta quadruplici, vna nocte quinta quadam poſt cõmemoratas quatuor, quintana, atque hac rurſus ipſa quadrifariã. vel enim in prima nocte principium poteſt ſumere, vel quadam ſubſequenti, aut ſecunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta. Hoc autem ipſum varium his eſt etiã in alijs typis, & maximè in his, qui plures dies continent. Si igitur omnẽ quintanæ varietatem ei, qui in ſexta eſt, cõiunxeris, conſideras, opinor, quanta ſit multitudo. At ſi eis vel ſeptimanam miſcueris, vel octanam, aut aliquam ſubſequentium, deinde rurſus ex quatuor typis ita inuicem complexis alia facias coniugia, deinde ex quinque, poſtea rurſus ex pluribus, puto te intellectu colligere, quantus coniugationum numerus ſit, aut quot indigebit libris ad eorum diſciplinam. Qualis enim in eis erit plexus, conabor tibi paucis indicare, initium ſermoni hinc conſtituens. In ſingulis typis prius conueniet coniugationum varietatem perſequi, vt in quintana paulo antè oſtendi: poſtea ipſas inter ſe complicare. Primũ ſanè vnũ par eorum, quæ ex quintana fiunt, miſceatur vni ſextanæ coniugio, vt ex duobus paribus tertiũ quoddam aliud oriatur: deinde omnibus omnia deinceps connectere, poſtea ita vnum duobus, hinc tribus, hinc pluribus, vſque dum vniuerſa typi, qui complicatur, coniugia vni permiſceas. Poſt hoc duo paria vnius typi quintani vni per ſingula alia miſcere, deinde duobus, aut tribus, aut quatuor, vſq; dum omnia inuicẽ complicueris: deinde ita rurſus quatuor coniugia, ijs, quæ in vnoquoque typo ſunt, miſcere. Poſtea quinq;, deinde ſex, vſque dũ omnia quintani coniugia omnibus alijs permiſcueris, nõ ſimul videlicet omniũ, ſed vniuſcuiuſq; ſeparatim, vt quintani paria ijs, quæ in ſeptimano habentur: poſtea ita octani, aut nouani, aut decumani, aut alicuius ſubſequentiũ cõiugijs. Inde queãdmodum quintanum ſingulis alijs cõmiſcuiſti, ita iam decumanũ vnicuiq; aliorũ miſcere. Poſtea ſeptimanã, octanam, & reliquos. Vbi verò hoc feceris, neceſſarium erit, trium typorum coniugio omnia omnibus coniungere, hinc quatuor, inde quinque, mox ſex, poſtea ſeptem, atque ita conſequenter, donec omnia omniũ cõplicauerimus. Porrò quòd adeò copioſa parium erit multitudo, vt numeratu difficilia ſint decem millia, quemlibet puto etiam numeri imperitum intelligere. Iam qui arithmeticis ſermonem cõmunicauerit, audire ab ipſis multitudinẽ poterit. Ego enim, ſi oſtendere nunc ei vellẽ, maiori opus eſſet libro de his, quæ hæc nugantes ſcripſerũt, non conſiderantes me vel milleſimã cõplexuum particulã attigiſſe, etſi multa inaniter ſint locuti. Si igitur vtile eſſe arbitrantur typos inuicem cõmiſcere, ſubſiſtant, vbi vtilis vel milleſimã partem inuenerint: ſin autem inutile, reueriti iam tandem vocent ad libros Vulcanum, aut ſi ipſi non vocent, tempus corrumpet. Quis enim ex ipſis alius adhuc ſcribet? quis non & hos iam diſſecans in diatios vſus admittet? Cum autẽ hi iam ſcripti ſint, & quibuſdã amicis traditi, cúmque illi velint alios diſcere, quomodo tabula ſe habeat, ego ſtatim

proponentibus typorum multitudinem reſpondeo. Eſt itaque methodus non alterius cuiuſdam generis, ſed priori ſubiecta. Perſuadeberis autem & ipſe rem ita habere, ſi reuoces prius in memoriam, eámq; promptã ſemper habeas, nempe diem nos hodie appellare, tempus ex die & nocte compoſitum: ſic itaque & annum eſſe dicimus, dierũ tricentorum ſexagintaquinque, & quartæ vnius partis. Cum itaque diei vnius quatuor & viginti horæ fiunt, duorum quadragintaocto, trium ſeptuagintaduæ: nomina verò typis non à diebus completis ſunt, ſed ab acceſſionis repetitione. Tertianam ſanè appellamus, cui tertio die acceſſio oboritur, duobus interea iam nimirũ etiam abſolutis: quartanã, cui quarto quoque die, tribus & in hac interea diebus completis, ac in alijs ad proportionem. Quapropter cum circuitum typi quatuor dierum inueneris, quintanam ipſam dices. non idem nanq; eſt, quinto die acceſſionem inuadere, & quinque dierum eſſe circuitum. In memoria igitur hæc pónens rurſus ſuccurrat tibi dictæ prius in tabula methodi. Dictum autem eſt propoſitũ horarum periodicarum numerum, quæ inter duo pricipia fit acceſſio, inſpici debere, vtrũ metiatur in tabula contentum numerũ quemlibet. Erant illi pro horarum multiplicatione vigintiquatuor, effecti. Vt igitur citra tabulam ipſe in digito inuenias, hoc ipſum facito, ſex quidem & octo propoſito, cõmodè vtique inuenies quatuor quotidianas fieri, cum ſex horarum circuitus propoſitus exiſtat: tres autẽ, cum octo. Septem autẽ propoſito, aut alio quodam non metiente vigintiquatuor horarũ numerum, inſpicito vtrum propoſitus partẽ aliquam habeat, an nullam, niſi vnionem. Si enim habet aliquam præter vnionem, partem, quemadmodum nouem tertiam, quindecim tertiam & quintam, inſpicito, qualis ipſius pars cõmunis ſit cum numero vigintiquatuor. Exempli itaq; cauſa, tertiam ſanè vigintiquatuor horarum numerus, quintam autem non habet, quemadmodum quindecim horarum numerus. Si igitur propoſita periodus horarum nouẽ fuerit, tertiũ ſanè huius capies, tertium autem & numeri vigintiquatuor, octo: ac dices octo typos eſſe tribus diebus circunſcriptos. vellem te huiuſmodi typos quartanos nominare. Sed dum quindecim horarũ circuitus fuerit, quindecim ſanè tertia parte capta, quinque dierum typos eſſe, quod eſt ſextanos, dices. At horarum vigintiquatuor quoniam & harum tertia pars octo ſunt, tot eſſe dices etiam ſextanæ typos. Quòd ſi nulla particula propoſitus numerus fuerit, qualis eſt ſeptenarius, vigintiquatuor octanas. Ita quoque ſi decem horarum propoſitus fuerit circuitus vigintiquatuor, typos eſſe, qui vndecim dies comprehendunt, dices, hoc eſt, vndecumanos. Sic vbi tredecim horarũ circuitus fuerit, quatuor & viginti. Pari modo ſi maior fuerit propoſitus circuitus, quàm horarũ vigintiquatuor, ſiquidẽ nullam habet menſuram cõmunem cum numero vigintiquatuor, quemadmodum in vigintiquinque contingit, vigintiquatuor eſſe typos vigeſimoſſextanos eſſe dices, quemadmodũ & viginti. At ſi cõmunis vtrique menſura quæpiam fuerit, queadmodum in vigintiſeptẽ numero tertia pars eſt, octo decumanos aſſeuerabis: quandoquidẽ horarũ vigintiquatuor, tertia pars ſunt octo: vigintiſeptẽ autem, nouẽ. Quippe conſtat decumani typi circuitum eſſe dierũ nouem abſolutorum, qui ſanè horarum numerum ducentarum ſedecim efficiunt, cuius pars octaua eſt propoſitus vigintiſeptem horarũ numerus. Hæc igitur methodus cõmuni in tabula prædicta ſubiacet, tantũ ab illo differẽs, quòd aliquis etiam citra

Dies. Annus. Tertianam quid appellemus. Quartana.

tabulam inuenire poteſt primū horarum numerum, diurnis circuitibus mẽſuratum, cuius pars eſt, propoſitus. Hæc ſpeculatio oſtenſa eſt etiã ab Euclide in libro elementorum, ſeptimũ autem ipſius eſt caput. At maius vtrique numero commune capientes, conſiderare oportet, quoties communis hæc mẽſura vtrunque numerum partit: vt in quindecim & vigintiquatuor, primũ m communis menſura eſt trium numerus. Hic autem quindenum numerũ metitur per quinum, vigeſimumquaternarium numerum per octo, ſiue quinque multiplicaueris in numero vigintiquatuor, ſiue octo. Itaque in quindecim eundem numerum fieri inuenies, ſicut centenarum viginti horarum, dierum autem nimirum quinq;: atq; idcirco typum decumanum dices. Eadem ratione ſi propoſitus numerus horarum tredecim fuerit, communiter metientur & hic & vigintiquatuor ex ambobus inter ſe multiplicatis factus, qui eſt trecentarum duodecim horarum numerus, quandoquidem ad primos dictos numeros pertinet tredecim. Appellant enim ſic, quorum non eſt communis menſura vnionis. Itaque numerus, quem vtrique metiuntur, erunt, tricenus duodenus, nam ter & decies hic viginti horas continent: typus autem dierum erit abſolutorũ tredecim, hoc eſt, quatuordecumanus. quandoquidem quater & vigeſies, hic numerum ducentorum duodecim partit, multitudo typorum erit quatuor & viginti. Habeat itaq; & hanc methodi demonſtrationem, etſi non ſtatueram res inutiles vos docere, ſatius enim eſſet ipſas omnino contemnere, memores oraculi Pythici, nempe, Parcendum eſſe tempori.



CLAVDII GALENI PERGAMENI AD eos qui de typis ſcripſerunt de circuitibus libri finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Typis COMMENTARIVS, IOANNE GVINTERIO Andernaco Medico Interprete.



QVum multi fusius de typorum speculatione tractauerint, necessarium ipse putaui succinctius & breuiter hęc percurrere: ita rem numeratu facilem ijs, qui recens arti incumbunt, existimans, dum simplex est: & post simpliciorem comprehensionem faciliorem, ac veluti ex promptu incidere. Hinc itaque auspicari oportet.

Typus, ordo est intentionis & remissionis: periodus autem, tempus est intentionis & remissionis in morbis factum. At pauci affectus typũ non imitantur, vt cum corpus cibum non sentit, ἀτροφία dicitur, paralysis, elephantiasis & his similes. Plures verò typum experiũtur quidem, sed rarius. Omnium maximè febres typos magis comprehendunt, exceptis continuis vel inordinatis. *Typus quid. Periodus qd. Qui morbi typos habeant.*

Typorum igitur alij sunt primi, alij secundi, alij consistentes, alij mobiles. ac rursus hi sunt simplices, illi cõpositi. Primi igitur sunt, qui paruam sanè habent accessionem, longam autem remissionem, quales tertianæ & quartanæ. Secundi autem, qui longam sanè habẽt accessionem, paruam autem remissionem, vt quotidianus & extensus semitertianus. Inter extensas autem hæc sola inalteratus apud veteres dicitur. Consistentes, qui ijsdem horis inuadunt & remittunt: mobiles, qui semper alijs horis inuadunt. Ex quibus quæ quidem præuertunt, & hora citius promouent, præoccupatorij appellantur: qui tardius motantur, posteriores. At simplices sunt, qui vnum faciunt insultum: compositi, qui ex pluribus constant & accessionibus & remissionibus. Ex compositis alij similibus genere constituuntur, alij diuersis. Ex similibus quidem genere, cum quotidianus typus, exempli gratia, simplex duplici quotidiano comiscetur: aut tertiani duplices, aut duo tertiani concurrunt: aut rursus duo & tres quartani. Ex diuersis genere, cum quotidianus, verbi causa, tertiano cõplicatur, aut tertianus quartano, aut alteri cuipiam ex ijs, qui eiusdem generis non sunt. *Typorum differentiæ. Primi typi. Secundi. Cõsistentes. Mobiles. Typi præoccupatorij. Posteriores. Simplices. Compositi.*

Cæterũm quotidianus est, qui quotidie vnam molitur accessionem, eandémque longitudine circunscriptam, vnam eandémq; remissionem. Tertianus, qui tertio quoque die vnam eandémque accessionem longitudine commoderatam, & vnam eandémque remissionem obtinet. Quartanus, qui quarto vnam & eandem accessionem & remissionem experitur. Eadem de quintano & septimano intelligantur, & si quis alius typorum ordo inuenitur. Quotidianum verò comitatur, habitus humiditas, pituitosi vomitus, sitis non intensa, & totius corporis grauitas, somnus carum, cataphorámque repræsentãs, pulsus magnus, rarus, & laxus, facies subliuida, flaccida, mollicula, & quæ multam materiæ prauitatem testetur, & conuersionem. Iam lien hoc typo duritiem contrahet: ac si in vetustatem inciderit, tremulæ, & lethargum referentes cataphoræ, thoracis fluxio- *Quotidianus typus. Tertianus typus. Quartanus. Quæ comitẽtur quotidianum typum.*

nes, aquæ intercutem suffusiones, subsequuntur. generantur potissimùm, ob stomachum malè affectum. Tertianum comitatur sitis intensa, æstus, acres & biliosi vomitus, ciborum abstinentia, animi deiectio. magna sanè ex parte rigores hanc præcedunt, interim & perfrictio. Pulsus autem tertiana laborantibus exiguus & frequens superuenit. Noctes, quæ accessorios dies præcedunt, molestæ obueniunt. At vbi morbus prorogatur, non amplius fiunt molestæ, sed etiam febrim sistunt: atque ita febricitantes aliquando ex tertiana in semitertianam transeunt, qui typus omnium minimè infestat, præsertim in æstate generatus. id quod Hippocrates indicauit his verbis: Tertiana exquisita in septem circuitibus vt longissimè iudicatur: rarò autem in vetustatem incidit, præcipuè nisi in autumno iam desinente, ac hyemem attingente constituatur. Vrinæ sunt flauæ, facessunt eis negotium etiam vigiliæ. Omnia verò, quæ tertianam comitantur, etiam hæc hemitritæo accidunt: quippe eiusdem generis communionem obtinent, tertio quoque die & remissionum & accessionum repetitiones experiuntes. At peculiariter semitertianis typis accidit inuasionũ productio, & quòd insultuum reditus, quo Græci propriè ἐπαναδιπλώσεις vocăt, diutissimè cum perfrictione & in statu nondum absoluto infestent. Cæterùm semitertiana periculum minatur, vt quæ non solùm stomachum & neruosam eius partem attingat, & summatim media, sed etiam lethargicas animi delationes, attonitásque vigilias inuehat: interim ad animi deliquium vsque corpus digerat, linguam validè siccet, animæ defectum efficiat, vehementer ea, quæ in alto sunt commouens. In vniuersum typus hic & ferus est, & periculi plenissimus. Interdum primo die constituitur, quemadmodum & reliqui typi: aliquando à secundo & tertio die incipit. Quare fit, vt medicis huiusmodi insultu maximè imponat. Generatur etiam ex tertiana producta, ac interim in tertianam soluta facit recidiuam: nonnunquam ex inuasionis longitudine in duas tertianas & quotidianas dirimitur. Frequentius corripit naturam virilem, ætatem florenti proximam, tempore potius autumnali, quando etiam valde periculosa accidit. Porrò non semper continua est, sed etiam intermittens reperitur. Traditum est ab Hippocrate, non modò acutis eam morbis annumerandam esse, sed etiam diuturnis. Habet autem tres in magnitudine differentias. Alia enim exigua est semitertiana, alia media, alia magna. Exigua igitur est, quæ horarum vigintiquatuor interuallo redit: media, quæ trigintasex: magna verò, quæ quadragintaocto, quæ & continuæ febri propinqua est. Quidam verò semitertianam ita nominatam esse censent, vt semicirculum, & semisphærulam, minorem eam dimidio tertiani circuitus asseuerantes. Alij dictitant semitertianam appellari sesqualterum numerum: vt tertiana inuasione, verbi gratia, ex duodecim horis conflata, semitertiana quidem duodecim tertianæ horas comprehendat, dimidiúmque illarum his adhuc addat, vt omnes numero fiant octodecim, ac dimidio maior sit tribus circuitu repetentibus typis, quotidiano, tertiano, & quartano, vt horarum sit ipse vigintiquatuor. Agathinus semitertianam dictam esse pronunciat, à relatione ad tertianam, nam vtrisque tertio quoque die fiunt accessiones. Vtrũ igitur horis aut interuallis semitertiana signetur? Agathino quidem neque horis, neque interuallis (ambo enim hæc circunscriptam habent ma-

Quæ tertianum typum comitantur.

Semitertianus typus.

Differētiæ semitertianæ.

Quæ semitertiana dicta.

gnitudinem) vt etiam ſemitertiana indefinitam habeat conſtitutionem in latitudine, & horis ſubſequentibus.

Quartanum typum comitantur rigores validi, pituitoſi vomitus, lienis inflammatio, & tumor: interim cibi faſtidium, ſputi frequentia comitatur: interim ex contrarijs, appetitus intenſus, tuſſicula nonnunquam adeſt, appetitu abolito. idcirco difficulter ſolui poteſt, ac diutius omnibus typis perdurat, vt etiam ad biennium vſque prorogetur. Porrò cum inualeſcit, ipſe ſibi coniungitur, vt duas, & tres quartanas efficiat, aut etiam ad continuitatem aliquam procedat. Rurſus cum modetatior euadit, in vnam conuertitur. At fiunt nonnunquam etiam periculoſæ ob accidentia ipſis implicata, vt phthiſin poſtremò, aut aquæ ſubter cutem ſuffuſionem efficiāt. Porrò regnat potiſſimùm autumno, & ſolutu contumaciſſima eſt. Si per æſtatem inuadat, minimè moleſta eſt, ac magna parte alijs prægreſſis inordinatè ſuperuenit, rarò & ipſa ab initio conſtituitur. Pulſus tertiana laborantes non adeò exiguus magnitudine comitatur, quantum quartana occupatos: neque vſque adeò in tumorem attollitur, quantum quotidianæ febri accidit. nam pulſuum mediocritas in hoc typo inuenitur, interim etiam per initia acceſſionum vehementior quàm naturalis conditio exigat, apparet. Cæterùm febres aliæ typicos dierum motus conſeruant, aliæ typi expertes. Quæ igitut typicos dierum motus ſeruant, vel præter horas conſuetas præueniunt, aut tardius remorantur: inordinatæ autem fiunt etiam præter motuum ſpeciem. quare nunc præuertunt, nunc tardius redeunt: inordinatè autem vtraque: inde quòd aliàs citra ordinem moueantur, aliàs conſiſtant. nonnunquam verò ordinatè, vbi à nullo prohibentur manente dierum figura, in particularibus ſolis inordinationibus. At typi expertes præter omnes enumeratos modos, prætérque ordinem dierum fiunt: nonnullæ quidem inuadunt cum indicijs, nonnullæ omnino ſunt inordinatæ. Porrò ſpeciei differentias plures eſſe contingit, licet autem prædicto modo conſiderare, & typorum prius enumeratorum proprietates coniungere. Porrò duplicantur ex typis primi dicti, vt quotidianus, tertianus, quartanus. Quotidianus igitur duplex eſt, qui ſingulis diebus bis ſimiliter accedit, & remittit. Duo autem tertiani cum diuerſis acceſſionibus quotidie oborientibus, tertio die ſibiipſi occurrũt. Quartani autem cum vno die bono otto, ſubſequentibus duobus diebus febris accidit, figuris, quæ per quatuor æſtimantur in ſingulis inuaſionum horis, ſeruatis. At quotidianus tertiano iungitur, cum primus dies bis inſultum experitur, ac bis remittit, ſequēs ſemel, tertius rurſus primo ſimiliter. Quartanus verò quotidiano commiſcetur, cum primo ſanè die acceſſiones duæ inuadunt, ſubſequentibus duobus, vna, quarto ſimiliter duæ. At iunguntur quotidianus, tertianus, & quattanus, cum primus dies tres habet inuaſiones, ac totidem remiſſiones, ſecundus vnam, tertius duas, quattus tres, quintus vnam, ſextus duas, ſeptimus iterum tres: ac reliqui eundem cum primis ordinem tuentur, ac altero modo typi coeunt, in eandémque figuram reducuntur. Coniungitur autem tertianus quartano, cum primus dies duas experitur inuaſiones, duáſque remiſſiones, ſecundus nullam prorſus, tertius vnam, ac quartus rurſus ſimiliter. pari modo & reliqui ſubſequentes. Cõmiſcetur autem tertianus, quartanus, & quintanus, cum

Quartanus typus.

Febres typicę

Typi expertes.

Typorum cõmiſturæ.

primo die acceſſionem fieri contingit, ſecundo remiſſionem, ac rurſus tertio tertiani, & quarto quartani, ac quinto pariter ſemel. Iam alio quodam modo huius typi inſultus accidit, dum nihilominus in eundem ordinis typum tertianus cum ſemitertiano complexus incidit, ſicut in ſubſcriptione habet.

Hæc primo die incepit veſperi cum rigore, ac manè ſoluta eſt, perſeuerauit autem vſque ad horam octauam: deindeincidit acceſſio cum perfrictione, ac durat nocte ſubſequenti, ac die vſque ad horam octauam, rurſúſque remiſſio comitatur, deinde in noctem iterum acceſſio incipit cum rigore, ac die iterum remiſſio proportione ſimilis, ac deinceps circulus ſimiliter perficitur.



CLAVDII GALENI PERGAMENI DE Typis commentarij finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de præstantissima medicorum secta ad Thrasybulum liber, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Singula medica præcepta, & vt verbo vno expediam, omne præceptum, primùm sanè verum esse debet, mox vtile, deinde propositis principijs cõsentaneum. Nam ex hisce tribus sanũ iudicatur præceptum, vt si quod ex prædictis illi desit, ne præceptum quidẽ hoc prorsus sit dicendum. Siquidem artes ex præceptis constant, ijsque non quibuslibet, sed primùm sanè conuenit, vt constitutio aliqua perceptiones animi habeat: deinde etiam ad vtile aliquid deducat. Idcirco necessarium est, omne præceptum & verum existere & vtile, & consequentiam quandam non modò circa proposita principia, sed etiam ad reliqua præcepta obtinere. quatenus enim sub animi perceptionem omne cadit præceptum, verum ipsum esse oportet. falsorum nanque perceptiones non sunt: quatenus autem ad finem aliquem tendit vitæ commodum, vnumquodque illorum vtile & necessarium esse debet. Collectio autem comprehensionum seu perceptionum tum ad mutuam præceptorum concordiam, tum ad propositum principium examinanda est. Quoniam verò vt sub vno principe subditorum congeries intelligitur, ita quoque ad propositum principium, præceptum refertur: iccirco omne præceptum verum, vtile, & consentaneum esse conuenit. At si tribus his quodlibet præceptum artificiale iudicatur, constat & medica præcepta his ipsis esse iudicanda. Fuerit igitur operæpretium, quoniam semper neque verum quale sit & quomodò iudicari debeat, manifestum existit, neque vtile, neque consentaneum, facilia sunt cognitu, notas quasdam horum, & iudicandi instrumenta ante alia tradere. Itaque verum, sermonis cum subiectis consensu iudicatur: sed quia subiectorum alia apparent, alia latent, ac eorum, quæ apparent, quædam ex seipsis percipiuntur, vt album, & nigrum: quædam non ex seipsis, sed ex alijs, vt quæ signis comprehenduntur: rursus occultorum, nonnulla euidentia sunt & dicuntur, vt bis duo, quatuor: nonnulla ex demonstratione percipiuntur, vt hoc suo licet benè & malè vti, & reliqua: conuenit semper sermonem ac præceptum ad rei subiectæ, de qua etiam agitur, aut propter quam factum est præceptum, speciem referre. Ac si quidem de aliquo apparenti sit, ad illud accommodare: sin autem de aliquo latenti, considerandum est, an alicui latenti consonum sit. iudicium verò apparentium & latentium diuersum est. Quæ enim inter apparentia ex seipsis comprehenduntur, sensu iudicantur, vt album & nigrum. Vnde ridendi sunt medici, qui apparentium iudicium non sensorijs, sed demonstratione quadam moliri conantur. quemadmodum profectò Asclepiades de adnatis cordi membranis disputans, Erasistratum errasse dicit. Herophilum enim cũ multa disseruisset, non vi-

Præceptum quale esse debet.

Verũ quomodo iudicetur.

Method⁹ examinandorum præceptorum

Apparĕtium iudicium ex sensibus. Occultorū ex obseruatione Occultorum differentia.

disse, vbi liceret ipsi ad apparentium disquisitionem, vt par est, profectum, de re pronunciare, & opinionibus veris fidem non derogare. Apparentium igitur, quæ non ex seipsis comprehenduntur, iudicatoria, vt dixi, sunt sensoria: quæ vero ex se, sed ex alijs cognoscuntur, iudicatorium est obseruatio: dico autem eorum, quæ signis percipiuntur. Rursus occultorum vt plures sunt differentiæ, ita etiam iudicatoria diuersa. In occultis alia euidentia sunt, exempli causa, fieri non potest, vt idem homo simul Athenis sit, & in Aegypto: alia demonstratione intelliguntur. Iam euidentium sane iudicium est communis omnium hominum notitia. Eorum, quæ demonstratione comprehenduntur, iudicatio, consensus est cum iis, quæ in confesso habentur. Scinditur autem rursus confessi iudicium multifariam. vel enim consensu, quem cum apparentibus obtinet, confessum iudicatur: vel eo, quem cum euidentibus: vel illo, quem cum demonstratis. Quomodo igitur iudicare conueniat verum, & quæ ad veri iudicium ducunt, exposuimus: reliquum est, vt de vtili præceptione dicamus. Iudicatur itaque vtile artis præceptum relatione ad finem: oportet autem ipsum primum sane esse, quod percipi possit. Si enim fieri nequit, vt Hippocentauri bilis apoplexiam soluat, eo quod percipi nequit, idcirco redditur inutile: deinde conuenit perceptionem seu comprehensionem ipsius non communem cum idiotis existere, artificū propriam. ideo enim nos dicimus errasse, qui artis principium apparentia esse arbitrantur. neque enim ars ex apparentibus constat, neque traditio artis ex illis fit: quippe nemo apparentia tradit, sed de apparentibus præcepta, quæ non apparent. Hæc igitur etiam initium artis iure quis dixerit, quæ de apparentibus dico præcepta, nimirum traditionis artis initium ex euidentibus efficiuntur. Si enim dixeris apparētia artis esse initium tuiipsius, obliuisceris nihil putans differre artem à non arte. Quandoquidem enim apparentium perceptio similis est & artifici & imperito, constat hac ratione artificem nihilo plus idiota futurum, imò ne artem quidem habiturum: siquidem eorundem etiam eadem comprehensio est, artifici & idiotæ. Quare præceptorum inuentionis principium merito dicetur: artis autem initium apparentia non sunt. Vt enim vestigia leporis inuentionis initium merito aliquis dixerit: initium autem leporis nemo compos mentis dixerit (neque enim lepus ex vestigijs constat) ita & ea, quæ apparent, præceptionum inuentionis initium rectè dixeris, quoniam authores ipsius ab his exorsi eam constituerunt: artis verò non item. Conuenit enim principia ad qualitatem illius, cuius sunt principia, referre. Artis igitur initia non idiotis manifesta esse oportent, neque enim artes omnes ipsis conspicuæ sunt, deinde & initia artium traduntur: at quæ apparent, non traduntur. Quocirca nulla ratio est, cur apparentia artis initium esse dixeris, Constat enim præcepta vel ex apparentibus, vel ex iis, quæ ab alijs sumuntur, vel prius demonstratis, vel ex euidentibus huiusmodi quodam modo. Ex apparentibus quidem ita, occurrens aliquis pluribus in corde vulneratis, commorientibus, mortis causam quærit. Considerans igitur, neque ob virtutis defectum, neque præsidiorum materiæ inopiam intereūtes, sed propter insignem membri vsum. Intelligens igitur citra partis huius actionem & vsum corpori ab eo obueniētem animal seruari non posse, componénsque cum ratio-

Confessi quibus iudicetur.

Vtilitas quomodo iudicetur.

ne, quæ in apparentibus inuenta sunt, præceptum hoc condidit. Si quis in corde vulnus acceperit, ille commoritur. Hæc igitur secundum eorum, quæ apparent, consequentiam ratione inuenta, & vniuersè pronunciata est præceptio: imò ex apparentibus præceptum constituitur, vt ex apparentibus in inflammatione. Si quis hanc obtinet, ille tumorem habet renitentem, qui dolorem pulsatilem inferat. Apparentia igitur inuentionis speculationum fiunt initium: præceptiones autem ex apparentibus per consequentiam inuentæ, artis constitutionis principium. & ex apparentibus quidem huiusmodi quodam modo præceptio constituitur: ex ijs verò, quæ ex alijs comprehenduntur, præceptũ hoc pacto constituitur. Si alicui hæc obueniunt symptomata, ille sanguinis redundantia laborat, quam hæc comitantur, illi iecur, aut renes, aut huiusmodi quippiam affectum est. At ex prius demonstratis in hunc modum præceptio constituitur. Vbi demonstratum est coctionem existere, & ea, quæ coquuntur, fundi & humectari, deinde ita distribui: item ægrotantes alimentis, quæ non magnam elaborationem requirant, indigere, ex his ista fit præceptio. Humidi victus omnes febricitantibus conducunt. Ex euidentibus ita: Quicquid multum, naturæ inimicum, ac non satietas, non fames, neque aliud quoduis magis, naturæ bonum est. Item vbi repletio morbos parit, inanitio medetur. Cum enim euidens sit in illis sanè, quod ijs, quæ supra vires sunt, molestantibus: in hoc autem, quod efficiente adempto, non vtique fieri poterit, quod accidit, dicta pręcepta sunt composita. Est autem omne præceptum & generale & firmum. quocirca errant, qui artem coniecturalem esse dicant, eo quòd præcepta habet coniecturalia. Non enim ex præceptis coniecturalis dicitur (firma enim hæc sunt) sed à munere, & medicantium functione. Nam ipsa cum instabilem habeat euentum, artem reddit coniecturalem, quoniam præcepa omnium artium similiter, & firma sunt & stabilia. Inde autem, quòd omnium artium euentus stabiles non sunt, quædam artium coniecturales esse dicuntur, quæ instabilem vt dixi, habent successum. Porrò quia vtile ad finem relatione iudicandum esse diximus, necessarium fuerit artis finem indicare, vt manifesto hoc reddito, constet, ad quid referendo vtile, iudicare oporteat. Artium igitur aliæ factrices sanè existunt eorum, quæ non sunt, vt nauium compactoria: aliæ factorum conseruatrices, vt gubernatoria: aliæ vtræque, vt exædificatoria. In factiuis igitur aut conseruatorijs artibus vna euentus ratio est, ac modus, ideò simplex est vtilis iudicium: at in ambabus & factiuis & conseruatricibus non facile, quippe non inutile existimandum est, quod non ducit ad obseruationem. Verum curiosè scrutari conuenit, an aliquid ad id, quod non est faciendum, conducat. Medicina igitur ex factiuarum & conseruatricum numero est: non tamen duplicem artis finem esse censere conuenit, sed id, quod non est, efficere, vtpote sanitatem, & eius subiectum tueri. Nam eisdem, inquiunt, verbis sanitatem efficiens & conseruans, duplicem habere possit finem. Si igitur manifestò præcepta eadem non essent ad vtrunque ducentia finem, differentium etiam finium diuersæ essent artes, & duæ medicæ: quoniam verò eadem sunt præcepta, scopi autem differunt, vna ars cum sit, diuersos habebit scopos. Verùm ignorant vnum artis scopum esse sanitatem, vnúmque finem hanc consequi, at modos consequutionis differentes. Itaque scopus aut finis à sanitatis modo non euariat. Nos enim, cum ea,

Ars medica non est coniecturalis.

De vtili disputatio.

Medicina ex quo numero artium.

quæ nocere possunt,sciamus, nunc sanè noxia auferentes,sanitatem molimur: nunc autem declinantes,ipsam conseruamus. Vtile igitur in medicina iudicare nos oportet,quando sanè ad sanitatem faciendam ducit,quando ad conseruandam:

Consequẽtia.

consequentiam verò nonnulli substantia iudicari arbitrantur, ignorantes multa quidem sibi inuicem subesse,non tamen consequentiam quandam in ipsis conspici. Quemadmodum dicimus & diem esse, & respirare, simul subesse,nõ tamen consequentia ei inest: quare ea ex subiecto iudicari non debent, sed quo asserto necessariò aliquid simul asseritur, & quo posito aliquid necessariò ponitur,illi illud consequens esse censebitur. Sũmatim qui connexa per coniunctionem iudicat, adiudicatione censeri debet,in quibuscunque consequentem adiudicationem moliri conueniat. Proinde ad sermonum quorundam diiudicationem,necessaria est consequentia inquisita. Num autẽ ad medicorum etiam præceptorum iudicium feratur, forsan aliquis rogabit: neque enim satis est cognoscere,num præceptum sit medicum id,quod vtile & verum est, sed nihilominus consequens semper habere oportet. Quoniam igitur omnis oratio omnéque præceptum tribus his iudicatur, tres autem sunt in medicina sectæ, nempe Rationalium,

Tres sectæ.

Empiricorum, & Methodicorum, age his iudicandi instrumentis vtentes, inspiciamus etiam sectas,vt saniori adhæreamus. Verùm necessarium est communia sectarum, & vniuscuiusque propria primùm exponere, deinde ordine iudicium de eis pronunciare. Sunt igitur communia trium sectarum hæc, quòd vtilia,quæ apparent præcepta, analogismus, obseruatio, historia ad similia transitus, quòd historia rationis & iudicij expers, non recipienda instrumenta, modus præsidij adhibendi: quòd ex alijs alia comprehenduntur: quòd eisdem remanentibus,eadem fieri debent: quòd sanitas seruatur ex appositione & ablatione,& morbi curantur:quòd oportet noxiorũ vsum declinare,tum ad sanitatis tuitionem,tum ad morborum solutionem:item quòd experientia potens vtilísque fit ad materiæ,quæ adhibetur,comprehensionem:nutritoria enim sunt & non nutritoria:purgantia & corrũpentia,experientia præcepta sunt.Præter hoc commune Empirici sanè insaniunt,qui non modò vires, sed etiam quæ conducunt,experientia inueniri dicant.Methodici autem ad commune prædictum diuersum quid ab Empiricis afferunt: quippe dicunt priusquam vires eorum,quæ adhibentur,ediscas, aliud nullum vtile ab experientia superesse. Nihil enim ex remediorum ipsorum obseruatione sumi potest absolutè, cum remedia ex quibusdam apparentibus sint obseruata. Rationales medici inter hos consistunt: ita enim omnia,quæ conducunt,ex obseruatione capi dicunt, quemadmodum Empirici affirmant, non tamen ex indicatione inueniri, vt Methodicorum est sententia, sed alia ex obseruatione reperiri,vt lethalia & vitus iaculantia:alia ex

In quibus methodici cũ Rationalibus cõsentiunt.

indicatione,in quibus causæ inueniuntur.Consentiunt igitur Methodici Rationalibus,quatenus ex indicatione id,quod conducit, sumi arbitrantur: quatenus autem à diuersis,dissentiunt.Etenim Methodici ea,quæ conferunt,ab apparentibus quibusdam indicata,sumi arbitrantur.Rationales ab apparentibus quidem nequaquam,verũ ab occultis. quia enim à causis indicationes fieri censent,causæ autem,quatenus causæ sunt,non apparent,constat indicationes non ex apparentibus ipsis fieri posse:deducereq; aiunt appparentia ad eorũ,quæ indicari possunt,comprehensioné.Hac igitur ratione rursus Empirici cũ Rationalibus con

ſentiunt,à nullo apparente eius,quod conducit,indicationem fieri affirmantes. Aliud autẽ commune hoc etiam omnibus medicis in confeſſo, nempe quæ apparent,eſſe vtilia. Empirici ſanè obſeruare ea,quæ in apparentibus ſunt,commoda eſſe pronũciant,eo quòd obſeruatio ipſorum in quibuſdam exiſtit:item quòd licet ex ipſis ea,quæ auxilium indicare poſſunt, comprehendere. Methodici tanquam conferentia ea,quæ apparent,vtilia eſſe tradunt. Rurſus hîc commune ſanè Empiricis & Methodicis, non abditum ex apparẽtibus comprehendi,à quo conducentium auxiliorum fiat indicatio. At Empiricis cum Rationalibus cõmune eſt,quòd in apparentibus auxilia obſeruant: Rationalibus autẽ & Methodicis cõmune,in apparentibus vtilia comprehendi. Itaq; Methodici id dicunt, auxilium ex apparentibus cõprehendi. Rationales verò ea,quę auxilium indicare poſſunt,ex apparentibus inueniri affirmant,præſidium autem nullum. Ad eos porrò,qui ex manifeſtis cauſis prę́ſidium quoddam inueniri opinantur, vt in aculeo, dicendum eſt auxilium,non tanquam ab apparẽtibus,ſed tanquam ex cauſis in his inueniri. at cauſa,quã cauſa eſt,non apparet, ſed ex ſymptomatis comprehenditur. Si igitur cuti adhærens arena,aut aculeus non infeſtet,neq; in ſenſum nos perducat, non percipimus. Non enim cauſa eſt alicuius quæcunq; efficiens: quod ſanè cauſa eſt,apparet vt cauſa. Nam quæ ad aliquid quodãmodo ſpectãt, quatenus ad aliquid quodampacto ſpectant,non apparent:ipſa autẽ,quæ ad aliquid referuntur,apparẽt, vt pater, ſeruus, frater, atq; huiuſmodi:ſingulaq; ea apparent,habitus autẽ ipſorum ad alia, non apparet. Cum igitur & iudicatoria ſermonum inſtrumenta tradiderimus, & communia, & propria ſectarum perſecuti,neceſſarium deinceps fuerit vniuſcuiuſq; ſectæ diiudicationem moliri, deinde ita ſanæ opinioni adhærere. Empirici ſanè & Methodici Rationalibus contradicentes,inutile eſſe abditorũ comprehenſionẽ aſſerunt:nihil enim ex occultis vtile inueniri. Ad hoc Rationales vtriq; priuatim ſectæ reſpondent:ac primũ ad Empiricos inquiunt,apparentia auxilijs ipſis inquirẽdis non ſufficiunt,quippe & occultorũ vſus eſt. Nam ab his auxiliorũ indicationes fiunt, iudiciũ verò (vos enim ipſi nõ in omnibus apparẽtibus,ſed in quibuſdã obſeruatis) tanq̃ amplius quiddã q̃ apparentia habeant,ob quæ obſeruare conuenit,ꝙ non apparet:ſin autẽ hoc, certè abdita erunt vtilia. quæ igitur apparent, vel tanquam apparẽtia ad auxiliorum inuentionẽ capiuntur,etiam omnia erunt vtilia, vel non. Dicere igitur omnia eſſe vtilia, perſuaderi non poteſt:ſi autẽ omnia nõ ſunt vtilia, neceſſe eſt vtilia amplius quid obtinere quàm apparẽt,quòd nõ ſenſus eſt comprehendere,ſed rationis:ratione verò abdita comprehenduntur. vtilis igitur ratio ad abdita. Si enim apparentia,quatenus apparentia ſunt,inuicem non differunt,nimirum vel ſimiliter omnia ad obſeruationem conducunt, vel etiam priuatim. quare & in minimis tum præteritis tum præſentibus erũt,ſi hoc eſt impoſſibile. Quomodo enim de ſtrato lectóq;,in quo decũbit æger & ſimilibus aliquis obſeruaret? Conſtat igitur nõ in apparẽtibus, vt apparẽtia ſunt,obſeruationẽ fieri (ſimiliter enim in omnibus fieret) ſed in alio quodam non apparet. quòd ſi hoc eſt,vtilia erunt abdita. Sed vnde,inquiunt, cõprehenduntur? quoniã in alijs quibuſdam apparentibus obſeruare licet,in alijs nõ item: quippe haud facile hoc eſt ſcire,in ipſis apparentibus,quatenus apparent. Nam omnes cognoſcerent etiam idiotæ,in quibus apparentibus obſeruationẽ liceat moliri,ac nihil veſtra experientia ab idio-

Empirici quatenus cum Rationalibus cõ ſentiunt.

Empirici & methodici cõtra Ratiõales

tarum imperitia differret. Si autē non obuium est omnibus, in quibus apparentibus obseruationes moliri oportet, solis autem artificibus id percipitur, auxilia in apparentibus, non vt apparentia sunt, obseruantur. quoniam enim aliud apparet, de quo obseruare licet, aliud non amplius apparet, sed abditū est. Verùm hoc admodùm vtile scire est, cur vtilia sint abdita. Præter commemorata autem cum Empirici dicāt in his præteritis & illis præsentibus obseruationes fieri oportere (idcirco enim & præterita studiose perscrutātur, infinita porrò sunt etiam præsentia, de infinitis autem obseruare nō licet) cōstat huiusmodi obseruationē fieri non posse.

Contra Methodicos.

At contra Methodicos, qui apparentia auxiliorū indicatoria esse opinantur, Rationales hæc adferunt. Apparentia ex seipsis comprehendi possunt, acidiotis igitur apparebunt: quoniam verò communitates etiam indicant, coincidunt autem cum ijs, quæ indicant, illa, quæ ex ipsis capiuntur, nimirum idiotis communitates indicabunt, ac nihil ab idiotis differetis. Quòd autem ab affectibus indicatio auxiliorum non fit, hinc est ostendere. Eodem affectu, nempe inflammatione, in diuersis locis subsistente, vt circa oculum, aut iecur, aut stomachum, non eadem curatione sed diuersis indigent.

Eiusdē morbi diuersa remedia.

Oculo enim inflammationē experiunte, opium est congruens, stomacho autē & hepati aliud quippiam. Oleū oculo noxium, alias partes inflammatas mitigat. Manifestū igitur est non ab affectibus auxilia sumi: nam idem in omnibus assumeretur, præsidiū, cum idem esset affectus, si is congruētia indicaret. Licet igitur ita astruere, quod Methodico placet: In affectu circa eundem existente locum, ob causę diuersitatē, curatione diuersa homines indigēt. vt in vrinæ retentione: si etenim calculus sit, scalpello inciforio vtimur: si vrinæ copia, iniecto clystere, qui catheter dicitur: sin inflāmatio, cataplasmate. At si ab affectibus indicationes remediorum fierent, vno affligente affectu, vna & eadem curatio assumeretur: non assumitur autē vna curatio eodem subsistēte affectu. non igitur ab affectibus remediorum indicationes fiunt.

Propositio de indicatione & alijs.

Porrò his nunc summatim expositis non abs re fuerit, quid sit indicatio, & quomodo ab indicatione vtilitas desumitur: item quid obseruatio, & quomodo ab obseruatione vtilitas petitur: itē quid analogismus, & quomodo ab eo vtile comprehenditur, explicare. Quemadmodum igitur apparētium quædam ex seipsis cōprehenduntur, vt album & nigrū: alia obseruatione percipiuntur, vt quæ per signa cognoscuntur, ita sanè & præsidia indicatione comprehenduntur, quippe auxilia cum ijs, quæ indicant, coincidunt, ac nullius ratiocinationis vsum habent. Idcirco & animalia rationalia ab æstu, frigore, & summatim omnibus nocere natis recedunt, ad id, quod conducit, nimirum inclinantia, ac in aculeo infixo, aut alio quodā, nullus ex ratiocinatione molitur extractionē. Quod itaq; in ijs, quæ euidenter approbata sunt (omnibus enim demonstrationē excedentibus intellectus noster ipsa euidentia assentit) hoc etiam in ijs, quæ ex indicatione capiūtur, confit. Itaq; seruatur proportio quædā indicationi ad apparētia euidentiáq;. Cū enim noxijs vtile coincidit, tūc neq; obseruatione, neq; ratiocinatione vtimur: ipsa enim noxia id, quod conducit, indicant. At obseruatio proportionem quandam obtinet cum ijs, quæ per signa compehenduntur. Nam in quibusdam sæpe circa idē occurrentibus sine efficientium comprehēsu, causa, eius quod conducit obseruatio efficitur. Vt in dentium stupore, portulaca. neq; enim causa coniuncta hîc indicat, neq; ratiocinatione quadam remedium inuentum est in ijs, qui

altercum assumpserunt, aut huiusmodi aliquod deleterium: per initia sanè curatio ex causa & loco assumitur, inopia verò causæ postea iam obseruatis vtimur. Etenim vomitũ per initia adhibemus, causa voluntatem ipsius indicante & loco, voluntatis modum assumente: postea verò iam ignorantes causam, obseruatis vino & lacte vtimur. Ex collectione autẽ rationum, quem analogismum dicunt, vtile deprehenditur, cum causa quidẽ ignoratur, obseruatio ne vna quidem est, simillimum autem ex symptomatis est. nam in huiusmodi ab indicatione vtile capi non potest, quippe causa ignoratur: obseruationéq; nulla facta, symptomatum similitudini attendentes, ad simile digredi cogimur. Nam ab hæmorrho si quis sit morsus, deinde sanguis fundatur, causam, ex qua ita afficitur, vbi ignoremus, neq; obseruauerimus, iis, quæ ad sanguinis profusionẽ ex vulnere faciunt, vtimur. Hac sanè ratione etiam Cnidiaci medici eos, qui in pulmone pus habebant, curare conabantur, ad simile transitũ vtẽtes. Quoniã enim quicquid in pulmone est, per tussim egeritur, linguam exerentes, liquorẽ quendam in arteriã indiderunt, qui vehementẽ mouere tussim potest, vt per symptomatis similitudinem pus educatur. Fit itaq; analogismus in transitu ad simile. Nam rationẽ ineuntes à similibus ad similia descendimus. Empirici autem alio modo, quàm nos, transitu ad simile vtuntur. dicunt enim à simili digressum, ab auxiliis ad auxilia fieri, aut ab affectibus ad affectus. Ab auxiliis sanè ad auxilia in hunc modũ. Cum enim eadem symptomata iis, quæ assumuntur, adfuerint, tunc similis transitum molimur, vt à malo ad mespilum. Verùm contra eos dicendum est, fieri nõ posse, vt huiusmodi similis transitũ faciatis. Vtrum enim ratiocinatione vtentes à simili ad simile transitis? an obseruatione? Si enim obseruatione, obseruatio est, quod fit & noscitur, non similis trãsitus: sin autem ratiocinatione, rogandi sunt, num omnium symptomatũ similitudini attendentes, à simili ad simile digrediuntur, an quorundam? Si igitur omnium dicẽt, nihil omnibus alicubi simile inuenietur. Quæ enim in nullo inuicem differunt, eadem sunt, & non similia. At si aliquorũ symptomatum similitudinem abundè esse dicent, vtrum figuræ, aut coloris similitudini dicemus, attenditis, an duritiei, aut mollitiei, aut potius gustatui odoratuíq;, aut huiusmodi alicuius similitudini aduertentes iudicabitis? At si vel gustus similitudini dicant, vel alterius cuiusdam, manifestò fatebuntur ea, quæ iuuant, quatenus iuuant, percipere. Vnde constat, quòd etiam noxia, quatenus nocent, scire se fateri cogẽtur. Etenim, quæ prosunt, contrarietate, quã cum noxiis habent, auxiliantur. Si igitur mespilum, eo quòd similem malo cotoneo in gustu qualitatem obtinet, in dysentericis assumitur, sciendum est qualitate in gustu opitulari: & quia hæc palàm astringit, simul coincidit comprehẽsioni huic, ea, quæ offendunt, contraria esse qualitate, aut facultate. Sin autem comprehensæ causæ præsidia aduersantur, clarum est abdita comprehendi posse, & vtilia cognosci. Quomodo igitur vtile ab indicatione comprehenditur, expositum est. Nunc autem descriptiones singulorum explicabimus. Est igitur indicatio auxilii comprehensio vnà cũ noxii perceptione, sine obseruatione, vel ratiocinatione incidens. *Indicatio qd.*

Experiẽtia porrò est, eius, quod sæpe & in eodẽ visum est, comprehensio & memoria. Vel in eum modum. Indicatio est, cum id, quod conducit, rebus perceptis coincidit, sine demonstratione & obseruatione. Experientia est eius, quod subinde & in eodem visum est, obseruatio, & memoria. Est autẽ idem obseruatio, quod *Experientia.*

& experientia. Collectio autē rationū, analogismus græcè dicitur, est diiudicatio comprehensióq; causarū similitudine iuuantiū. Deinceps igitur propria cuiusq; sectæ interpretati, vnicuiq; ipsorum, Empiricorū dico & Methodicorum, contradicemus. Sunt autem propria Empiricorū hæc. Concurrentium symptomatum, quæ syndrome appellatur, obseruatio, auxiliorū historia, similis transitus, vt illi fieri volunt. Alio nanq; modo quodam Rationales similis transitu vtuntur, vt procedente sermone differentiam indicabimus. Conuenit porrò eum, qui Empiricis contradicet, duplici modo concursuum obseruationē moliri. Etenim possibiliū obseruatio, communis est, in symptomatis autem illorum propria. Vel enim tanquā impossibilem ipsam prorsus tollere oportet, aut fateri quidem possibilem esse, verùm sine ratione ipsam proferri non posse. Primùm igitur obseruationem absq; ratione proferri non posse his aliquis ostenderit. Fatentur Empirici se non in omnibus apparentibus symptomatis obseruationē moliri. Neq; enim in flauo, si libet, aut albo, aut simo, aut adunco, obseruare se pronunciāt, etsi etiam in coloribus differentiā quandam obseruent, vt in ictericis, & in figura, vt in fracturis & luxatis, sed neq; etiā in prædictis. Quemadmodū enim, inquiunt, qui ab indicatione auxilia capi affirmant, non omnia indicari docent: siquidem Methodici quædam apparentia indicare asserunt, & non omnia: Rationales abdita, & nō omnia: ita & Empirici non in omnibus symptomatis obseruationem, sed in quibusdam fieri dictitant. Neq; enim præterita omnia, neq; præsentia vtilia ad obseruationem arbitrantur. Vtpote morsus aliquis est à cane rabioso, Empiricus aggressus tantùm curiose scrutatur, an à rabioso: aliorum verò præteritorum ne vnum quidem petit. similiter etiam in præsentibus. Neq; enim in pilis simplicibus, vt dixi, aut crispis. qua de causa ab ipsis quærendū est, cur non in omnibus symptomatis, sed in quibusdam auxilia obseruēt, cum symptomata nihil differant, quatenus apparentia sunt, tum ea, in quibus fit obseruatio, tum alia inutilia. Quid igitur est, quod vtilia symptomata indicat? dicāt, num apparens, an occultum? Si igitur apparens esse dicunt, quo vtilia ab accidentibus discernuntur, & in quibus obseruationem fieri conueniat, inferemus rursus hoc. Apparens nullo differre symptomati, quatenus apparet, ab inutilibus symptomatis. Si rursus abditum esse dixerint, id quod indicat, vtilia symptomata fatebuntur, abdita ad symptomatū obseruationem vtilia. Attamē abdita nullo alio, quàm ratione comprehendi possunt. Quare si vtilis quidem fuerit in concursibus obseruatio abditorum, & nulla alia re, q̄ ratione hæc comprehenduntur, constat obseruationem sine ratione fieri non posse. His igitur verbis coguntur ipsi fateri rationem ad obseruationem esse accommodam: refragantes autē nobis dicunt, etiam symptomata vtilia esse, experientiáq; comprehendisse. Item quod in alijs symptomatis obseruare conuenit, in alijs non item, id quoq; obseruasse. Ad hoc breuis est responsio. Cum enim infinita sint symptomata, in quibus obseruandum non est, fieri nequiuit, vt hoc idem in omnibus obseruauerit, quod in ipsis obseruare nō oportet: quippe in infinitis obseruare impossibile est. Postremò ipsis vndequaq; agitatis, vt dicāt, superest, casu ac fortuito se procedere, in alijs quibusdā symptomatis vt obseruēt, in alijs non item: quo quid erit magis ridiculum? Hæc igitur disputatio ita finiat. Quòd autem in concursibus obseruatio esse nequit, his demonstrabo. Aiunt igitur Empirici obseruationem non in vno, neq; in duo-

Propria Empiricorum.

Obseruatio nē non esse in syndromis.

bus, sed in plurimis & subinde visis, ac eodē modo habentibus, fieri. Cũ itaq; ipsi interrogentur, num in ipsis generibus symptomatũ, auxilia obseruēt, necessariò in ipsis generibus obseruare dicent. Si enim in hoc febris, verbi gratia, sit, & inflammatio, in alio bilis per vomitum aut sedem excretio fiat, eadem obseruatio fieri non potest. Quòd igitur sufficit genere eadem esse symptomata, nequaquã dicent, verũ numero paria esse oportet. Si enim eadem manēt symptomata, non omnia verò aut plura, turbabitur cõcursus, & alterius vsus est obseruationis. Cõuenit enim in eisdem generibus & paribus numeris obseruationem fieri: quomodo autē euariat tota curatio ob copiam indigentiámq; symptomatũ, hinc considerandum est. Est igitur curatio quædam in inflammatione obseruata. Si vnũ aliquod symptoma ab inflammatione sustuleris, vtpote sensum, euariat etiã curatio. Nam in vicem inflammationis scirrus nascitur, & non eadem curatio conuenit. ita igitur propter symptomatis defectum, curatio mutatur. ob copiã verò in hunc modum. Si inflammationi febris, aut syncope accesserit vnà cũ symptomatum copia, diuersus sanè concursus oritur, diuersa quoq; curatio adhibetur: ac non modò genere eadem esse cõuenit symptomata, & numero paria, sed etiam magnitudine oportet, neq; excedere neq; deficere. Siquidem ob symptomatum magnitudinem curatio variat. Etenim superficiarias diuisiones non suimus, imò neq; inedia quis vteretur. at vbi magna est facta diuisio, inediam, sanguinis detractionem, fibulas, & similia adhibemus. Ac nõ sufficit genere eadem esse symptomata, ac numero paria, & magnitudine similia, sed etiam tēpus obseruationi adiungere oportet. Alia enim incipientibus morbis remedia adhibentur, alia vigentibus. Etenim incipientibus si quid mouendum est, moueto: cum vigent quiescēdum est, inquit Hippocrates. ac in inflammatione, cum incipit quidē, repellentibus vtimur: post hoc cataplasmatis, & iis, quę quod impactũ est possunt discutere. Iam ordinem prædictis apponere oportet. Etenim ob ordinē concursus immutatur: idcirco etiam curationem euariari est necessum. Aliter enim insanientes, deinde febricitantes curamus: ac aliter febricitantes, deinde insanientes. Etenim lethales & nõ lethales ex ordine symptomatum, vt ex euentis constat, affectus oriuntur: febris sanè in conuulsione non modò periculi expers est, sed etiam morbum soluit: in febri autem conuulsio, lethalis est. Variato iam concursu propter ordinem symptomatum, vt ex euentis cõspicuum est, necessariò fateri oportet, etiam curationem differre: quoniã non solùm eadem genere symptomata, & numero paria, ac magnitudine similia esse oportet, sed etiam idem tempus eundémq; ordinē seruare necessarium est, si sana obseruatio futura est. At non possunt in omni vita duobus ægrotis, nedum pluribus, prædicta similiter omnia accidere. Vnde constat, in concursu obseruationem fore impossibilem. Quòd autem omnia commemorata in omnibus, aut pluribus simul euenire nequeunt, his aliquis demonstrauerit. Ob causas, locos affectos, ætates, consuetudines, symptomatum magnitudinem, naturas, anni tēpora, & regiones, diuersi affectus oriuntur: ac impossibile prorsus est duobus hominibus euenire, vt similiter in omnibus habeant, quapropter impossibilis est in concursibus obseruatio. Et si duo impermutabiles inueniãtur, neq; sic obseruatio possibilis est, eo quòd in pluribus ipsam fieri oporteat. Sed quomodo, inquiunt, vestrum vos dogma astruitis, videmur enim ipsi non posse obseruare & in symptomatis & in facultatibus,

Curatio symptomatis præsentibus, aut absentibus variat.

Tēpus variat curationem.

Ordo quoque variat curationem.

Quòd enim veratrum venenum in virulentis animalibus purgat, obſeruatione comprehenſum eſt. ac in dentium ſtupore, cauſa non ſanè percepta eſt: quòd autẽ portulaca eum ſoluat, obſeruatum eſt. Reſpondere itaq; ipſis oportet, nos ſanè vtilia ſymptomata relatione ad ſcopos circunſcribentes, etiam vſu vtilitatem iudicare. Cum igitur perceperimus omnia ſymptomata, quæ à cauſis inferuntur, vt grauitatem: & à locis, vt ſpirandi difficultatem: & quæ à virtute, vt animæ defectũ: inuenimus ſanè hæc vtilia, reliqua inutilia. Quoniam igitur vtilia ſymptomata circũſcripſimus relatione ad ſcopos, quæ ſanè cauſæ, aut loci, aut facultatis ſunt ſymptomata, hæc vtilia cenſemus: quæ verò non ſunt, inutilia. Si igitur neq; cauſas morbiferas, neque locos affectos comprehendimus, eo quòd facultatem habeamus diſcretricem, vt dixi, ſymptomatum vtilium & inutilium: etſi non poſſimus obſeruationes moliri in efficientibus, vel cauſis, vel locis affectis, vtpote ſanguine moleſtante, nõ percipientes ſanguinẽ eſſe, qui morbum inferat. A grauitate autem illato ſymptomate, quòd grauitas cauſa ſit cõmoti quærere in ipſis poſſumus: ita & in difficultate ſpirandi, ignari ventris, aut pulmonis, aut hepatis, aut diaphragmatis, aut alterius cuiuſdam loci affecti ſymptoma eſſe, ſolùm verò, quid locus ſit, ſcientes, in ipſis obſeruare poſſumus, veluti & in ipſo loco. Quæ verò neque loci ſunt ſymptomata, neq; cauſæ, neq; virtutis tanq̃ adiectitia auerſamur. Itaq; commoditas incommoditáſq;, vſus eorũ, in quibus obſeruamus ſcopis, aduerſus Empiricos producẽda: quoniam nos in ſolis ſymptomatum generibus obſeruamus, in quibus neq; virtutis, neq; temporis, neq; magnitudinis, neq; ordinis, neque alterius cuiuſdam vſus, vt in dentium ſtupore portulacam. Quid gitur prohibet, inquiunt, fortè & nos ita obſeruare? Si in his dixerimus, in quibus ſymptomatum genus obſeruatur, ſicut & nos antea reliquorum, in quibus vſus temporis, magnitudinis, virtutis, non amplius nobis ſuffragatur. Si autem dixerint, in hæmorrhi morſu plura ſubſequi ſymptomata, & nihil in his obſeruatis, quænam dicemus? quoniam non in ſymptomatis, ſed in primitiua cauſa obſeruamus. Inquirimus autem ſymptomata ad primitiuarum cauſarum, in quibus obſeruamus, comprehenſionem. Ignorantes enim cauſam, & curatione ſecundum indicationem deſtituti, obſeruationem in cauſis primarijs factam, adhibemus. Obſeruamus autem non ſolùm in cauſis, ſed etiam in loco vno. Itaque in iocineris affectu & lienis nonnulla obſeruauimus. At ſi dixerint, vnum ſingulos hos ſymptoma comitatur, adferemus interim non vnum, ſed multa. Scrutamur autem multa, non vt in ipſis obſeruemus, ſed vt in quo obſeruamus, comprehendamus. In iecorarijs iecur affici, in quo ſit obſeruatio, ac in alijs ſimiliter. Nam magna parte in cauſa primitiua ſit obſeruatio. non enim in dentiũ ſtupore portulaca obſeruata eſt, ſed in diſpoſitione ab acidis, aut acerbis facta. Etenim ex fluore ſtupentes, aut vomitu, aut ſerrantibus quibuſdam nihil portulaca iuuat. Vbi igitur prius diſquiſierimus cauſam, à qua ſtupor factus eſt, deinde ſic ipſa vtimur. Quæ verò aſſumuntur in eiuſmodi non aduerſantur cauſis primarijs. non enim ſunt aliæ à continentibus. Hæc igitur præter concurſum obſeruationem merito habere dicentur. Interrogare autem oportet Empiricum, quomodo tempora adhibendi remedij obſeruen-

Vtilia ſymptomata quæ.

Symptomata inutilia.

uĕtur, vel modus præsidiorum, vel tempus, vel ipsorum quantitas. Porrò quòd historia ab illis asserta sit inutilis & impossibilis nunc demonstrabo. Vtuntur Empirici historia ob huiusmodi quandam causam. Subinde morbi quidam oboriuntur, in quibus nullum præsidium ipsis obseruatū est. Vt igitur & in hac quorundam ipsis facultas suppetat, & quòd non sua sponte permaneant, historia vtuntur: idq; non ob hoc solùm, sed cōpendiosæ traditionis gratia: impossibile enim est, vt discens in omnia symptomata incidat, ac eandem obseruationem in omnibus moliatur. Ne igitur perpetuò quis discat, sed aliquando etiam arte vtatur, idcirco ad medendum vtilem esse historiam pronūciant. Fit autem historia vel præsentium: vt

» Occidunt homines, ignis quoque plurimus ardet.

vel præteritorum: vt,

» Prælia Curetes atq; Aetoli subierunt.

nunquam verò futurorum, nam

Illa dies aderit, qua concidet Ilion olim,

non historia, sed præsagium potius est. Vsi autem sunt Empirici magna ex parte historia præteriti. Dicūt enim historiam esse, eorū, quæ subinde in ijsdem comperta sunt, enarrationem. Verū contra eos agendum est. quòd si omnia, quæ per historiam commemorantur, vera dicunt, iudicem aliquem rectè possent recipere historiam: quia verò hoc non ita habet, conuenit iudicandi historiam aliquod instrumentum inuenire, quo veritatē à falsis discernamus. Etenim medici in hoc non modò non consentiunt, sed etiam contraria opinantur. Siquidem febricitantes inedia traducūt, & ne aquam quidem propinant. Alij per initia ptisanam exhibent. Reliqui cauēt, ne vnquam ordeum deuoret æger. Petronas porrò etiā carnes suillas tostas, & vinum nigrū meracius præbet, vomere cogēt, frigidámque potui exhibet, quantam volunt. Apollonius autē & Dexippus Hippocratis auditores non modò nōn vinū, sed ne aquā quidem dederunt. Cum verò cerini cyathos duodecim liquoris præparassent, in sextam heminæ partē duos cyathos, aut tres ægrotantibus quotidie propinarunt. Cum itaque tanta sit contrarietas, quomodo non historiæ iudicatoriū instrumentum præbere conuenit? Hos igitur fateri coactos, quòd neq; inutilis recipienda sit historia, inutilem enim sic historiā ostēdemus, rogabimus, num ratione, aut experientia historiam iudicent. Sed ratione haud possunt, quā ipsam tollunt, qua hæc singula iudicantur comprehendunturq;: experiētia autem remedia comprehensa, dicunt. Itaq; experientia etiā iudicari cōuenit. Vt enim in alijs habet, ita & hîc aliquis in historiā colligat, niuē refrigerare. Si historia iudicatura est, oportet eodē iudicandi instrumento vti, vt historiæ author comprehendit: Rationalis igitur à causa historiam iudicare poterit. Cum enim scripto mandauerit aliquis homini, qui vasa distēta grauatáq; habeat, sanguinis profluuium obortum, id quod offendebat circunscripsit: grauitatémque hanc diiudicat, num vera sit, ad causam, quæ symptomata infert, respiciens, consideránsq;, an sanguinis eruptio causæ aduersari poterit. Vbi autem inuenit grauitatem & distētionem ex copia euenire, sanguinis autem eruptionē copiam imminuere, deprehendit historiam esse veram, ac nullo alio ad diiudicationem indigere. At in quibus causam non comprehendimus, historiam ipsa experientia iudicat, si enim colligere eam quis videtur, nempe dentium stuporem

portulacam soluere, experientia ad iudicium vtetur. Quare necessarium sic est, vt etiam Empiricus historiæ iudicium experiētia moliatur: sin autem experiētia historiā iudicat, superflua est historia & inutilis. Sed dicūt nonnulli Empiricorum nos fide dignis scriptoribus attendentes, historiā iudicare. Cum autē quærimus, quomodo fidei dignitatem iudicatis, cum alij in alijs aberrent, & rectè se gerant, quoniā dicūt non ob quoddam opinionis statuendæ studiū, historiæ author hæc scriptis mandat; neq; ob decreta ad affectum, neq; ob contentionem quandam, tunc verum nos esse dicimus, quod commemoratur: ad hoc dicendum est, primùm sanè propter nullum dictorū, sed qui historiam condit, deceptus commentatur. Num ideo, quòd neq; propter opinionem, neq; dogmata ad affectum, neq; ob contentionē commemoratur, verum est, quod in historia conscriptū est? Deinde quòd sapientē medicum esse cēsent, qui illius author est? Aggressi sanè qui historiæ iudicium virum sapientem iudicant. tale autem iudicium philosophis & nō medicis incūbit. Vnde abundè licet colligere, neq; ob opinionē, neq; ob dogmata ad affectus, neq; ob contentionē commemoratur, id, quod in historiā colligitur. At commemorato iudicatorio fidei dignitatis instrumento ab ipso probato vsus est. dicentes enim, quòd cum neq; propter opinionē, neq; ob contentionem historiæ mandatur, causas exponunt, ob quas narranti credere oportet. Quare si propter nihil aliud, certè propter hoc vtiles sunt causæ inquisitæ: at nos nihil amplius molimur, sed dicimus oportere (propter quid) inuestigare, quod etiam in ipso facilè historiæ iudicio videntur, verū nos quidem (propter quid), & (in totum) causa, ad rei, quæ dicitur, iudicium vtimur: Empirici, ad eius, qui historiam condit, modum diiudicandi. At mores iudicare non medicorū sed philosophorū est propriū. Præterea hoc dicunt Empirici non oportere experientia historiā iudicare. aiunt enim quoniam sicut nos, eo quod, Creta insula est, quibusdam cōmemorantibus, percepistis, quòd insula quædam Creta existat, etsi Cretā vestris ipsi oculis non videritis: ita & nos cum multi de eisdem consentiant, non opus est experientia historiā iudicare, sed multorum opinioni credimus. Verùm nos sanè dicemus, qui credidimus decreta, his Rationalibus certè moti, quod aliquis illinc huc nauiget, & rursus hinc illuc: item quoniā amici quidā Cretēses hîc sint, vel etiā contrà quibus scribimus, vel etiā à quibus literæ nobis deferuntur: præterea quòd etiā omnes homines de ea consentiunt, etiam inimicissimi. At in Medicina ferè in nullo cōueniunt, idq; pauci cum sint medici ad vniuersos homines: ac non solū non concordant, sed etiā maximè contraria opinantur, vt paulo antè ostensum est. Quapropter iudicatorio quodam instrumento opus est ad historiā in medicina diiudicandam. Quoniā verò & Empirici dicūt, ea, quæ comprehēduntur, partim sensu deprehēdi, vt ruborē: partim memoria, vt quæ signis quibusdā percipiūtur, indicatoriè autē nullum deprehēditur, neq; alio modo ab ipsis tradito. At quòd Creta insula sit, cōprehendunt nimirū tanquam non comprehenderint, Cretā insulam fuisse: sin autē comprehenderunt, tertius quidā modus cōprehensionis existit. Hæc igitur dicta sunt ad iudicandum historiā ab ipsis celebratam esse superuacaneā. Porrò quod etiam impossibile sit remedij cuiusdam comprehēsionem ab historia habere, paucis aliquis astruxerit. Quoniā enim obseruationem, vt prius ostendebamus, non modò in symptomatū & numerorum genere fieri, sed etiam magnitudine & tēpore oportet, hæc autem in commen-

tarium referri impossibile est sine scopis, constat historiam quoque non posse admitti. Porrò quòd curationes magnitudine, tempore, & ordine fiunt diuersæ, demonstratum est. Quinetiam ex quibus obseruationem in syndrome fieri non posse astruximus, inde quoque licet affirmare, quòd ne historiam quidem facere, sit possibile, quippe non licet obseruationem moliri: perscribere autem non obseruata licet. Deinceps de similis transgressu agendum est. Indiguerunt autem similis transgressu Empirici, propter has causas. quoniam enim plurima & propè infinita erant, in quibus obseruationes fieri conueniat, infinita erunt & remedia: impossibile autem in omnibus plurimis eundem quædam obseruare, idcirco opus habuerunt & historia, & similis transitu. Præterea quoniam Rationales eis refragantes, inquiunt, si alterius cuiusdam artifices sunt comprobati, certè eius, quod in promptu est: vos vnum in vno obseruantes, infinitas curationes æditis, aut plura coacti in eodem obseruare, nunquam arte vtimini, sed obseruastis, inquiunt, quòd similis transitu vtamur, vnde facultas vobis suppeditatur. Age enim, vertiginosus ex casu sanguinem profundat, deinde affectu liberetur. hoc obseruato in alio, sanguinis missione vtimur. Deinde aliquis roget ipsos, vnde comprehenderint vertiginosum sanguinis profusione liberatum, & non ex casu quodam? sed nondum dicere ipsis oportet, priusquam demonstrauero, quot modis similis transgressu vtantur. Vsos igitur se esse similis transitu dicunt, interim ab auxilijs ad auxilia, interim à locis ad locos, interim ab affectibus ad affectus. Itaque ab auxilijs ad auxilia, vt cum mespilum loco mali cotonei in dysentericis assumunt: à locis autem ad locos, vt cum quid in musculosis, aut neruosis obseruatum, verbi causa, à fœmore ad brachium transferimus: ab affectibus autem ad affectus, vt cum in sanguinis profusionibus, obseruatis vtentur in hæmorrhi morsu. tot itaq; modis similis transitu vtuntur. Quare ipsos interrogare conuenit, primùm sanè in præsidijs quomodo vtantur, num facultatis similitudini attendentes, aut symptomatum præsentium similitudini, vt cum mespilum loco cotonei assumunt, vtrum secundum astrictionem eadem esse putantes, similiter exhibeant, an quòd ambo rotunda, colore & tactu similia, esse conspiciunt. Si enim facultati, dico autem astrictioni, attendentes, digredi se dicant, fatentur astrictionis causas se inquirere, secundum quas, iuuant præsidia. ac cum auxiliorum facultate, comprehenditur & noxiorum virtus. Imò etiam amplius quid inquirere ipsos conuenit, non modò, quòd astringunt. Multa siquidem astringunt quidem, non idem verò efficiunt. vt squama astringens, purgat etiam particulas. Si enim cognitum est, quòd piper calfaciendo iuuat, nunc comprehensum est id, quod nocet, quà frigidum est, nocere. Sin autem symptomatum similitudini attẽdentes, similia proferri dicitent: vtrum, rogabimus, omnia symptomata similia sint, ac ita similitudinem ratiocinentur. Sed fieri potest, vt omnia symptomata quorundam similia existant, ita enim eadem fuerint, & non similia. At quorundam symptomatum similitudini attendentes, inquient. Vel igitur pluribus, vel paribus vel paucioribus attendentes, dicemus, digredimini. Si quidem paucioribus, omnia ferè similia erunt. in aliquo enim similia sunt omnia. Si autem paribus, & pluribus, cur in ijs, qui sanguinem fundunt, dicemus, sicut coma porri vsi estis, ita non allij & cepæ coma vtimini? similia enim hæc magna ex parte. & in chimethlis,

De similis transgressu.

cur vt rapa, non etiam raphani radiculis? & in ſtomachicis, cur abſinthij penuria, hîc quoq; ſucco porri non vtuntur? hæc enim ferè diſcerni nequeunt. & in hydropicis, cur raphanidis loco ſæpe rapo non vtuntur? In vniuerſum conſiderare oportet obſeruatis ſimile quiddam contrariũ potẽs: ac rogare ab ipſis, num propter ſimilitudinẽ in ijſdem, his vtendum ſit: iudicare autẽ ſimilitudinem ſenſibus, vt illi cenſent. Eodẽ aliquis epichiremate vti poſſit in reliquis, verbi cauſa, exemplo oſtendendum eſt ipſis, ꝗ neq; à ſymptomatis ad ſymptomata, neq; ab affectibus ad affectus trãſire poſſunt. Num enim dicemus accidentium ſimilitudini poteſtate attenditis? ſed non dicent: nequaꝗ̃ enim diſquirunt facultatẽ, ſed accidentium ſimilitudinẽ ſecundum ſenſum. Vtrũ igitur ſi in pluribus, aut in paribus ſymptomatis ſimilia ſunt: ſed in plurimis ſimilia ſunt inflammatio & ſcirrhus, verùm contrariã ferè, & in nullo ſimilem curationẽ requirunt: iã œdema, & hernia, & ſtruma, & meliceris, multam ſanè inuicem ſimilitudinem ſeruant, attamen curatio permultũ euariat. Præterea qui ob ruptũ vaſorum commerciũ ſanguinẽ reijciunt, ſimillima ferè cum ijs habent accidentia, qui illorũ adapertione ſanguinẽ educunt, non tamen eadem curatio conuenit omnibus. Hoc itaq; modo licet oſtendere, impoſſibilem eſſe ſecundum Empiricos ſimilis tranſitum. Deinceps autẽ conſequens eſt, quomodo Rationales ſimilis tranſitu vti poſſint, quod nonnulli non ſimilis tranſitum, ſed analogiſmum vocant. Etenim ſimilis tranſitum Empiricis conuenire pronunciant, vicinum verò ſimilis tranſitui modum, analogiſmum appellant, quo Rationales vti dicunt: nos nihil contẽdimus cum ijs, qui nomina immutanr, rem ipſam verò indicabimus, quã licet vnicuiq; pro arbitrio appellare. Dicimus igirur alia quidẽ ſymptomata cauſas ſubſequi, alia locos affectos, alia facultates, alia affectus ipſos. Hæc Rationalis omnia diſcernit, ac nouit, in quibus obſeruatione, in quibus nõ opus eſt. Aliorum igitur præſentium & non præſentium, quæ nihil ad curationẽ conferunt, nullam habet rationẽ: ac cum ſyndrome variare videtur in aliquo ſymptomatũ non vtilium, eiſdem vtitur, tanquã concurſus ſimilis exiſtat. Empiricus autẽ quoniã in cumulata ſyndrome obſeruat, nec habet vim diſcernendi ſymptomata, cum quodlibet vel deficit vel redundat: quòd variante ſyndrome diuerſa curatione vti debet ignorans, quoniã in quibuſdam ſanè ſymptomatis exceſſu aut defectu ſyndrome euariat, vt in inflammatione, ſcirrho, œdemate, & hernia, in quibuſdam autem non ita. Etenim in opiſthotonicis & emproſthotonicis differre quidem videtur inflammatio, ſed quoniam affecti eſt ſymproma, neque cauſæ, neque loci, neque facultatis curatio euariat. At Empiricus hoc quoque ignorar, quòd nonnunquam ſyndrome quidem ſimilis ſit, non eadem verò vti curatione licet. Ecce enim paria & ſimilia ſymptomata in ijs ſunt, qui ſanguinẽ educunt per vaſorum rupturam, adapertionem & eroſionẽ. Finge etiã tuſſim perpetuò eandem eſſe, & eius, quod educitur, copiam, eadémq; etiam alia & ſimilia, attamen curatio diuerſa aſſumitur. Rationalis igitur vtilitatẽ inutilitatémq; ſymptomatũ noſcẽs, ſubinde cum diſſimilis vulgo ſyndrome videbitur, ijſdem vtetur: vtpote opiſthotonici quidã dicuntur, emproſthotonici, & tetanici, hi diuerſam ſyndromen habere videntur: verùm Rationalis ſciens copiam ſanguinis eſſe cauſam, & muſculorum affectum, ipſúmque effectum inflammationem, eadem cum illa vtetur curatione. Etenim prædictis ſolis aduertit ſymptomatis, affecti autem acci-

Symptomata quę ſequãtur

dens tanquam inutile auersatur. nam in anteriorem partem, vel in vtranque ex æquo intendi, patientis est accidens: ad curationem verò nihil habet vtile reseruatum, vt nec lachrymas emittere. At cum similis esse videtur syndrome, ne ex causæ quidē notione diuersa vtuntur curatione, vt in ijs, qui ex erosione, aut ruptura sanguinem reijciūt. Etenim symptomata diuidens Rationalis, iuxta relationem ad ea factam, quæ vtile indicant, & ex symptomatis commoda deligens, vténsque remedijs, quæ his aduersari accidentibus possunt, cum syndrome diuersa esse videtur, hic eadem curatione vtetur: ac contrà vbi similis esse censetur, diuersam curationem assumet. etenim curatio symptoma est, quæ aduersari possit causis symptomata inferentibus. Itaque Rationalis singula comprehendit remedia, quæ causis morbificis aduersantur: & cui symptomati aduersari natum sit, non ignorat, eo quòd syndromen, vt diximus, diuiserit. Empiricus autem in cumulata syndrome remedia obseruans, quid cui aduersari natum sit, scire non potest: id autem ignorans, ne similis quidem transitu vti potest. secundum quid enim remedium iuuerit, etiam ipse nescire se fatetur. Vnde igitur, dixerit aliquis, vtilia, & inutilia symptomata Rationalis internoscit? Dicendum, relatione, quæ fit ad scopos indicantes: cum enim sciat alia symptomata ostendere scopos vtile indicantes, alia non esse huiusmodi, vtilia sanè obseruat, reliqua autem auersatur. Ex vtilium verò symptomatum comprehensione, accidit etiam, vt similis transgressu vti possis: interdum non totam curationem transfert, sed aliquam eius partem. Vt enim syndromas subdiuidit, ita & curationes: ac nouit, quænam in curatione remedia renitūtur symptomatis, quæ à causis inferuntur, quæ verò ijs, quæ à locis aut facultatibus proueniunt. Expertus enim aliud accidēs à causis oriri, aliud à locis, aliud à facultatibus; item quòd à causa quidem auxilij genus subindicatur: à loco, vtendi modus: à facultate, in præsenti vt ita dicam, mensura. Si quidem eadem est causa, & symptomata causam indicantia appareant: locus autē non sit idem, neque eadem virtus, idem sanè auxilij genus assumet: locum & modum non item. At si causa non fuerit eadem, locus autem idem & facultas eadem, non idem remedij genus vtique vsurpabit: modum verò, & mensuram eandem. Quoniam igitur Rationalis & syndromas, & curationes metiri potest, nimirum etiam ex concursuum similitudinibus motus, partes quasdam curationis, vt par est, transferre potest: Empiricus, neque causam, neque symptomata causas indicantia, aut locum, aut facultatem, connitens magno studio id efficere, non poterit. idcirco neque similis transgressu vti poterit. Quatenus enim syndromæ inter se conueniunt, ignorat: quo fit, vt neque curationem distinguere possit, & remedium, quod præsenti symptomati aduersatur, adhibere. Si enim hoc, inquit, posset, dico sanè concursuum symptomata partiri: & curationem noscens, quatenus vnumquodque iuuat, aut offendit, causarum occultarum notitiam habere fatebitur: si autem hoc, etiam ab indicatione præsidia capere posse concedet. Cum itaque impossibilia sint, quæ Empiricorū sectā conformāt, obseruatio, historia, & similis transgressio: obseruationem sanè inutilem, sine ratione & impossibilem per se ostendimus: inutilem sanè, quoniam rationis vsus est diiudicantis, in quibus symptomatis cu-

Vnde Rationalis symptomata vtilia ab inutilibus internoscit.

[illegible] secta empiricorum [illegible]

rationem moliri conducat, neq; enim in omnibus præteritis, & ijs, quæ ægrotanti ad sunt, obseruandum esse arbitrantur: impossibilem verò, quoniam cum plura sint hæc omnia, non prorsus assequi licet, vt idem fiat concursus. Dico autem genus symptomatum & numerum, magnitudinem, ordinem, tempus, similiáque: historiam verò superuacuam ideo, quòd ea, quæ commemorantur, experientia indicat: impossibilem verò, eo quòd neque magnitudinem symptomatum neq; tempora potest præterea commemorare, sine quibus auxilij comprehensio fieri nequit. At similis transitum pertractauimus in ijs scilicet, quibus ostendimus, quòd necessariò ipsum constituere oporteat, ad facultatũ noxiarum, aut iuuantium disquisitionem. Quoniam igitur ceu in summa Empiricis contradiximus, reliquum fuerit, vt ad Methodicos digrediamur. Conuenit porrò eum, qui illis refragatur, communia quidem admittere, quod autem in illis euariat, tollere. Itaq; Empirici, vt ab indicatione sumantur remedia, fieri non posse contra Methodicos pronunciare conabuntur: nos autem ab indicatione auxilia peti concedemus, verum ab apparentibus indicationẽ fieri, non item concedemus. Præterea & illud donabimus Methodicis, à symptomatum neque vno, neque pluribus indicationem fieri: illud autem non ita donabimus, symptomata prorsus esse inutilia. Videntur enim nobis subinde symptomata fieri indices eorum, quæ, quod confert, possunt indicare: ad indicationem verò, prorsus esse inutilia symptomata. Huiusmodi quosdam sermones proferunt Methodici. Dicunt enim, quòd cum eadem sint symptomata, differũt autem affectus, in quibus sunt symptomata, non eadem curatione vtimur, vt in phrenitide, tum ea, quæ ex astricto est, tum ea, quæ ex fluido. Ac contrà cum ijdem sunt affectus, differunt autem symptomata, eadem, inquiunt, curatione vtimur, vt in pleuritide, & phrenitide, si vtræq; ex astrictione affectus sunt. Quoniam igitur & cum eadem sunt symptomata, diuersa ratione medemur: & cum sunt differentia, interim eadem, idcirco symptomata ad curationem inutilia prorsus esse. Nam quum affectus tolluntur, symptomata etiam tolluntur: & quum constituuntur illi, hæc quoque constituuntur, ideóq; affectus quidem vtiles esse pronunciant: ob quos constitutos, hæc generantur: solutos, soluuntur. Symptomata verò inutilia, nullam vim in ijs habẽt. At si indicare symptomata dicant, nihil vtile, sed noxiũ quid potius indicãt. Vt febris, refrigerare, aut per Iouẽ potum afferre: cupiditas vini, & balnei, vinum dare & in balneũ deducere. Quoniã igitur symptomata vel nihil indicãt, vel nihil vtile, imò potius incõmodũ noxiũmq;, idcirco symptomata quidẽ, inquiunt, astruimus: affectus autẽ, vt qui quod conducit, indicare possint, recipimus. Cæterũ proponunt eiusmodi quasdam rationes ad indicandum symptomata non esse vtilia. Si idem, contrarium non indicat: & qui ægrè ferunt astrictionem & fluorẽ, contraria requirunt: à tolerandi difficultate remediorum non fit indicatio. Verùm retorquere in ipsos hunc sermonẽ licet, ac ostendere ne affectum quidem indicare, hoc pacto. Si qui astrictũ corpus habent à frigore, & corruptione, diuersis indigent: idem verò, diuersa non indicat, haud igitur ostendit constrictio id, quod faciendum est. Aliter disputant Methodici in hunc modum. Si diuersa idem non indicat, febricitantes autẽ & tussientes, idem interim indicant: à febre & tussi indicatio non fit. Nos autem ita retorquebimus. Quòd si agitati laxatíq; à bile, eadem desiderant, diuersa autem idem non indicat: ab

Contra Methodicos.

astrictione & fluore id,quod conducit,non ostēditur.huiusmodi igitur nonnulla, vt indicēt,symptomata esse inutilia,Methodici proferunt.Nos primùm sanè ostendemus,quòd per ea,quæ ipsi faciunt,fatentur symptomata non esse prorsus inutilia:vsus verò,quem exhibent,consequenter,vbi Rationalem sectam exponemus,indicabitur.Quòd igitur vtilia ad curationem symptomata esse putent Methodici,hinc constabit.Volunt ipsi quomodocunq; mēte captos in tenebris decumbere,siue ob fluorē,siue astrictionem delirent: etenim lumen turbationē mentis augere arbitrantur: lethargicos non in eodem decumbere oportere dicant,siue propter astrictionē, siue propter fluorem tam profundo somno corripiantur. tenebras enim putant vnà cum profunda animi in somnũ delatione cōprehendere.Quomodo igitur,dicimus,si nihil symptomata indicant,eos,qui ob astrictionem delirant,in tenebris collocant?cum hæ astrictionem intendant, ac contrà, eos,qui ob fluorem lethargici sunt,in luce, cùm ab hac fluor augescat?In huiusmodi enim negligere quidem prorsus affectus videntur,attendere autem nudis symptomatis.Quomodo igitur inutilia fuerint,quæ tantam vim habere videntur,vt etiam negligere subiectos scopos cogant,& non solùm negligere,sed etiam contrarium efficere ijs,quæ à scopis indicantur?Etenim astrictio,laxare indicat:qui verò in tenebras delirantes concludunt, non laxant,sed astringunt è contrario,cum fluor deprimere indicet.At qui lethargicos ex fluore, in lucem deducunt,ijsdem fluorem augent.Adhæc respondent, non quia symptoma hoc indicat,hæc assumimus,sed quoniam è cōtrario symptoma nobis indicabatur,ac nihil prohibet assumere,quod scopus ostendit.Etenim quod contraindicatur, dicunt, ostendere quidem id,quod confert, non autem permittere fieri,quod affectus suggerit.Ad hoc nos dicimus,si quæ è contrario indicant,inutilia sunt, etiam virtus,quæ non finit frequenter,quod scopus indicat, assumere,erit inutilis:sed virtutem inspicere conuenit,cum vtile quippiam vobis inde ad curationem proficiscatur, etsi contrà etiam indicet virtus.sicut igitur vim contraindicantē vtilem esse censetis, necessarium est vobis etiam symptomata fateri esse vtilia.Ad hoc etiam ridiculè tenebras in phreniticis assumũt. si enim tenebræ astrictionem adaugent,intensa item astrictio mentis turbationem auget. siquidem intenduntur augentúrque symptomata, affectibus nimirum contrariũ facientibus,quàm conuenit.aucta enim affectũ adaugent,& mentis turbationem.itaq; de symptomatis talis est disputatio.Quòd autem affectus id,quod conducit,non indicant,vt arbitrantur Methodici,quibus ipsi rationibus symptomata inutilia declarare conabantur,ijsdem nos,quòd neque affectus id, quod confert,indicant,ostendemus. Dicimus enim cum ijdem affectus sunt,diuersæ autē causæ,non eadem nos vti curatione.Vrinæ retentio vnus affectus est, verùm si quidem ex calculo orta est,excisionem ipsius molimur:sin autem ex inflammatione, cataplasmate obducimus: quòd si ex immoderata vesicæ tentione,recto clystere,quem cathetera græci vocant,vtimur:vel quemadmodum Erasistratus ægrotante in genua erecto,aphronitro extremum canalis vrinarij, quē vretera vocant,attingimus:& quæ sequuntur.At si ab affectibus indicationes auxiliorum fiunt,cum idem est affectus,etiam remedij eiusdem eædem fiunt indicationes:non fiunt autem,si diuersi affectus idem indicarent.Nunc cum eadem est causa,affectus autē diuersi,eandem curationē assumũt.Cholera enim &

Affectum nō idem semper indicare.

arquatus diuersi affectus etiã ipsi propè consentiũt, hic astrictus, ille fluidus: attamẽ in vtrisq; vacuationẽ assumimus. Quoniã igitur causis sublatis tolluntur etiã simul affectus, & consistẽtibus illis, hi consistũt, etsi ijdẽ sint affectus, diuersa tamẽ vtimur curatione. Causis porrò ijsdẽ subsistẽtibus, etsi affectus sint diuersi, eadẽ curatione vtimur. Idcirco affectus, causas, & locos affectos examinamus. Iam ex his licet ostendere simile; à diuersis causis eundẽ gigni affectũ, nẽpe astrictũ. Ignis enim elapsus superficiẽ densat, itẽ frigus similiter: attamẽ licet idem sit affectus, diuersa tamẽ vtimur curatione, propter causarũ differẽtias. Etenim ex igne orto affectui superfusionibus & cataplasmatis, quę crustas separare possunt, medemur: ex frigore autẽ cõtracto, fotibus, linimẽtis, abrasionibus, similibúsq;. At si laxatoriã in vtrisq; proferãt eandémq; curationẽ, dicemus, quòd si nihil euariat curandi ratio, etiã si immutemus, nihil peccabimus. Imò etiã ab igne lęsum ijsdẽ fouemus, & à frigore affectũ oblinimus, ac ijs, quæ crustas faciũt, medicamẽtis vtemur in ipso. Verũ non hoc facimus, quippe offenduntur. quapropter non eadẽ esse curatio dicetur. Prætere a eadẽ causa diuersos efficit affectus. nã ex plenitudine alij inflãmationẽ experiũtur, inflammatio autẽ astrictio est: alij sanguinẽ profundũt, sanguinis autẽ profluuiũ, fluor est: sed præter affectuũ differentiã curatio nõ euariat. Nam vacuatio, in vtrisq; solutio, affectui cõtraria. Non enim ab efficientibus, sed ab his, quæ fiunt, vt etiã ipsi fatentur, indicationes fieri oportet. At affectus quidẽ recipiunt, vt causas Methodici, quoniã symptomatũ sunt effectrices. Verũ nõ vt causæ sint, inquiunt, indicãt, sed vt cõmunitates. Nihil autẽ refert, idẽ dicunt, & vt causam esse, & vt cõmunitatẽ, & vt alia. Sicut enim malum gustabile, visibile, & tangibile est. at cum dicimus dulce esse, nõ quatenus tactui occurrit, dulce appellabimus: ita & affectus, nihil prohibet aliorũ sanè esse opera, quorũdã etiã esse opifices. Cum verò, inquiũt, indicare ipsos dixerimus, neq; quâ opera sunt, neq; quâ opifices quorundã indicare pronũciamus, sed vt cõmunitates. Quemadmodũ itaq; symptomata Methodici, eo ꝙ eadem à diuersis fiunt, & ab ijsdẽ diuersa, nullũ indicare præsidiũ dictitant: ita & nos cũ videamus à diuersis causis eosdem oriri affectus, & ab ijsdẽ diuersos, inutiles ipsos ad auxiliorũ indicationẽ esse pronũciamus. Non enim vnus indicat semper idẽ, alioqui difficultate vrinæ orta eadem semper vteremur curatione. Vt igitur ipsi luborẽ non indicare dicunt, speciem esse operis arbitrãtes: sic nos quoq; affectus inutiles esse ad indicationẽ affirmamus, nũc sanè causarũ, nunc operũ: etsi aliquis ad ipsos dicere possit, quomodo rubor alterationẽ ipsius non indicat. etenim & cõmunitatẽ ab ea spectari, vt quæ in pluribus diuersis cernatur. Est autẽ communitas, idẽ in pluribus. Si igitur & indicat, & commune est plurium, cur non ab hoc & huiusmodi symptomatis manifestò aparẽtibus, indicationes facitis, sed ab affectibus, astrictione & fluore nequaꝗ apparentibus? Ac quia nõ ostenditur, qui affectus sit, maximè ridiculum est dicere, affectũ esse insensibilẽ. Si igitur fluor & astrictio solæ essent cõmunitates, aliquid probabile haberent dicere, has solas indicare: quoniã & symptomata plurium sunt cõmunia, quid ni etiã à symptomatis auxiliorũ fit indicatio? Illi autẽ, inquiunt, eo ꝙ cõmunitates nõ sunt pertinentes, & necessariæ medicis, idcirco symptomata auersamur. Cum enim ijdẽ sunt affectus, differentia autẽ symptomata, eadẽ curatione vtimur: & cũ differunt affectus, diuersa vtimur medendi ratione, vt alibi cõprehensum est. Hac de causa etiã nos cũ videamus, dicemus in

Communitas

affectibus quoq; simile accidere, quod vos in symptomatis obseruastis, vt inutilia nũc ipsa auersemur. Ex superfluo enim est & hoc astruere, ꝙ affectuum cõprehensio sit inutilis. sufficit enim ad curationẽ causæ comprehensio, loci, qui molestatur, agnitio, virtutis mensura: sin autẽ astrictio, aut fluor, superfluũ (dico) est comprehẽdere. Sed hæc quidẽ ratio facile postea explicabitur, vbi ostẽderimus, quẽ vsum affectuũ comprehensio exhibeat. Illud autẽ dicendũ est contra Methodicos, ꝙ affectus id, quod faciendũ est, nõ indicat, sed ablationẽ, aut circuncisionẽ sui, quodcũq; aliquis etiã optauerit. Id autẽ constat idiotis & imperitis animalibusq; ratione carẽtibus, ꝙ affectus quidẽ amputationẽ sui indicant, sanitas autẽ conseruationẽ. Artifices nõ hac indigẽt indicatione, sed scire volũt, per quę amputatio affectuũ, & materię obseruatio pręstabitur. Vsum itaq; habẽt indicantiũ ea, quæ particulatim cõferũt. Et per quę quis sanitatẽ adipiscitur, iisdẽ etiã eandẽ conseruauerit. Hac etenim re etiam artifices ab idiotis discrepãt, si hęc cõprehendũt, quę particularia pręsidia indicant. Sin autẽ ab affectibus auxiliorũ indicatio facta est, ipsi vtiq; qui ea habẽt, quibus sanitatẽ moliri oportet, nouerũt. Verũ hoc quidẽ ignorant: quod autẽ affectus indicat, intelligũt. Quoniã enim sublationẽ indicat, illi ad medicos mittũt, qui affectus possunt tollere. Porrò licet etiã ex adhibitis præsidiis cognoscere nõ copiã, sed causam curationẽ indicare. Nõ enim pręsidia aduersantur his, quæ fiũt, sed efficiẽtibus: vt euacuatio copiæ cõtraria est, nulli autẽ affectui, vtpote inflãmationi, aut febri. Sublata autẽ ab euacuatione copia, tollitur etiã simul affectus à copia subortus. Nõ autẽ, quoniã affectus vnà cũ efficiẽti submouebatur, auxiliũ affectui cõtrariũ erat. Etenim copia superfluitate grauat: vacuatio autẽ superfluitatẽ imminuens, grauitatẽ tollit, deinde copiã, quæ vasa distẽdit. vacuatio autẽ, in cõsidentiã deducit. Ac alia præsidia causis aduersari inuenias, affectui autẽ nulli. Pręterea etiã hinc aliquis didicerit, ꝙ si quidẽ astrictio auxiliũ nullũ, neq; fluor, sed potius affectũ aliquẽ indicat, astrictioni autẽ cõtrarius est fluor, nõ vacuationẽ, sed fluorẽ astrictio indicat: similiter autẽ & fluor astrictionẽ indicabit. Quod igitur assumimus, idẽ indicat affectus, causę autẽ offendẽtes cõtrariũ ipsarũ indicãt, & quod hæ indicãt, assumimus. quapropter nõ affectus, sed causæ remediũ indicãt. Quòd itaq; symptomata non sint prorsus inutilia, & affectus non possunt remediũ indicare, causæ autẽ indicãt, abundè satis demõstratũ est: deinceps inspiciendũ erit, nũ cõmunitates, quas Methodici statuunt, appareãt, an minus: ac vtrũ indicationes à cõmunitatibus fieri possint, an secus. Itaq; definientes Medicinã secundum illorũ sententiã, cognitionẽ esse communitatũ apparentiũ, apparens autem non vt sensu perceptibile esse pronunciant. Nulla enim dispositio sensu percipitur, verũ illi apparẽs dicũt, quod ex se percipitur, etsi nõ sensibus exponatur. siquidẽ illi apparens propemodũ euidẽs appellãt. Cõuenit igitur eum, qui cõtra illos agit, hoc quoq; ostẽdere, quòd nesciant græcis vti nominibus. Ne autẽ videamur dictioni adhęrere, cõcedentes ipsis apparẽs, vt libet, appellare, ostẽdemus nõ ex se cõprehẽdi cõmunitates: ac primũ sectę ipsorũ authorẽ Thessalũ demonstrabimus signa exponere cõmunitatum, ꝙ ex se videlicet percipi nõ soleãt. Etenim in ægrotãte astrictionẽ, inquit, percipere licet, inde ꝙ corpora ęgrè difflẽtur. Similiter & fluoris quasdã notas exponit. Sed forsan

Affectus faciendum non indicant.

Artifices ab idiotis, qua re differant in curando.

Indicationes non fieri à cõmunitatibus.

dicent, quod viro, nō sectæ ipsorū cōtradicitis. Dimisso igitur Thessalo rem propositā prosequamur. Primū igitur cōmuni quodā epicheremate in duabus dispositionibus vtemur, ostendētes ipsas nō apparere, neq; ex ipsis percipi: deinde etiā peculiarē vtranq; dispositionē non ex se comprehendi. Fatentur itaq; & ipsi non omnē corporis densationē, neq; excrementi retentionē, astrictionem esse. etenim agricolæ in concretionibus sunt, non tamē in astrictione: & retentio familiarium, non est astrictio. Vbi verò purgatio mulieris propter conceptū cohibetur, retentio quidē consuetæ excretionis est, non autē astrictio. Insuper nō omnis corporis raritas vel effluxio, fluor est. etenim pueri, mulieres, & delicati viri natura, sunt rari, & excretio quædam, non fluor est excrementorū. Sed neq; eos, qui per aluū, aut vrinas, aut sudores, aut sanguinis eruptiones excernunt, in fluore esse dicent. insistere enim ipsos excretioni oportebit. Quoniā igitur nō omnis densatio, & retentio, astrictio est, neq; omnis raritas aut effluxio, fluor, constat fieri non posse, vt nudis ipsis symptomatis attendens, fluorē aut astrictionem percipias: ex alijs autem decernere ipsa oportet. Vt enim etiam alia symptomata siue secundum naturam sunt, siue præter naturā, non ex seipsis, sed ex alijs percipiuntur: ita neque astrictio & fluor. Quod autem dicitur, his manifestum euadet. Symptomata, quæ secundum naturam sunt, cum his, quæ præter naturam, multam habent similitudinem. Nam eadem alijs secundum naturam, alijs præter naturam sunt. vt niger color præter naturam similis est ei, qui secundum naturam existit: nobis etenim præter naturam, Indis autem secundum naturam. Item figuræ præter naturam respondent naturalibus. Alij enim magis alijs articulis emissitijs nati sunt, item nares acutæ, & oculi concaui: alijs sanè lethalia symptomata, alijs autem eadem hæc secundum naturam. Iam motus & immobilitas, siquidem à voluntate fiat, secundum naturam: si contra voluntatem, præter naturam. Ex his constat non posse eos, qui symptomatis ipsis attendunt, naturalem modum & ei contrarium cognoscere. Verùm cōuenit in nonnullis sanè causam inferentem examinare, vt in motu, num à voluntate, an sine illa fiat: item in colore. Quoniā enim humorum color est, apparet autem ex colore sanguis, considerandum est, an secundum naturam sanguis habeat. Videbis autem ex vsu. si enim reliquum omnem vsum, sanguis liberum præbeat, neq; distendat, neq; grauet, dices secundum naturam esse colorem. At figuram, num secundum naturā sit, ex membri vsu percipies, vt in eluxatis. Nonnulla verò ex loco, in quo fiunt, an secundum naturam sint deprehenduntur. Sic etiam densitas raritásq; alijs secundum naturam est, alijs contra. Etenim senum densitas ipsis quidem secundum naturam, pueris autem præter naturam. Iam ipsorum puerorum raritas, ipsis quidem secundum naturam est, senibus autem præter naturam. Item ratione vitæ nōnulli densati sunt, vt agricolæ: necnon ex negotijs alij, attamen secundum naturā affecti sunt. Idcirco nō licet ad nudam coporum densationē & fluorem respiciētes, affectus percipere. Conuenit autē & ad aliud quippiā hæc referentes, diiudicare secundum naturam'ne sint, an affectus. Dicunt enim cōmoderatione & immoderatione naturalia symptomata, ab his, quæ præter naturam sunt, nos discernere. Cū enim mediocriter corpus densum, rarūmq; fuerit, animal sanū est: cum autem vel densitas, vel raritas intēsa, mediocritatē excesserit, ægrotare cogitur. Respōdebimus itaq; ipsis mediocre & immoderatū diuersum à dispositionibus

esse. Sin autẽ immoderatione affectus iudicetur, non ex seipsis percipi in confesso est: deinde ita si moderatum & immoderatum non apparet, sed ex effectis deprehẽditur. Si enim iuuat, moderatum est: sin offendit, immoderatum. Quomodo igitur, quum hoc moderatum & immoderatum non appareat, quæ ex eo percipiuntur, apparebũt? Quòd si etiã ad vim moderatum & immoderatũ iudicetur, ne sic quidẽ immoderatũ constabit. nam vis non apparet. Cum autẽ immoderatum non apparet, nimirũ nec cõmunitates apparẽt: siquidẽ hæ immoderationesquædã sunt. Prętereáq; dicendum ipsis est, nullũ ex his, quæ secundum naturã sunt, præter naturam apparere, sed tanquam secũdum naturam, aut præter naturam apparet. Nam dolor, aliáq; eiusmodi præter naturam apparent. Medici autem percipere cupiunt, non qualia sint præter naturam, sed quòd sint. Nares enim acutæ, & oculi concaui omnibus hominibus apparent: num autem secundum naturam, an præter naturam, solis medicis. Hac enim re medici ab idiotis differunt, quòd in apparentibus abditum quid possunt percipere, quod nõ item possunt idiotæ deprehendere. Deinde præter naturam nõ apparet, & communitates præter naturam sunt, constat igitur eas non apparere. Dignum verò est & illud consideratione, si quis vnquam hominũ medicum aliquem adijt, tanquam à densitate aut raritate immodica molestaretur: sin autem nullus communitates sensit, quæ ratio est dicere ipsas apparere? Cum autem communitates non appareant, quomodo arbitrantur artem cognitionem esse communitatum apparentium? Nunc autem priuatim de vtraq; dispositione agemus, ac primùm de astrictione. Hanc igitur densitatem esse dictitant, & excretionum, quæ requirũtur, retentionem. Itaque necesse est ea, quæ continentur, aut vtilia esse, aut noxia, aut neutra. Quare si vtilia sunt, rationi pugnat ea excernere: sin neutra, constat ne affectum quidem esse. reliquum igitur est dicere, ꝙ cum quæ retinentur, offendunt, astrictio est: quæ autem offendunt, causæ sunt. ex perceptione igitur causarum præcedenti astrictum deprehenditur. Vt enim videamus astrictum, præno uisse oportere retenta nocere: lædentium autem perceptione etiam causarum dignotio simul coincidit: magis autẽ lædentiũ cognitio causarum est perceptio. econtrario ipsa lædentia, quæ causæ sunt, non ex seipsis percipiuntur: non solũ igitur astrictio apparet, sed neq; illa, ex quibus astrictio percipitur. Porrò fluorẽ definientes immodicam corporum raritatem esse dicunt, & excretionem eorum, quæ permanere desiderant. Quòd igitur immoderata raritas non ex se percipitur, ostensum est. Quæ autem excernuntur, siue permanere oporteat, siue minus, vnde percipient? ex seipsis enim non solent percipi: vnde neq; fluor ex se percipietur. Vt enim fluorem agnoscamus, prius familiare percipiendum est. Familiare autem ex vsu iudicari debet: vsum verò ex effectis multis, iísq; ex seipsis non percepto, fluore cognito. Quomodo igitur rationi consentaneũ dicere ipsum apparere? Ac quod Rationales ferè difficillimũ perceptu esse dicũt, id Methodici apparere affirmãt. Nulla enim re, quàm nomine distat fluor ab his vocatus, à colliquatione, quã veteres Græci σύντηξιν nominarũt. Ita verò discretu difficilia veteres esse censebant syntexin, & excretionẽ, vt Erasistratus quidẽ etiã palàm difficillimã iudicatu fateatur. Dicit autem in hunc modum: Difficile admodum est excretionem & syntexin discernere. Hippocrates autem ad ferendi facilitatem, & difficultatem iudicium remittit, inquiens: Si qualia conuenit purgare,

Medicus ab idiotis quomodo in diiudicando differat.

Astrictio corporis.

Fluor secũdũ Methodicos.

σύντηξις.

„purgentur, conducit, & facilè ferunt. Cum itaq; duo viri veteres de principatu certent, & ambo conſentiant in hoc, quòd difficulter diſcerni poſſit excretio, à colliquatione: & cum hic ne ſignum quidem excretionis expoſuerit, ſed ſolam rei difficulratem oſtenderit: ille verò ad regulam perceptu difficilem iudiciũ retulerit, Methodici hoc apparere arbitrantur. Eſt autem in ijs, qui per latentem perſpiratum digerũtur. Vnde fluorem ſe percipere dicent? nam à corporis collapſu non poſſunt. quoniam non ſolùm collapſus ex fluore vacuatis corporibus accidit, ſed etiam ob aſtrictionem menſibus retentis. Etenim tumida moles non ob aſtrictionem tantùm retentis his, quæ excretionem deſiderant, efficitur, ſed etiam ob fluorem fuſis humoribus, ac corpora diſtendẽtibus. Quòd autem non idem ſit ſenſibilis collapſus corporis, & fluor, hinc euadit manifeſtũ. Si collapſus ſenſibilis eſt, collapſui autem contrarius eſt tumor, & vnum vni repugnat, fluori non tumor ſed aſtrictio erit contraria. Sin autem dicant tumorem idem eſſe cum aſtrictione, docere ipſos oportet diffinitionum contrarietatẽ. dicunt enim aſtrictionem, coarctationẽ, & denſationẽ corporum exiſtere. Eſt igitur coarctatio & condenſatio, corporum aſtrictio: tumor autem, fuſio & corporum diſtentio: diſtenduntur autẽ, aut ob copiam, aut ob fuſionem. itaq; apparet non idem eſſe aſtrictionem & tumorem. Quòd ſi fateantur collapſum corporis aliud quid ac fluorem eſſe, & humorem quàm aſtrictionẽ, dicent non ex his percipi cõmunitates, aſſenrientúrq; ex alijs, & nõ ex ſeipſis diſpoſitiones percipi. ſiquidem ex collapſu & tumore deprehendũt, quæ ab affectibus ſunt diuerſa. Nonnulli verò dicunt in his, quæ per latentes meatus diſſipantur, fluorem percipere, inde ꝙ corpora ſint mollia, delicata & effœminata. Quibus obijcietur, ꝙ ſi dura ſint corpora & intenta, non dicent quidem fluorem eſſe, ſed ipſum fateri coguntur. Si igitur tales quidem ſint ægroti, quales Hippocrates exponit, ab extrema inedia huc perducti, vt cutis dura ſit, & intenta, ac alia, quæ in diſſipatis digeſtiſque exiſtunt, an ea, quæ iam commemoratis adhibetur, medendi ratione vtemur, fateri neceſſe eſt. Quomodo itaque ex rarirate fluor percipitur? etenim intentione & duritie ſubſiſtente, nihilominus fluor eſt: deinde quoniam etſi communitates appareant, nihil tamen vtile indicant. Idcirco aliquis oſtenderit differre dicens ipſa cõmunia indicare, vel à cõmunibus percipi ea, quæ indicari poſſunt. Methodici igirur ipſi cõmunia indicare affirmant: nos autem communium perceptionem conferre ad dignotionẽ eorum, quæ particulatim indicari poſſunt. Ac præcepta quodammodo cõmunia cum ſint, particulariũ perceptionem ſubindicãt. Nam in hoc, laſſitudines ſpontaneæ morbos teſtantur, percipimus, laſſitudinis in particula ſpontaneæ diſpoſitionem ad copiam. referre enim oportet morbos in præſentia ad plenitudinẽ. Itaq; vniuerſalis cognitio, particularis perceptionẽ præbet eius, quod remedium indicare poteſt. Non autẽ putandum eſt nos exiſtimare ex præceptis manifeſtò auxiliorum indicatoria percipi. Non enim præcepta abditorum ſunt indicia, quorum vſum ad curationem vt indicantium habemus: verùm diſpoſitionem abditorum ad apparentia ſignat. Ita verò diligentius præceprorũ vſum didicerimus, de ipſo hoc, laſſitudines ſpontaneæ morbos prædicunt, ſermonem inſtituentes. Quòd igitur laſſitudo ſpõtanea ſit euidens, etiam idiotæ norunt: ꝙ autem ex ſpontanea laſſitudine copia indicatur, idiotæ quidem ignorant, vt quæ abdita ſit: artifices autem norũt, qui ex præcepto laſ-

Tumor & aſtrictio non idem.

situdines spontaneę ad copiam, dispositionē perceperunt. nam ipsius spontaneæ lassitudinis ad plenitudinem dispositione motus, constituit præceptum: comprehendénsq; lassitudinis effectum, esse spontaneam lassitudinem, ipsum condidit. Quoniam igitur causarum duplicem quandam vniuersalem maximè cognouit differentiam, item q́ causarum alias extra nos sunt, alias in ipsis corporibus, necessarium esse censuit, cum aliquid extrinsecus infestauerit, non alioquin nos molestari, nisi in corporibus nostris causa subsistat. Quia verò inter ea, quæ insunt, grauatia ex substantiæ superfluo grauant: vt si medioctis, neq; grauet, neq; molestet. Collectis his in vnā ratiocinationē, præceptū hoc confecit, lassitudines spontaneæ plenitudinem fatentur: quibus enim ratiocinationibus motus author præceptum cōstituit, ab ijsdem etiam præcepti vsum subindicari oportet. Hoc igitur generale indicat: vbicunq; lassitudo sit spontanea, illic totius esse plenitudinem. non tamen à præcepto plenitudinem comprehendit, sed dispositionem lassitudinis ad copiam: ex dispositione verò, plenitudinem. Itaq; ex lassitudine quodammodo copiam percepit: vt autē ex ipsa comprehenderit præceptū, causa fuit. Iam aliorum præceptorū eundem vsum, si inspiciamus, inueniemus. Nos itaque ita vniuersalem & veluti communē perceptionem conferre arbitramur: Methodici verò cōmunitates ipsas præsidia indicare arbitrantur. Etenim astrictum affectum indicarę dicunt laxandum esse, fluidum verò continendi rationē requirere, ac reliquas cōmunitates statuunt diuersa manifesta indicare, de quibus dicetur. Quòd autē cōmunitates non indicāt, his cōfirmabimus. Quibus sublatis ægrotantes fiunt sani, horū sunt auferentia præsidia: quorū autem sunt auferentia deinceps remedia, ab his indicationes remediorum sumūtur. Auferentia autē sunt, consequēter particularium causarum præsidia, ergo vtiq; morborum, particulares erunt causæ: & morbi vtiq; indicabunt, quod conducit, & non cōmunitates, eo quòd cōmunitates sint, remedium indicant: & si quæ adsumūtur præsidia, tollūt ea, quæ indicātur, à particularibus remedijs communitates tolluntur. At cōmunitate sublata, qui illo tempore ab ipsa communitate ægrotarunt, sani euaderent, nullo quopiam ab ipsa sublato. At si quod indicat, hoc tollitur, communitates autē indicant, nimirū ipsæ tollentur. Ad hoc Methodici respondent, cōmunitatem nos eandem & vnam esse dicimus, nō quòd vnum est corpus sibi continuū, si quis in pluribus speculetur, sed quatenus eadem species est. Vt enim & humanitas cōmunio quædam esse dicitur, non adhuc corpus vnum vnitum, deinde in omnibus hominibus spectatur, sed similitudo quædam in pluribus, id etiam de cōmunitate existimandum esse dicunt. Quemadmodum igitur, aiunt, homine sublato, non aufertur simul humanitas, quam in omnibus conspicimus, sed vnius cuiusdam humanitas: ita & particulari cōmunitate sublata, non in omnibus communitas tollitur, sed particularis duntaxat. Dicendum itaq; ipsis est, quòd si communitates, quâ communitates sunt, remedium indicant, etiam humanitas cum sit cōmunitas, id quod conducit indicaret. nihil autem humanitas indicat, neq; alia igitur quædam cōmunitas remedij index erit. Præterea si communitas identitas est, in pluribus etiam communitates, quâ communitates sunt, indicarent, ac difficultas tolerandi & rubedo cū in pluribus spectetur affectibus, conducibile aliquid indicarent: nihil autem indicant, quare nec reliquæ cōmunitates naturā habent indicandi. Quærendum autem hoc ab eis est, num com-

Communitates nihil indicant.

munitates affectus sint, an non. siquidem affectus quodammodo nullus vnquam ipsorũ sensit, sed febrium quidem inflammationẽ, grauitatem, distentionem, homines percipiunt, ac medicos propterea accersunt: astrictionem verò & fluorem nemo vnquam sensit, neque per Iouem aliquis ad medicum misit, tanquam ab immodica astrictione, aut raritate molestatus. At si non sunt affectus, quomodo ab affectibus indicationes fieri dicũt, vbi astrictio & fluor non sint affectus? Præterea illud quoq; dicendum, quòd si communitates naturam haberent indicatoriam, omniũ maximè communitatũ communitas indicaret. etenim astrictionis & fluoris similitudo quædam, quatenus cõmunitates sunt ambæ: nihil autem hęc indicat, quare nec reliquæ. Cæterùm non modò duas communitates esse prædicant, sed etiã plures, & alias sanè in victus ratione, alias in manus administratione. Ac in victus ratione, astrictum & fluidum & adiũctam magnitudinem: item tempora morborum esse quatuor, initium, augmentũ, statum, & declinationem: iam acutum & diuturnum, intentionẽ & interuallum: in chirurgia autem natura aliena, loco, tẽpore, aliáq; plura. Verùm de scopis in chirurgia exactius disputare in præsentia non conuenit. sufficiunt enim rei propositæ scopi in victus ratione ipsorum expositi. Inuexerunt autem enumeratas cõmunitates, cum non haberent in rebus pertractationem. Quoniam enim consentaneũ erat quocunq; vti comprimenti in omni fluore, & quocunq; laxante, in omni astrictione: cum autem non inuenirent, quod auxiliorum differentiam indicaret, inuexerũt etiam dictas cõmunitates, vt ex harum differentia diuersa inueniretur curatio. Dicunt igitur præsidiorum differentiam cõmunitates has indicare. Nam ex harũ quarundam congressu varians curatio reperitur. Ostendemus autem nullũ ex prædictis præsidiorum esse indicatorium posse. Ac primùm magnitudinem ex cõmunitatibus, non indicare auxiliorum magnitudinem, hinc aliquis didicerit. In curationibus non absolutè auxiliorũ magnitudines requirimus (omnia enim remedia cum certa sunt magnitudine) sed hanc magnitudinẽ. Indicabit enim magnitudo ex cõmunitatibus, non huius auxilij magnitudinem, sed simpliciter magnitudinem. Conuenit autem, vt dixi, non absolutè magnitudinem auxiliorum assumere, sed certam aliquam magnitudinẽ. Si enim absoluto sermone magnitudinem assumimus, quandoquidẽ omnia præsidia cum certa magnitudine cõsiderantur, omnia præsidia adhiberemus, idq; citra discrimen, quod est absurdissimũ. Quòd si magnitudine inter cõmunitates absoluta magnitudinem præsidij indicante, ipsi aliquam magnitudinẽ assumunt, non quam scopus indicet, hãc assument. siquidẽ scopus cõmuniter magnitudinẽ indicat, ipsi verò talem aliquã assumũt. Dicent autẽ forsan, non quia particularis est magnitudo, adducimus, sed si cõmunitas est, hanc ipsam & cõmunẽ esse & particularẽ contingit. Ad hoc autem respondemus. Ad id, quod communitas ostendit, etiam quod indicatur non particulare indifferens esse conuenit, quoniam magnitudo comitatur quoduis præsidium. Hanc autẽ ipsam rationẽ etiam ad cõmunitates transferre licet, verùm deinceps ne morborũ quidem tempora id, quod conducit indicare demonstrabimus, sed ante orationem hanc de tẽporum differẽtia pauca tractare oportet. Duo igitur temporum differentiæ apud medicos referũtur, hæc morborum, illa præsidiorum: vnde manifestum euadit, quòd & motus causarũ tempora esse dicunt. Sunt autem motus differentiæ quatuor, initium, incrementum, vigor, &

Magnitudo cõmunitatũ, auxiliorũ magnitudinẽ nõ indicat.

Temporum differentiæ.

declinatio. hæc ſunt & temporum nomina. Auxiliorũ verò occaſiones, tẽpora eis aſſumendis idonea eſſe pronunciant. ſunt autem tempora idonea, in quibus quæ quidem auxilij aſſumptionem poſtulãt, adſunt: ex his autem quæ prohibẽt, nullum. Porrò vulgus, præſidiorum occaſiones morborúmq; nõ ſubſiſtẽtijs differre, cogitatione autem ſolũ arbitratur. quippe dicit eodem tempore & auxilij opportunitatem, & morbi cõſiſtere. Nam cum morbus in aliqua eſt opportunitate, præſidij occaſio inuenitur. At, inquiũt, fieri poteſt, vt idem ad aliud & aliud relatum multifariam dicatur. Vt enim deſcenſus, & aſcenſus vnus cum ſit & eadem via, ex diſpoſitione aſcendentium vel deſcendentiũ aliàs aſcenſus, aliàs deſcẽſus appellatur: ita etiam in tẽporum occaſionibus habet. vna ſiquidem & eadem eſt, & morbi opportunitas, & remedij, aliter enim ad cauſæ motum referẽdo dicere licet, morbi tempus: aliter ad præſidiorũ adhibitionis opportunitatẽ, tempus præſidij. Iam verò cõtingere dicunt, vt ambo tempora ſimul coẽant: ac fieri nequit, vt citra morbi tempus, præſidij tẽpus excipias. Reſpõdendum igitur ipſis eſt, quòd ſi eadem præſidiorum & morborũ tempora exiſtunt, ſubſtantiáq; non differunt, cõueniebat in quolibet morbi tempore, etiam præſidij eſſe tẽpus: non autem in quolibet morbi tempore præſidia admouemus. Etenim incipientibus, ait, morbis ſi quid mouendum videtur, moue: dum vigent autem, quieſcere ſatius eſt. Non igitur eadem tempora ſunt morborũ & præſidiorum. Frequẽter autem auxilia adhibemus, vtpote purgationẽ, aut ſanguinis detractionem, cum morbus quidẽ non eſt, ſed futurũ ſuſpicamur. Quemadmodum ſanè chirurgi in ſecandis hernijs cum ægros ſanguine repletos cõſpiciunt, ſectionem venæ moliuntur. Ac Hippocrates adhortatur, ſummè bonam habitudinẽ ſoluere non lentè. Solutio verò ex præſidijs accidit. At ſi in morborum ſtatu auxiliorũ tempora non ſunt, & vbi morbi non ſunt, tempora præſidiorum exiſtunt: conſtat non intellectu modò, ſed etiã ſubſtantia differre: præterea in vno morbi tempore plures præſidiorum occaſiones aſſumi. Nam in declinatione, verbi cauſa, morbi clyſter adhibetur, inunctio, cataplaſma, & alimentum. Horum verò ſingulorum peculiare tempus eſt: ac in plurimis morborum temporibus idem eſt, cum auxilium decernimus. per initia ſiquidem morborũ ſanguinis miſſio adhibetur & in incremento. Hinc igitur apparet quandam temporum differentiam in ſubſtantia exiſtere. Iam illud præterea noſſe cõuenit, quatuor morborum eſſe tempora, initium, incrementum, vigorem, & declinationem. At auxiliorum hæc tempora non ſunt. neq; enim principium, neq; augmẽtum, neq; ſtatus, neq; inclinatio, auxiliorum ſunt tempora. Inſuper morborum ſanè tempora ſcribuntur vniuerſalia & particularia: auxiliorum verò vniuerſalia ſanè ſcribi poſſunt, particularia non item, propter huiuſmodi quandã cauſam. Morborum tẽpora tum vniuerſalium, tum particularium vno & eodem iudicandi inſtrumento decernũtur: ac inſtrumentum ſcribi poteſt. At remediorum tempora, neq; idem iudicandi inſtrumentum habent, neque particularium temporum inſtrumenta iudicatoria ſcribere licet. Porrò in præſentia oſtendemus, quomodo morborum tempora iudicantur certo cauſæ motu: ac ſunt, initium, incrementum, ſtatus, & declinatio. quæ morborum tempora vocamus certi cauſæ motus vocabula. At ſi motus, qui prius non eſt in nobis, conſtitui incipit, & conſtitutus moleſtat, huiuſmodi motum morbi principium dicimus: ſin autem motus magis procedat,

Præſidia non in quolibet morbi tempore adhibenda

In Aphoriſmo.

Quatuor morborum tempora.

Morborũ tempora quomodo moueantur.

incrementum: si stationem incremẽtum acceperit, vigorẽ nominamus: ꝙ si motus imminuuntur, declinationem. Quia igitur temporũ eadem sunt nomina & vniuersalium morborũ & particularium accessionũ, etiam eadem sunt iudicandi instrumenta. nam ex certo causæ motu nascũtur. Vnde constat vtraq; tempora scribi posse. Sic enim dicimus scribi singula, vt causas, locos affectos, & similia, quando scopi ex quibus concipiuntur particularia, describi possunt. Quòd autem morborum interualla, tempora non sunt, neq; ex interuallis tempora capiuntur vel vniuersalium morborũ vel particularium, inde quòd non ad omnia temporum hæc interualla sunt, idem verò tempora dicuntur, manifestũ est. At quòd tempora vniuersalium morborum & particularium accessionum inter se differunt, liquet inde, ꝙ non in vno tempore vniuersalis morbi plura particularium accessionum tempora constituuntur. Nam initio insultus morbi, particularis quædam accessio incipit, augescit, viget, & declinat: ac vbi totus iam morbus viget, particularis accessionis principium aliquis accipit. Quo modo igitur morborum tempora vtraque scribi possint, comprehensum est. At auxiliorum tempora quomodo non liceat vtraq; scripto mandare, nunc ostendemus. Auxiliorum tempora capiũtur non ex causæ motu & substantia, idem enim semper auxiliũ assumeretur, vt in omni morbi principio sanguinis missio: ac cum Hippocrates dixerit, Morbis incipientibus, si quid mouẽdum videtur, moue: vbi vigent, conquiescito: non ex tempore inductus præsidia decernit: quippe nouerat, per morborum initia vires non esse sublatas, idcirco non impedit remedia assumere: in statu autem morbi vires iam defatigatæ, motum ab auxilijs venientem non tolerant. Quare Hippocrates non à tempore sed viribus remediorũ assumptionem deligit: neque tamen ex temporũ in morbis interuallo, vt nonnulli arbitrantur, præsidij occasio inuenitur. Multum enim cum interualla differant, qualium quis appellationẽ, interuallum, dixerit, explicatu non est facilẽ. Capiuntur igitur tempora vniuersalium sanè præsidiorum, tum ex ęgrũ, quæ remedia postulant, præsentia, (hæ autem sunt causæ) tum ex absentia eius, quod prohibere potest. hoc autem est virium imbecillitas. At in particularibus, præsidiorũ tempora non ex his solùm, sed etiam ex alijs, quæ scribi non licet, existunt. Quoniã enim, præsertim in remissionibus, remedia assumũtur (nam & id, quod postulat, adest, & vires sustinent) non idem remissionis est interuallũ in omnibus. Sed esto sex horarum interuallum remissionis. quale igitur harũ horarum tempus statuemus, cum particulare præsidium non similiter omnibus sit dispositũ? Fingamus enim casum sanguinis dimissionem requirere, ac vires non aduersari: quantum in hoc sanguinis detractionẽ assumere conuenit? Simul autem quædam post sanguinis missionem & alimentum adijcienda, eo quòd æger inediam ferre nõ possit: alteri autẽ cibo abstinere conuenit, alij somno ante missionem sanguinis indigent. quæ omnia scribere nõ est. Itaq; in huiusmodi varietate qualisnam pars horæ, tẽpus omnibus congruũ constituet pręsidio, aut qualem quis scopum scribet, vnde particulare tempus sumi queat, dicere non licet. alia enim in alijs symptomata existunt. Quoniã igitur & interualla remissionũ, in quibus assumimus præsidia, nõ paria in omnibus remissionibus, ac circunstantiæ dissimiles, ac symptomata diuersa, in singulis autem his euariat etiam particulare tempus præsidij, clarum est scopum sanè quendam, ex quo capi queant, scribi non licere. Pe-

Auxiliorum tempora scribi non possũt

Remedia à viribus deligenda.

Vnde capiantur præsidia.

ritus autem tum ex præsentibus, tum postulantibus præsidia incitatus, & ex ijs, quæ impediri possunt, absentibus, & ex ratiocinationibus præsidiorum, quæ post hoc assumi debent, coniecturam particularium temporum remedij accipiet, ne quandoque scopi à subsistẽtijs differant. Quoniam igitur scopi, ex quibus sanè vniuersalia auxiliorum tempora remediorũ capiuntur, scribi possunt: illi autem, ex quibus particularia capiuntur, scribi non possunt: iccirco cum ratione dicunt vniuersalium sanè auxiliorũ tempora scribi, particularium autẽ non item. Quo manifesto reddito constat etiam in hoc differentia remporum & in morbis, & in auxilijs. Si enim ne subsistẽtia quidem differrent, similiter vt morborũ tempora, etiam auxiliorũ tempora amborum scribi possent. At cum scopi discrepent, ex quibus tẽpora sumũtur, multum etiam tẽpora inter se differre ratio est. Vt enim scopi temporũ in morbis subsistentia differunt à scopis auxiliorũ, ita & ipsa tẽpora subsistentia differre credibile est. Hæc igitur de tẽporibus prænouisse oportebat. At tẽpora indicari Methodici putarunt ab huiusmodi quadam causa. Videbant tẽpora nõ omnia esse idonea, in quibus cibus aut auxilium assumeretur: verũ in temporibus quibusdam sanè vtiliter hæc assumi, in alijs autẽ quibusdam noxiè, ex tẽporum differentia hoc venire sunt arbitrati. Illinc igitur & scopos alimenti & præsidij tẽpora esse censuerunt. Verùm Hippocrates Thessalũ fefellit his verbis: Cum morbus viget, tunc etiam tenuissimo victu vti necesse est. Putabat enim ipsum ex tẽpore sumptam qualitatem cibi accepisse, nõ conscius modi, quo vir ille dolum struit. non enim tẽpus scopũ faciens, huiusmodi oblationem examinauit, sed à tẽpore quidem, virium mensuram: à viribus, cibi qualitatem cepit. Id quod constat ex his, quæ inducit: Siquidem coniectare, inquit, decet num æger suffecturus est. Etenim tempora impediũt subinde id, quod virtus postulat, assumere, nunq̃ autẽ tempus ostendit, quid faciendum sit. Quoniã igitur id, quod postulat aliquid, scopus est eius, quod postulatur: quod autẽ vos prohibet assumere id, quod postulatur, non vtique erit scopus. Si enim aliquis ea, quæ prohibent, omnia scopos po suerit, etiam vires scopũ euacuationis esse dicere cogetur, ac ob ægrotantis metum, patrem, & dominũ. Etenim hæc subinde cum copia subest, prohibent vacuationẽ assumere, ac virtus non ferens sanguinis ablationẽ, etiam propter timiditatẽ æger non permittens, pater prohibens, item frater aut dominus. Quemadmodũ igitur hæc nemo sanæ mentis scopos dixerit, ita neque tẽpora, eo quòd præsidijs aut oblationibus vti prohibent nos, subinde scopos esse dicemus. Malè igitur (dicet quis) ait Hippocrates in principio morborũ, si quid mouendum videtur, moueto, cum vigent quiescere satius est: non malè, dicemus. quippe haud principiũ scopum efficiens, censet per morborum initia remedia offerenda: sed ab initio, quòd nondũ imminutus sit modus virium, indicat, item quòd ablationem ferre possit: at vigor, virtutis imbecillitatem insinuat. nam per vigorem validę quidem causæ, imbecilla autẽ virtus est, iccirco conquiescendum censet. Videbitur enim rationi esse consentaneum, per morborũ status cum maximè causę inualescunt, sublationẽ ipsarum moliri. Verùm si quidem omnino esset innoxiũ auxilium, offerre id oporteret. habet autẽ secu: snam præsidia primũ sanè quoniam omnia præter naturã existunt, necessariò etiam vires molestant adhibita: deinde quoniã familiaria afficiunt, cõmiscenturq; causis morbificis in ipsarũ ablatione, nihilominus alienorũ q̃ familiarium

Vires in principio, augmẽto & statu.

fit imminutio. Primùm porrò naturam auxiliorũ, ac vsum, quem exhibent, non ignorare oportet. Etenim præsidia per se causarũ sublationẽ moliri nõ possunt, indigent autẽ naturæ administerio: ac ferè solam occasionẽ ac principium naturæ cõcedunt, reliqua verò natura per se efficit. Valida igitur cum est, & auxiliorum malignitatẽ sustinet, & familiariũ imminutionẽ facilè tolerat, ac quæ ipsam offendunt, potest propellere. At vbi premitur, quod in statu potissimũ accidit, à præsidijs adhibitis magis læditur, ac familiariũ circuncisione fit imbecillior, necnon causis magis succũbit, adhæc morbifica nullo modo potest propellere: at vbi natura incumbens, noxia protrudere nequit, plurimũ ab ipso conatu dissoluitur. Iccirco per morborũ initia Hippocrates, si quid mouendũ est, mouere præcipit, in statu autẽ conquiescere. Forsan igitur, hinc aliquis opinabitur, virtutẽ id, quod conducit, suggerere. Discas autem nullum virtutẽ auxilium indicare, hinc nimirũ: si virtus sufficiens, auxiliũ aliquod indicat in sanis, eo quòd sufficiens est, præsidium indicabit. Attamen neq; in sanis auxiliũ indicat, neq; igitur in ægrotantibus etiam moderata id, quod cõuenit, indicabit. Quia igitur, vbi virtus indicabit, non adest id, quod postulatur, non assumimus auxiliũ, constat neque vllum remediũ virtutem indicare: nam scopum præsentia indicare conuenit. At verò prohibere, id quod postulatur, assumere, virtus potest, scopus autem auxilij non est. Porrò quam rationem virtus habet in præsidijs, hanc in oblationibus tempora: quam verò in præsidijs causæ postulantes obtinent, hanc in oblationibus vires. Quòd verò paucam oblationem virtus postulat, & non tempus, intentio indicat. Ex quibus ab imbecillitate se recipientibus paucum cibũ offerens, si vires postulant: quòd si intentio paucum indicat cibum, hos sinere impleri oportebat. Nam vbi scopus, qui paucum alimentum subindicat, non adest, ridiculus foret, qui assumeret, quod non expeteretur. At initium indicari, aiunt, comprimendum esse. In omnibus igitur constat compressionem nos per initia assumpturos, eriam in ijs, qui viriligines experiuntur, quas alphos & leucas vocant, vsq; dum increscat. Vbi verò principium longius protenditur, nimirũ contabescet, qui huiusmodi ratione vtitur. Sed forsan dicẽt ad nos, quã ob causam vos per initia peripneumonicis & similiter his ægrotãtibus acutè inter initia nõ adhibetis, etsi tũc vires sint sufficiẽtes? Quoniã, dicemus, tẽpus virtute postulãte offerre nos prohibet. Non igitur cõprimere ac cõtrahere indicat, sed quod vires postulant non sinentes nos adhibere, quod contrariũ indicat, nõ citra rationẽ aliquis statuerit. Similiter & alia tẽpora prohibent, aut permittũt ijs, quæ expetuntur, vti, quandoquidem magis aut minus in ipsis virtus respondet, non tamen ea quippiam, quod conducit, indicat. Quando autem dicunt statum quidem pauxillum alimenti postulare, declinationem verò magis varium: rogandi veniunt, quo modo scopis vtentur, si duo quidem ægrotantes fuerint, alius peripneumonicus & in declinatione, alius lippitudine & morbo vigẽte: vtrum peripneumonico pleniorem & magis varium cibum dare audebunt, quàm ei, qui lippitudine molestatur? Sed non audebunt cibum variũ magis offerre. Quod si est, constat non ex temporibus varietatem & paucitatẽ cibi sumi, sed ex virium mensura. At dubitare aliquis etiam de illo possit, quo modo arbitrantur morbi tẽpus interim quantum, interim quale alimentum indicare: quemadmodum Methodici autumant, nunc differentiam auxiliorum indicari, nunc differẽtiam præsidio-

Ex viriũ mensura cib⁹ multus aut paucus offertur.

rum expoſcere. Cum enim dicunt augmentum ſanè paucum expoſcere alimenti, principium verò pleniorem, declinationem magis variam, & qualitatem & quantitatem alimenti, morborum tempora indicare pronunciant. At vbi dicunt principium, vt prohibeamus, augeſcere indicat, incrementum verò non ſegniter reprimere, & laxare, ſtatus ad mitius deducere, declinatio ſolutionem adiuuare, auxiliorum differentiam tempora poſtulare confitebuntur. Quo modo igitur abſurdum non eſt dicere, idem & diuerſum nulla differentia aſſumpta, indicare? Ad hoc forſan dicent, quòd etiam Rationalibus authoribus idem diuerſa indicat, nam bilis infeſtans ablationem ſui indicat. Reſpondendum verò eis eſt, bilem ſublationem ſui tantùm indicare, modos autem ſublationis eſſe plures. etenim dű circuncidimus & cõtemperamus ipſam. Deinde bilis ſanè, dicemus, in alio diuerſorum videtur eſſe indicatrix, quatenus enim grauat, circuncifionem: quatenus autem mordet, contemperaturam. Tempora verò cum ne vnam quidem huiuſmodi habeant differētiam, quo modo diuerſa poſſent, non eſt dicere. Porrò quòd tempus qualitatem aut quantitatem alimenti non indicat, hinc licet diſcere. Quod genus indicat, hoc etiam quantitatem indicare neceſſe eſt. quippe ſine differentia vnumquodque eorum, quæ, quod requiritur, indicant, genus oſtendit. Vbi verò differentiam aſſumpſerit, ab ipſo genere diuerſum indicabit. Quoniam igitur oblationis genus indicat, ſecundum illam virtus & quantitatem & qualitatem indicabit. Etenim citra differentiam oblationis genus indicatur: differentia autem aſſumpta etiam, quod in genere differens eſt, indicabit. Porrò Hippocrates quanti alimenti ſcopum virtutem facere videtur, vbi eos, qui creſcunt, plurimum habere caloris innati ſcribit. plurimum igitur indigent alimento. At ſi corpus non conſumitur, etiam qualitatem ex virium differentia ſumere apparet. In hac ſcilicet ſententia cibus iuuenibus quidem in ſummo vigore conſiſtentibus non permutandus eſt, extremè verò ſenibus mutatus conuenit. Hinc igitur liquet, virtutem ſine differētia genus oblationis poſtulare, cum differentia verò qualitatem. At tempus neq; alimenti qualitatem, neque quantitatem indicat. Quoniam igitur ſi morborum tempora qualitatem & quantitatem alimenti indicant, vel ob ſubſiſtētiam ipſorum aut ablationem hoc indicabunt. Nam quod indicat, aut ſui conſeruationē, aut ſubſiſtentiam indicat. Si igitur tempora quanti qualiſque cibi indicationem moliuntur, ſecundum id, quod perſeuerat, quomodo non ridiculum eſt dicere, quantum & quale alimentum offerre, vt morborum tempora obſeruemus? Si autem ex oblatione ipſorum indicationem tempora faciunt, conuenit quantum & quale nutrimentum contrarietatem quampiam cum temporibus, vt habet, apparere. Sola etenim contrariorum contraria ſunt ſublatoria. Temporibus autem non ineſt neq; quantum, neque quale alimentum contrarium, neque initium, neque incrementum, nec ſtatus, nec inclinatio. Pluribus enim eadem cauſa non aduerſatur, vnum nempe vni aduerſari ſolet duntaxat. Eadem ratione oſtendemus neque præſidiorum differentiam, morborum tempora indicare. Si enim neque ob ipſorum permanentiam indicationem tempora efficiunt, nec ob ſublationem, eo quòd pluribus vnum non erit contrarium, ac alius indicationis modus non eſt, manifeſtum tempora nihil vtile indicare. Sed in natu-

ram contrariorum aliquis respiciens sciet ne contrarium quidem indicare, nam ex eodem genere plurimùm inuicem remota contraria existunt: tempus autem alimenti aut quantitatis non sub eodem genere collocabitur. Quòd igitur neque qualitatem, neque quantitatem, neque auxiliorum differentias à temporibus capere licet, abundè à nobis demonstratum est. Nunc autem indicabimus principium id, quod prohibet augescere, non indicans, quod indicare arbitrantur Methodici. Cum enim multi morbi vnà cum initio statum recipient, vt apoplexia acutíque morbi, quid dixerit aliquis principium in huiusmodi morbis indicare? Etenim quod prohibiturum est augescere non indicabit. Nam vnà cum principio vigorem accepisse morbum dicet, aut nihil indicare principium in huiusmodi morbis aliud quidpiam, & non prohibere augescere. nihil igitur indicare licere eum, qui scopum norit, maximè ridiculum. At si aliud quidpiam indicabit, & non, quod ipsi arbitrantur, absurdè ipsi dixerũt initium postulare, vt augescere prohibeat. Hæc deceptio ipsis oborta est ab alia falsa opinione: quippe putantes omnem morbum per quatuor procedere, atque hoc ceu verum sibi proponentes. Horum consequens esse oportere autumarunt, vt morbi principium incrementi aut augmenti inhibitionem postulet. Atque hoc igitur ipsos latuit, nempe non omnem morbum incipere, augescere, vigere, & declinare. Siquidem acuti morbi, vt apoplexia, vnà cum inuasione vigorem recipit, ac qui morbi vno tempore iudicantur, declinationem amputãt: quippe iudicia circa vigorem morbos adhuc magis augescentes soluunt. Item auxilijs per initia morbum soluere licet, & reliqua morborum tempora succidi. Si igitur licet initio vacuare morbum & soluere præsidijs, cur tandem initium indicare prohibitionem augmenti, & non potius imminutionem aut sublationem norunt? At si imminutionem dicant & morborum demolitionem indicare non principium sed dispositionem, cur igitur, quæremus eos, non quod dispositio, sed quod initium indicat, assumitis? Nam propter id, quod dispositio postulat, etiam illud, quod principiũ indicat, efficitur. etenim qui minuit, aut tollit morbũ, etiam incremẽtum fieri postulat. Sed forsan dicent communitatem principij propinquiorem nos cogere, quod ipsa indicat assumere, cõtinuè quod faciendum est, innuens: dispositio autẽ, quod morbos tollere oporteat, exposcens, quibus id efficiundum sit, non indicat. Quibus verò prohibere oportet particularem, quorum prohibere, ne augescant, indicat, aut per quæ ex alijs sumuntur, hac ratione etiam dispositio morborũ oblationem solùm indicat: at ex quibus hoc faciundum sit, ex alio, vt par est, capere oportet. Quare satius est non principio, sed dispositione vti scopo. Deinde & illud ad eos dicendum est, omne principium implexus quidem esse secundum nos apparet (duæ enim communitates in idem coëunt & principium & dispositio, ac vtraque communitas diuersum quiddam indicat): at propior ac magis necessaria communitas nobis esse videtur dispositio, quàm principium. Quare huic mentem attendite. Ex his igitur constat affectus omnes communitatum esse implexus: quippe omnis dispositio tempore quodam oritur. communitas igitur non tempus solùm sed etiam dispositio est: quare perperam vnum implexum facitis affectuum esse putantes, & non omnes affectus implexus esse dicentes. Præterea & hoc dogma Methodicorum stolidum est, oporte-

re ſemper per initia morborum reprimentibus vti: cauſam verò inde dogma accepit. Multæ inflammationes reprimentibus per initia & repellentibus ſubſidunt:at omnis inflammatio,illis authoribus, aſtrictio eſt: quare abſurdum apparet aſtricta denſantibus ſubſidere,cum & nos dicamus ijs,quæ moleſtant, excretis ſubſidentiam fieri. At in ijs,quæ apparentia videri non poſſunt, pronunciant initio prorſus repellentibus vtendum eſſe.non repellimus enim cauſas,ſed vt corpora minus affectui obnoxia reddamus. Etenim compreſſio, inquiunt, & corporum ſtrictuta validiores ad iniurias ferendas partes efficiens,morbis corripi prohibet. Non enim incrementum, aiunt, ſola morborum imminutione prohibetur, ſed etiam pertinaci corporum contra iniurias robore. Dicendum igitur ad eos eſt,fieri non poſſe, vt incremento noxiorum partes minus reddas patibiles: præſertim antequam ægrotant,robur ad patiendum contumax partibus moliri conuenit. Etenim ne morbus oriatur, robore hoc contumaci indigemus: corporibus autem affectis, ſublationem offendentium tentare conuenit. Quoniam verò aſtricta diſpoſitio denſitas eſt & difficilis corporũ difflatio, reprimentia autem cutem denſant & minus difflabilem reddunt, conſtat ea incrementum aſtrictorum potius promouere quàm aduerſari:& quam affectus in proprijs temporibus magnitudinem reciperet, hæc per initia ex præſidijs obuenit. Sunt autem,qui etiam contrarium, quod principium poſtulat,aſſumant:ſiquidem principium id,quod augeri prohibet, indicat; qualitas autem eorum,quæ admouentur,augmento opitulari videtur. Quare alterutrum faciẽdum eſt aut principio, vt malè indicante attendendum,aut eorum,quæ admouentur,qualitas non ſalubriter admouetur. Itaque reprimentia initio inflammationum adhiberi commodè quilibet cõceſſerit,verù m cauſa ab eis facti quærenda eſt.etenim dicere contumax iniurijs ferendis robur ex reprimentibus accedere, ridiculum eſt,vt oſtendimus. Diſcant autem à nobis noxiorum repulſu & in alia loca ab affectu immunia tranſlatione,reprimentia auxilia morbos imminuere & liberare. Præterea & hoc dicendum eſt, initium non indicare præſidia,quæ augmentum ipſorum prohibeant: hæc autem contra ipſos ſunt,ſi reprimentia principia morborum, aut qualitatem quandam obtinent, aut non. Dicere itaque morborum principia qualitatis eſſe expertia, ridiculum eſt. non enim in ſenſum caderent,niſi qualitatem haberent. Vel igitur principiorum qualitas diuerſa eſt à ſingulis diſpoſitionibus, vel vniuſcuiuſque principij quantitas indifferens eiuſdem diſpoſitionis exiſtit. Si igitur diuerſa eſt à principijs qualitas, apparet quædam hæc ab affectu alia communitas,quam illi omiſerunt. At ſi eadem eſt vtriuſque principij qualitas, quæ & eiuſdem diſpoſitionis,cur non in morborum initio ad aſtrictionem quidem laxante ratione, ad fluorem reprimente vtemur? Abſurdum enim nos ad principium diuerſo modo pugnare, tanquam non eandem cum diſpoſitione, cuius principium eſt, qualitatem obtineat. Porrò quòd ridiculum ſit putare ex reprimente curandi ratione patiendi difficultatem corporibus obnaſci, qua corpora denſantur comprimuntúrque, hinc poſſis condiſcere. Si denſatio, compreſſio, & corporum durities patiendi difficultatis ſunt cauſæ, inflammati, ſcirrho indurati, & cutem duram denſámque præ extrema inedia habentes, difficilius quàm ſani afficerentur. Etenim ſani molliora rarioráque corpora obtinent,ac quanto magis ſani ſunt.

Insuper si duritie patiendi difficultas iudicaretur, senes, qui durius, quàm pueri corpus obtinent, ad iniurias difficiliores censeri oportebat. Si enim quam Methodici ex arte difficultatem patiendi dicunt moliri, hanc ex natura obtinent, quo modo non erat consentaneum, senes minus iuuenibus esse affectibus obnoxios? At ignorant Methodici, quo modo hominis ad patiendum contumaciam discernere conueniat, eo quòd neque moliri ipsam poterunt. Non enim vt lapidis, ferri, ligni, & similium duritie & mollitie patiendi difficultatem hominum iudicare conuenit: sed eo, quòd corpora suosipsorum vsus citra impedimentum præstare abundè queant. Qui igitur robur contra iniurias peruicax moliri volet, ei non venit considerandum, vnde corpus durum erit, sed vnde partium facultates adaugescent, ac partes liberè proprios vsus exhibebunt.



CLAVDII GALENI PERGAMENI DE Præstantissima Medicorũ secta ad Thrasybulum libri finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Vuluæ

CONSECTIONE LIBELLVS, IOANNE GVINTERIO Andernaco Medico Interprete.



DE vulua in præſentiarũ agemus, quem videlicet ſitum, quam magnitudinem, quámque figurã obtineat: item ex quibus ſuſpẽſa ſit, ac vnde alimentũ accipiat: quibus committatur coaleſcátq;: quæ attingat, quibus inuoluatur. adhæc quæ intra ipſam dum mulier prægnãs eſt, in exterioribus mẽbranis, quos Græci χόριον, Latini ſecũdas vocant, aut inuolucris fœtũ continẽtibus ſubnaſcãtur. [Propoſitio.]

Porrò ſita eſt vulua, vt tenui mẽbrana, quam peritonæum dicũt, includatur, inter veſicã & rectum inteſtinum media: huic quidem ferè toti incumbens: veſicam verò iuxta vmbilicũ, vbi fundum ipſius habetur, magna parte excedẽs, ſed iuxta pudendũ veſica vuluam ceruice ſuperat. At in his ipſis, puta mulieribus, veſica ſanè ad pubẽ cõſiſtit, ceruicem & minorẽ & latiorẽ virili obtinens, quę tum exteriori, tum ſuperiori ipſius extremi ad muliebre pudendum inter pectinis oſſa propius pertingit. Rectũ verò inteſtinũ ſacro oſſi & quibuſdã lumbi vertebris inſidet. Etenim hac parte ſpina introrſum cauatur, eóq; extrinſecus gibba apparet, vt alibi etiã Hippocrates de ipſa ſcriptũ reliquit. Hæc autẽ ſpina ſecundũ longitudinẽ directè obliqua eſt à ſacro oſſe vſq; ad magnã vertebrã: à qua crurũ cõpages annexa, pendet, hactenus ſanè gibba eſt. Veſica enĩ, genitura, & ani laxitas, in hac regione ſitũ habẽt. Anũ igitur dico, totum inteſtinũ rectũ: laxitatem verò ani, infernã inteſtini partẽ, vbi etiam potiſſimũm dilatatur, eſtq; ad finẽ ipſius muſculus à ſtringẽdo ſphincter dictus: ad quem ſanè diſtinguendum laxã aliam inteſtini partẽ dixi, vbi etiã præcipuè dilatatur. Geniturã intelligo vel partes genitales, vel ipſam quoq; vuluã. [Situs vuluæ.] [Veſica.] [Rectum inteſtinum.] [Spina.] [Anus ἀρχός] [Ani laxitas. Sphincter muſculus anum conſtringens.] [Genitura.]

Magnitudo non æqualis ſanè in omnibus exiſtit. multo ſiquidem minor eſt eius, quæ peperit, q̃ prægnantis: illius quoq;, quæ nunq̃ peperit, minor eſt, necnon ætatũ ratione, quibus nondũ Veneri indulgere tẽpus permittit. Etenim minor etiã alioqui eſt iis, qui nunq̃ coierũt. Conabor autẽ deſcribere ſaltẽ eius, quę mediocriter habet magnitudinẽ. Itaq; ſuperiori fundi extremo ex vmbilico eſt contiguus, inferiori in pudendum mulieris pertinet: ac eſt à loco, in quem incũbit, ad exterius pudendi extremũ, non æquale in omnibus interuallum, magna verò ex parte mediocre vndecim digitorũ eſt. At in latitudinẽ ad vtraq; ilia apicibus ſuis ſeu cornibus porrigitur. De extremis ipſius in alto ſitis, iam cõprehẽſum eſt: item ꝙ veſica, rectũmq; inteſtinũ, ipſum circũſcribãt: adhæc ꝙ illa incũbat, hoc ſubiectũ ſit. Porrò muliebre pudẽdũ ſpatioſa illa laxitas eſt, quę inter pectinis oſſa habetur, extrinſecus cuticulare habẽs operculũ, quod maſculorũ præputio reſpõdeat. [Vuluę magnitudo.] [Spatium mediocre à fundo vſque ad extremum pudendum.] [Latitudo.] [Muliebre pudendum.]

Figura vuluæ cũ toto ſanè alio corpore, tum verò maximè fundo veſicam repræſentat: quatenus autẽ ad latera proceſſus habet mamillares, in ilia declinãtes, non item. Herophilus horũ ipſorum figurã circuli ſemiſecti anfractui aſſimilat: Diocles cornibus enaſcẽtibus, ideóque græco vocabulo κερόεσσαν, à κέρατος hoc eſt [Figura vuluæ] [Cornua vuluę]

cornu deducto nũcupauit. Eudemus plexus vocat, cum non possit dicere vtrum vasa hîc anfractuose capreoli modo implicata, an processus ipsos plexibus cõtulerit. Praxagoræ & Philotimi sectatores sinus ipsos nominãt: vnde etiã mulieris vterũ à duplici sinu, dicolpon, animaliũ verò, quæ multa pariunt, polycolpon hoc est multisinuatũ appellant. Et quia suis vulua, tũ si quod aliud animal est, multa simul concipit, multis sinubus est prædita. Id quod per<u>q</u> verum est: non tamen in mulieribus nomen cõuenire existimo. Primùm enim suis vulua anfractuosa est, deinde in sinubus fœtus cõcipiuntur: mulieri verò & reliquis animalibus, quæ mulieri vulua respondent, vtpote capræ & boui, non in apicibus seu cornibus fœtus esse inueniuntur, siquidẽ multo hæ sunt minores <u>q</u> fœtus magnitudo exigat, verũ in reliquo toto vteri spatio. Sed arbitror hos, dum nõ possunt neq; vsum, neq; actionẽ cornuũ explicare, huiusmodi absurda sustinere. Quia autẽ lõga de his disputatio est, & alioquin iniquum, de cornuum vsu & actione quippiam dicere, de alijs, quæ in vtero sunt, singulis, nihil: idcirco etiã ego in aliud tempus differam. Etenim quæ in vtero nata sunt, etiã per se priuatim inspici merentur, quã quodq; actionẽ obeat, quæ singulorũ vires sint, cur huiusmodi magnitudine, situ, figura, cõnexu, & cũ vicinis cõmunione sint condita. Nũc autẽ ad reliqua digredientibus proximũ est, vt dicamus, quomodo alijs cõmittatur coalescátq;, atq; id genus alia.

Digressio ad aliam propositionem.

Nam corporũ, quæ vtero iunguntur, alia ipsum attingunt duntaxat, non item cõmittuntur, coalescúntq;: multa vniuntur, adeò vt citra sectionem separari nequeant: sunt, quæ etiam excoriando ab eo liberantur. Iam multis annexus est, multáq; in ipsum inferuntur.

Quæ attingat vterus.

Attingit itaq; tenuia intestina, qui mediocrẽ obtinet magnitudinẽ. nã prætermodũ exiguus, ea sola cõtingit, quibus etiã coaluit: maximus (talis autẽ est præsertim cum grauida est mulier) & ilia & imum ventrẽ replet, multáq; intestina cõtingit.

Quib⁹ alligatus sit vterus.

Porrò alligatus est recto intestino, & vesicæ, fibrosis quibusdã & tenuibus ansulis: verùm plures sunt vesicæ annexus. Iam sacro ossi adhæret: multorũ autem sententia etiã ab hoc suspensus est, idq; validis quibusdam vinculis, tum neruosis, tum musculosis: totidem corporibus etiã ex lumbi vertebris dependet, idq; ex grãdiũ huius musculorũ interuentu, qui insignes vtrobiq; processus emittũt in vtrasq; vteri partes & vesicæ ceruicẽ sedémq; partitos. At omnia hæc ligamẽta laxa sunt, eóq; vulua plurimũ moueri & in aliam trãsire figurã potest. Nexus autẽ nihilominus, & quæ in ipsam inferuntur, partim ea existunt, quæ ipsum vteri corpus intexunt implicántq;, quorum non exigua portio sunt nerui à spinali medulla procedentes: partim illa, quæ incrementum alimentúmque tum ipsi vuluæ, tum fœtui suppeditant, nempe venæ & arteriæ.

Quibus committitur.

Vesicæ & ano committitur tantùm ceruice, membranosis arteriosisq; corporibus cum aliquãta pinguetudine, sed ita vt ab ipsis excoriari possit: verùm tam exactè coaluit, vt vna eadémq; caro existat.

Testiculi.

Adnati sunt vuluæ testiculi vasáq; seminaria: ipsa verò pudendo iuxta ceruicis extremũ cõmissa est: vt alijs cõnascatur, alijs annexa sit, ab alijs depẽdeat, nõnulla ipsam inuoluãt, nõnulla alant. vesicæ quidẽ ceruici & recto intestino iuxta pudendũ similiter etiã testibus & vasis seminarijs coalescere dixeris, alijs autem partibus vesicæ & recto intestino coalescit. Sacro ossi annecti & ab eodẽ pẽdi dicitur, à spinali autẽ medulla & lũbi musculis suspendere tantũ: neruis & suspen-

dere tantũ:neruis & ſuſpẽdere & coaleſcere implicaríq;:arterijs & venis ſuſpendere, cõnaſci,implicari,& ali. Quã igitur magnitudinẽ habeat ſitúmq;,& quot tum venæ tũ arteriæ numero exiſtant,ac vnde oriantur,reliquũ eſt,vt dicamus.

Vaſa ſeminaria.

A caua vena & incumbente ei arteria magna,procedunt duæ ſanè venæ, duæ item arteriæ,ſingulæ vtrinq;,vena à caua vena,arteria verò ab arteria:deinde alia à dextris ad dextrã,alia à ſiniſtris ad ſiniſtrã delata,anteq̃ ipſi inſeratur inſinuetúrq;,propagines in teſticulos extẽdit: deinde corpori ipſius vuluæ vtraq; vnita ipſum intexit. Atque hæc quatuor vaſa paulo infra renes collocata ſunt,multóq; maiores venæ q̃ arteriæ eſſe conſpiciuntur. Alia itẽ quatuor vaſa,nõ in omnibus mulieribus,ſed in quibuſdã ſe vidiſſe teſtatur Herophilus,ab ijs,quæ renes adeũt propagata vuluæ inſerũtur.id quod ego in nullis alijs animalibus niſi rarò in ſimijs potui inuenire.Nec diffido tamen,quin Herophilus ſæpe hęc in fœminis etiã inuenerit:qui cũ in alijs omnibus,quæ ad artẽ ſpectãt,eruditus ſanè fuit,tum eorũ,quæ ex conſectione cognoſcũtur,exactiſſimè peritus:ac magna ex parte non in brutis,vt vulgares pleriq; ſolẽt, ſed in hominibus ipſis huius rei cognitionẽ acquiſiuit.Hic vaſa etiam,quæ vuluam alunt,membranis inſeri ac coaleſcere,inquit,vnde depẽdere veſicam diximus:fieríq; mẽbranas has ijs,quæ pluries vterũ geſtarint,craſſiores,duriores,& calloſiores.Cæterùm hæc in alijs quoq; animalibus apparent.Iam aliæ quędã arteriæ & venæ,vtraq; vteri parte,iuxta ceruicem inſeruntur,ab ea,quæ ad pudendum & ſedem tendit propagatæ. At de his quidẽ, quæ vuluam nutriunt,& contexunt,vaſis,hactenus dictum ſit.

Membranæ vteri craſſeſcunt ex frequenti conceptu.

Corpus vuluæ

Porrò ipſum corpus vuluæ,duæ tunicæ abſoluunt,obuerſim inuicẽ ſitæ:quarum exterior neruoſa,interior venoſa eſt:ea natura vtræq;,vt multum & diſtẽdi,& contrahi poſſint.Exterior ſimplex atq; vna eſt,interior duplex: cuius partes inter ſe cohærẽt quidem,non tamen coaleſcunt,vniũtúrq;,ſed adiacent tantùm vicina tunica circundatæ:vnde ſi velles eas excoriando ſeparare,duæ planæ vuluæ eſſe viderentur ſub vna & eadem tunica contentæ. Nam hanc tunicam non amplius licet,quemadmodum vuluã,in duas partes diuidere.Venoſa ab interiori parte ſatis aſpera ac ſcabra eſt,præcipuè ad fundum:altera,quæ huic adiacet,neruoſa,veſicæ tunica multo craſſior eſt,multíſq; & venis & arterijs intercepta. At vuluæ ceruix muſculoſa cum ſit,carne dura & cartilaginea cõſtat:durióra; ſemper & cartilaginoſa tẽpore efficitur,vt quę vel ſæpe conceperunt,vel anus iam ſunt,eam durã admodum & cartilaginoſam habeant.huius naturam Herophilus aſperæ arteriæ ſummæ parti comparat.

Vuluę ceruix

Foramen ceruicis pro tempore variat.

Ceruix ſanè hæc foramen habet,quo fœmina & menſtrua expurgat, & maris geniturã ad ſe excipit:per id etiam fœtus in lucẽ egreditur. Quis enim credat meatum hunc pro tempore latitudine & anguſtia variare?qui cum reliquo omni tempore nucleũ ſcalpelli, vel paulo craſſius aliquid admittat, prægnante muliere adeò vehemẽter cõniuet,vt nihil planè receperit. Cum verò à vulua liberatur fœtus,parturiendi labore adeò diſtendunt,vt,quod mirum etiam auditu ſit,per eum totum animal exeat.Ceruix autẽ hæc ad muliebrem ſinum non rectã,neq; ſtatim in omnibus pertinet:ſed declinat,& peruertitur dextrorſum, ſiniſtrorſum,ſurſum,& deorſum.Nam quoad anteriorem & poſteriorẽ partem, ſimili modo in omnibus ſe habere iam dictum eſt.

Quinetiam tunicæ ipſæ vuluæ non ſemper eandem craſſitudinẽ ſeruant, ſed

Tunicę vuluę craſſitie variant ſecūdum ætates.

prima ætate ſicut paruæ, ita etiā tenues ſunt: poſtea verò profluentibus iam mẽſtruis, pro magnitudinis ratione craſſitudo etiam augetur: & ſi mulier vel concipiendi tempus, vel menſium exceſſerit, quẽadmodum minuitur magnitudō, ita & craſſitudo. atq; hæc ſecundum ætates in eū modum habent.

Secundum circunſtantias.

Circunſtātiarum ratione, ea quæ morbi ſolẽt circa vuluas alterare, in præſentia dicendi locus non eſt: illa verò tantū referemus, quæ in naturali conſtitutione circunſtantiæ mutare conſueuerunt. Cum menſtruorū purgatio inſtat, craſſa planè, & tumẽs apparet, vtpote ſanguinis madore irrigata: tenuis cōtrà atq; arida, cum ab hoc expurgationis tẽpore longiſſimè abeſt: eius, quæ iam vterū geſſit, craſſior: craſſiſſima eius, quæ ſepiſſimè geſſit. Rurſus in principio cōceptus, craſſa: cū autẽ prope tẽpus pariẽdi accedit, maior quidẽ, ſed tenuis euadit. craſſitudo enim in longitudinẽ extẽſa abſumitur: tẽpore autẽ intercedente, pro ratione magnitudinis latitudinẽ habet.

Teſticuli fœminæ.

Teſtes autẽ fœminæ lateribus vuluæ adiacẽt ad fundum, vtrinq; ſinguli, iuxta cornua, magnitudine q̃ viri lōgè minores, figura item & cōpage multùm diuerſi: lati enim hi ſunt, rotundi illi atq; oblongi: hi quidẽ glanduloſi, molli autẽ carne maſculini conſtant. Horum vterq; propria membrana, qualis eſt in maribus,

Teſticulorum membrana.

quam darton dicunt, contegitur. Erytroide verò membrana, ac ſcroto fœminarum teſtes carent: arteriæ tamen ac venæ ab iis, quę in vuluā feruntur, profectæ,

Vaſa ſeminaria.

teſtibus vtriq; ſingulæ inſeruntur. Hæ inuicem cōmixtæ, priuſquā teſticulo inſinuentur, anfractuoſe, non ſecus atq; in maribus implicãtur: vt ſi reuolutionem hanc præſecueris, vna inciſione multa ora efficias: non ꝙ multa vaſa, ſed quòd vnum & idem ſubinde ſecueris.

Quinetiā vaſa ſeminaria, quæ à teſtibus prodeunt, eodẽ modo, vt in maribus, cōtinere ſemen conſpiciūtur: quæ iuxta ipſos teſtes lata ſunt, & ſenſibilẽ habent concauitatem: paulū à teſtibus recedentia, anguſta, & quaſi concauitatis expertia apparent: deinde rurſus iuxta cornua, vbi in vuluam etiam ingrediuntur, dilateſcunt. Has autẽ vaſorū inſertiones neq; Ariſtoteles, neq; Herophilus, neq; Philotimus cognouit. Memini autẽ horum virorū in præſentia, non tanq̃ ſoli hoc ignorarint, ſed quòd optimè diſſectionẽ tractarint. Nam Dioclẽ, Praxagoram, Philotimū, ac reliquos ferè omnes veteres, ſicut pleraq; alia, eorū, quę in corpore noſtro habentur, ita hoc quoq; ignoraſſe mirum non eſt. quippe qui rudius quodammodo & parū exactè in conſectione ſint verſati: vnde neq; vllam mihi illorum rationem habendam cenſeo. de his verò, quid dicam, neſcio: damnare enim eos cum in reliquis tam accuratè omnia indagarint, nō audeo. Sed neq; vaſa hæc adeò parua ſunt, vt latere quẽpiā poſſint. De illis ſanè, quæ ad ceruicẽ veſicæ inſeruntur, ſatis exquiſitè tractarunt: ꝙ & in eundem locū, vt in maribus, ingrediantur, & glanduloſa ſint, & à teſtibus profecta vuluæ adnaſcãtur. De his verò, quę ad cornua tendunt, nihil dixerūt, etſi etiā hæc meatibus ſenſui expoſitis nō ſecus atq; illa vuluæ inſerantur, & genitură intra ſe habere appareant. Sed de his in ſequẽti tractatu, vbi de functionibus agemus, plura conſiderabimus: nunc hoc vnū, quod ex iis, quæ à principio propoſuimus, reliquū eſt, proſequemur: quænam videlicet, dum mulier grauida eſt, intra vuluam oriantur: quæ nimirum hæc ſunt.

Alia propoſitio. Secundæ.

Prima ſanè membrana, vuluæ adhæreſcens, quam χόριον Græci, ſecundas Latini vocant, deinde membranæ, quæ fœtum inuoluūt, tum ipſe fœtus: quorum ſingulorum ſpecies natura huiuſmodi eſt. Chorion, hoc eſt ſecundæ, vaſa multa

ſunt,tum venæ,tum arteriæ,iuxta ſeinuicem ſitæ,quarũ media interualla membranis replentur. Membranarum verò altera toti fœtui circumiecta eſt, altera eminentibus tantùm partibus, capiti, natibus, pedibus duplex ſuperiacet: amnium illam,hanc allantoidem vocant, quæ à farciminis ſimilirudine nomen accepit,albæ vtræq; & tenues aranearum telæ modo.Chorion,quod ſecundas interpreratus ſum,vuluæ adhæreſcit hoc modo.Vaſa vuluæ,quæ in interiorẽ parrem penetrant,quibus etiam menſes expurgantur,cum fœmina conceptura eſt, oris hiant.Conceptionis verò tempus eſt,vel incipientibus,vel ceſſantibus menſtruis.Quanuis enim reliquo etiam toto expurgationis tempore aperta ora hæc ſint,non tamen genituram tunc mulier ad ſe concipere poterit:ꝙ ſemẽ videlicet in vulua remanere nequeat,ſed ab influentis ſanguinis copia eluatur.At ceſſantibus , vel incipientibus menſtruis & ora adaperta ſunt, & menſtruum nec multum,nec vniuerſum,ſed paucũ & paulatim emanat,quaſi mod̃ere quodam ſanguineo reſudante:eóq; ob aſperitatem vuluæ,ſemen adhæret,ſatíſq; alimẽti ex ſanguinis confluentis paucitate habet.Antè enim,quàm menſes veniant,mulier haud conceperit,quia & alimento caret ſemen,& adhærentiam nullam inuenit.Nam cum eo tempore conniuentibus vaſis læuis vulua relinquatur,defluit, neq; vniri cum tunica eius poteſt:aſperum ſiquidem magis idoneũ eſt,quàm læue ad coaleſcendum.Vnde etiam ex inanimatis rebus,inquit Diocles,vt ligna & lapides,quos coagmentare ac ferruminare inter ſe volunt artifices,ſi læuia ſint, atterentes prius exaſperant. Quinetiam labra, & palpebræ,& digitorum intermedia,ſi vlceratio adſit,ſæpe inter ſe coaleſcunt.Vbi ſecundũ naturam permanent,etiam ſi ſemper coniungantur,propter læuitatem nunquam coëunt.aſpera enim inæqualibus ſui partibus inter ſe adaptata coëunt: læuia,cũ nullam firmam prehenſionem obtineant, licet ab aliquo violenter compulſa ac coacta inter ſe fuerint,facilè reſoluuntur. Atque hæc hactenus dicta ſunt, conſtátq; iam chorion nulla alia re,quàm vaſorũ orificijs vuluæ adhæreſcere. Arqui adhæreſcẽtia hoc modo fit.Vas, quod in chorio naſcitur, initium haber,illius extremum, quod in vuluam ingreditur,vt duo hæc vnum eſſe dixeris:orificijs enim vniuntur,atq; alterum ab altero,vena ſanè à vena ſanguinem,arteria ab arteria ſpiritum haurit:atq; ita fit, vt ranta vaſorum chorij interualla ſint,quæ membrana intertexit,quantum inter ora vaſorum,quæ in vuluam oris pertinẽt adapertis, ſpatiũ intercedit.Hac rarione acetabula etiam hoc modo firmũ vinculũ ad vuluã efficiuntur,quanuis hominis vuluã acetabulis carere dicant:eſſe enim aiunt in bobus,capris,ceruis, alijſq; huiuſcemodi animalibus corpora quædã flaccida ac mucoſa, quorum forma acetabulo, id eſt herbæ cymbalitidi ſimilis ſit, vnde etiã nomen accepere.Hippocrates tamen ita inquit, » Quęcunq; corpore mediocriter » habentes abſq; vlla manifeſta cauſa quarto menſe,aut tertio abortus faciunt,ijs » acetabula muco plena ſunt , neq; poſſunt præ illorum grauitate fœtum continere,ſed abrumpũtur.Quinenriam Diocles,Caryſtius,& Praxagoras Cous Nicarchi filius,qui paulo poſt Hippocratis ætatem viguerũt,eadem dicunt:& multi etiam alij.An igirur omnes ignorarunt? ſed nequaquã fas eſt de rantis viris ita ſentire. Quid verò eſt,quod dicunt? ora vaſorum in vulua ita appellant. Nam hæc prægnarionis tẽpore acetabulares quaſdam eminẽtias adnaras habent,quales etiam recto inteſtino in hæmorrhoidibus oboriuñtur. Atq; hæc non diuino

Mẽbrana fœtum inuoluẽs

Mẽbra extremis ſuperiniecta.

Vera acetabula.

Tempus conceptionis.

Acetabula. » ego, ſed à Praxagora didici, qui ita ad verbum ſcribit: Acetabula autem ſunt venarum ora, quæ in vuluam pertinent. Ex his igitur & vuluam muliebrem acetabula habere, & quænam acetabulorum in mulieribus & brutis differētia exiſtat, conſtare omnibus iam arbitror. Inde itaque, vnde dictum eſt, exorſa chorij vaſa, chorion ipſum contexunt, atque inuicem miſcentur, & coaleſcunt. Ac coitus huius modus talis eſt. Similitudo. Conſiderato numeroſas & tenues arboris radices, circiter binas & ternas inter ſe ita vniri, vt ex ipſis aliæ maiores quidem magnitudine, numero autem pauciores exoriantur. Atq; has rurſus coēuntes ſimili modo alias producere, deinde ex iis, quæ fiunt, rurſus fieri alias: hócq; tantiſper fieri, quoad in vnum coēūtes omnes ad ſummam terræ ſuperficiem, in illam arboris partem deſinant, qui truncus vocatur. Nam vaſa hæc perinde ac radices multæ atq; exiles coaleſcunt, coaleſcentéſq; maiores, quàm prius erant, euadunt: deinde rurſus maiores effectæ, tandē vniuerſæ in duos quaſi caudices in venas venæ, in arterias arteriæ terminātur, ex vtraq; parte tam dextra quàm ſiniſtra circa vmbilicum fœtum ingredientes. nihil enim aliud eſt vmbilicus, quàm quatuor hæc vaſa in medio vrinæ receptaculum, quod græci vrachum appellant, habentia. Vrachus. Hic autē initium eſt tunicæ allantoidis: quam prominentibus partibus fœtus obduci iam diximus, perforatáq; eſt ſatis lato atq; euidenti meatu ad fundum veſicæ ipſius fœtus, vt allantoides membrana cum veſica vrachi in medio ambarum ſiti interuentu vniatur. Qua verò parte dilatato primùm vracho membrana incipit enaſci, ſatis multa ac veluti ſcabioſa quædam aſperitudo apparet. Quin & humor in vtraq; membrana non paucus continetur, alter ab altero, tum colore, tum copia differens: flauus enim in allantoide, albior in amnio, atq; huius etiam copioſior cernitur. tunica ſiquidem hæc, altera eſt maior, quippe quæ totū fœtum induat: illa verò partibus quibuſdam tantùm ſuperiecta ſit. Vnde autē humores hi generentur, quíſve ipſorum vſus ſit, in alio commentario, quod erit de confectione fœtus explicabitur.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE
Confectione vuluæ libelli finis, Ioanne Guinterio
Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de formatione foetvs libellvs, Ioanne Gvinterio Andernaco Medico Interprete.



E fœtus formatione scribere equidem aggressi sunt etiam Philosophi, nullam eorum, quæ dicunt, confirmationem ex consectione adhibentes. Ac miraculum nullū est, si à vero aberrēt & inter se dissentiant. Quū enim ij quoq;, qui diligenter corpora dissecuerunt, nonnulla ignorarint: multo certè magis illos, qui suis ipsorum opinionibus sine ijs, quæ ex consectione apparent, crediderunt, errasse est verisimile. Hippocrates autem primus, quorum memoria ad nos peruenit, verè de fœtuū formatione conscripsit: qui nō probabilibus opinionibus, sed dignotionibus sensui expositis summam rei, de qua agitur, credidit, atq; his non paucis. perinde ac nonnulli solent, qui cū semel aut bis aliquid sunt conspicati, statim de eo in vniuersum pronunciare non dubitant: id quod nunc quidam medicus fecit, qui cum semel abortiuū fœtum duorū & triginta dierum manifesta iam formationis deliniamēta habere vidisset, id quasi in omnibus ita fieret, affirmare est ausus, ne Hippocratis quidem scriptis, nedum aliorum, qui de his memoriæ prodiderūt, perlectis. Non enim fœtibus, neq; manifestę conformationis, neq; motionis, neq; æditionis in lucem vnus prętfinitus est terminus: sed ita in vniuersum res se habet, vt ab Hippocrate, grauissimísq; authoribus, qui post ipsum fuerunt, scriptis mandatum est. Genituram sexto post die eiectam intuitus, qui libellum de natura infantis scripsit, siue is Hippocrates, siue eius discipulus Polybus fuit, & exquisitè, & manifestò his verbis recensuit: Atqui genituram, ait, quæ dies sex in vulua » hæserat, & postea exciderat, ipse vidi: & quę mihi tunc videbantur, ab illis reliqua » sumo indicia. Quomodo autem post genituram sex dierum viderim, ego tibi percensebo. Vxoris meæ cantrix, magno in honore habita, viros frequentabat, » quam vterum gerere non oportebat, ne minori esset in pretio. Audierat autem » cantrix illa, qualia mulieres inter se dicere soleant: quū fœmina conceptura est, » semē genitale non exire, sed intus remanere. Hæc audiens intellexit, atq; id per» petuò obseruauit: cúmq; semen genitale non exire sentijsset, heræ dixit, ac rumor vsq; ad me peruenit. Ego re audita, consului, vt in terram saliret: quod vbi » septies fecisset, genitura in terram cum sonitu erupit. Illa id contemplata, admi» rabatur. Quale autem fuerit, ego commemorabo. Nempe tanq̃ oui crudi putamine exterius adempto, in membrana penitiori liquor internus apparebat. Membrana, quæ in hac oratione continere geniturã dicitur, chorion erat. Quòd autem albas & crassas fibras cum sanie crassa rubráq; in se habebat, venarū & arteriarum deliniamentū in generatione fœtus fuisse existimandum est: semper enim, donec augetur fœtus, contineri à chorio venarum & arteriarū pleno cernitur: quippe cum nihil aliud nisi hæc tria substantiã eius constituant. sunt enim quamplurimæ & venæ & arteriæ iuxta seipsas porrectæ, à tenui quodã & mem-

Hippocrates de fœtu optimè cōscripsit

Non vnus terminus eorum quæ circa fœtum fiunt.

Cōceptus sex dierum qualis fuerit.

braneo corpore comprehensæ,atq; inter se connexæ.Siq; incidantur aliqua animalia grauida,quæ à natura hominis nõ longè recedunt,cuiusmodi sunt capræ, oues,sues,boues,equæ,& asinæ,inuolucrũ hoc, quod chorion appellatur,vuluæ prægnantis animalis arteriarum,& venarũ interuẽtu coaluisse videtur.Origo vasorum horũ est ex arterijs & venis vuluæ, quarũ extrema in interiorem eius regionẽ oris hiant:quibus solis fœtus cum grauida communio est.nulla enim alia in parte perforatum chorion est,sed ne tangit quidem fœtus vuluam,nisi his solis.Reliqua verò chorij,hoc est secundarũ laxitas spatiosa intermedia intus vuluæ substrata est:attingit autẽ solummodò ipsam citra commissuram.Vasa porrò,quæ in ipsa sunt,arctissima quidem habent initia,quibus vt dixi,cum venarũ & arteriarum extremis vniuntur:quæ tamen cum vlterius procedunt,non secus ac stirpium radices inter se postea coëunt.Nam quemadmodum in illis ex multis & tenuibus extremis inter se coëuntibus aliæ crassiores radices efficiũtur,atq; in his rursus vnitis aliæ,idq; fieri prius non desinit,quàm omnes in vnum trunci principium cessauerint:ita chorij arteriæ & venæ inter se coniunctæ alias se latiores gignunt:ex quibus inuicem coëuntibus,aliæ atque ex his item aliæ fiunt. cũmque hoc sæpius contigerit,in duas sanè arterias,duásque venas,veluti corpora,omnium vasorũ particularium congeries redigitur.Quarũ in medio meatus quidam gignitur in fundum vesicæ infantis perforatus,quem confectionum periti,ꝙ vrinam recipiat, vrachum nuncuparunt:cuius alterũ os à quatuor vasis separatũ paulatim dilatatur,tenuémq; membranam farcimini figura persimilem constituit,alteri simili ei,qua fœtus inuoluitur,extrinsecus exporrectam.Nomina his duabus dissectores imposuerũt,huic à figura,qua imitatur farcimen,alteri verò,quæ fœtum continet,amnio.Atque hæc extra fœtum habentur.Ipsius verò fœtus propriè partes hæ sunt:prima omnium cutis,operimentũ atque amiculum insitum ab opifice procreatũ:deinde statim sub ipsa partes cum his quatuor vasis intra cutẽ continuatæ:quarum nulla generari prius potest,quàm omnia,quæ in chorio sunt,vasa,in quatuor hæc antedicta capita cõuenerint.Quippe singulę fœtus particulæ,tum ad generationem,tum ad reliquam omnẽ dispensationem idoneo alimento indigent. Nulla autem alia fœtibus idonea ad alimentum materia est,quàm quæ à grauida suppeditatur.Vnde fieri non potest, vt aliqua particula absque substantia sanguinea in ipsis gignatur:quæcũque tamen albæ & exangues partes sunt,non ex ipso sanguine vt iocineris caro procreari potest:celerrimè enim viscus hoc è sanguine generatur,vtpote sanguini substantia quàm simillimum.Nam si vena animalis incisa,sanguinem effluere in aquã modicè calidam sines,iocineris sustantiæ persimilem coagulationẽ adipiscitur.Hoc igitur viscus promptissimè concrescit.id quod illi statim accidit,vbi intra vuluæ corpus comprehensum fuerit:reliquæ verò partes,quæ carnosæ ac sanguineæ sunt,vt generentur,longius tempus requirunt.Quemadmodum arteriarũ & venarum corpus cum prorsus exangue sit, primam è semine generationem habere verisimile est:continuò vbi id vasorum in vuluam pertinentium orificijs adhæserit,quippe facillimũ promptissimúmq; est, vt ex eius substantia quæ viscosa multum lentáq; est,talis membrorum species procreetur.Facto autem primo vasorũ rudimento in orificijs eorum,quæ in vterum pertingunt,consentaneũ videtur,vt semẽ,quod ipsum formauit,ipsis etiam ex vulua sanguinẽ

Quib⁹ fœtus cum grauida cõmunio est.

Vrachus.

Membranæ fœtus.

Cutis.

Iocinoris substantia.

Venæ & arteriæ generatio

attrahendo alimentũ ſuppeditet, & paulatim ita, quæ prima genita ſunt, dilatet, atq; in longitudinẽ producat, tum augendo, tum in vnum paulatim cogendo tenuiora ad latiorum procreationẽ. Ac vaſa quidem & membranas ita gigni conſentaneũ rationi eſt, vt ex ſeminis ſubſtantia & primũ eorum rudimentũ, & reliquum in longitudinem & latitudinem incrementum ſuggeratur: quemadmodum in arboribus videmus ex trunci origine reliquam ipſius partem & in altum emergentem & in ramos diffuſam generari. Atq; hoc eorum, quæ deinceps dicenda erũt, quaſi fundamentum quoddam à nobis iactum ſit. Videamus autem poſt hæc, quomodo reliquum fœtum à vi ſeminis totum formari ſit veriſimile, initio inuẽtionis ab iis, quæ in conſectione ſpectantur, ſumpto. Ex quatuor antedictis vaſis, quæ vnà cum vracho, id eſt, vrinæ receptaculo, vmbilicũ conſtituũt, ſtatim vbi cutem fœtus tranſierunt, alterũ par vniri ſtatim cernitur, magnámq; vnã venã, vbi effecerit, iocineri inſeri. Inſeri dico, vt ſpeciem, quæ ex cõſectione ſumitur, interpreter: non enim prius conſiſtens iecur vena hæc ingreditur, ſed econtrario prorſus omnia fieri cenſendum eſt. primo ſcilicet venam vmbilici, vbi intro penetrauerit, non ſecus ac truncum arboris diuaricari: deinde vtranq; eius partem in multas germinationes, ad ramorum ſimilitudinẽ propagari: tum alteri ſciſſionis venarũ particulæ antedictam carnẽ ſubſtantiæ iecoris agnaſci: alteri qui meſenterium, hoc eſt mediaſtinũ gignit, ventrem, lienem, omnem inteſtinorum reuolutionem, omentum, & quod rectum vocatur, adiungi. Neq; hæc prius exiſtunt, ſed vnà cum diuaricatu ipſo procreantur: quemadmodum & ipſa iocineris ſubſtantia ſingulis venis priuatim adnaſcens, & communiter omnibus extrinſecus, ſimul ad vnius viſceris ſpeciem efformata. Non tamen ita etiã arteriæ ſtatim, vbi intra cutem diſtributæ fuerint, neq; aliam ſibi adnaſcentem ſubſtantiam obtinent, neq; in multas particulas diffunduntur: verùm duæ longo ſpatio permanent, aſſumentéſq; conceptus veſicam, & inibi firmatæ, tũ per alia, tum in altum corporis feruntur, vſq; dum ad latũ ſacrúmq; os dictum perueniant: in quo duæ quædam arteriæ in conſpectum prodeunt, ſingulæ in vtraq; parte ad crura procurrentes, à maxima illa propagatæ, quæ ſpinam perreptat, & ſiniſtro cordis ſinui commiſſa apparet. Atqui vt de iecoris generatione nihil inquirendum reſtat, non eodem item modo in corde apparet. Etenim iecur in altera parte venæ ex vmbilico procedentis ſciſſum multifariam diuerſum & connexum & annexum obtinet: cordi autem materiam vnde generationem habebit, à prægnãte vel per arterias, vel per medium iecur iuxta venam ſublimem ex eo proficiſcentem ad ſuperiorem huius viſceris partium generationem ſuppeditari neceſſe. At longum hoc tempus erit & non ſtatim primis diebus, quibus hepar generationis ſuæ rudimenta ſuſcipit, parum ab vteri corpore abeſt. Quod enim rotundum, rubens, intra ſecũdas in ſextana genitura, Hippocrates apparere dixit, id nimirum erit iecur, rude adhuc, & informe. Atqui in fœtuum abortibus, qui poſt triginta dies accidunt, hæ tres animantis particulæ iecur, cor, & cerebrũ prope ſe mutuo clarè apparent, iecur ſanè aliis duobus maius: cor & cerebrum longè hoc magnitudine inferiora. non tamen quando primum conformationis initiũ cor habet, inuenire licet, quippe nec abortus, qui primo mẽſe accidunt, manifeſtũ quicq̃ docent, nec conſectio animaliũ hominibus ſimiliũ eodem modo & ipſa firmũ quid indicat, dũ conceptus indiſtinctus rudiſq; fuerit. Vbi verò diſtin-

Iecur quando in fœtu apparet.

Iecur, cor cerebrum prope ſe mutuo ſita.

Cor in primis diebus nõ apparet.

gui inceperit, aliarum ſanè particularum plurimæ nulla manifeſta deliniamentā obtinent: hæc autem tria, ſicut nuper dixi, cor, cerebrum, & iecur ſola prope ſe inuicē conſpiciuntur. Per initia igitur, cum cōmentarios de ſemine ſcribens cogerer etiam de ſingularium partium formationis ordine nonnihil afferre, cor dixi iecori ſimiliter primis conceptionis diebus veluti fundamentū quoddam generationis iacere, ex vſu ipſius, qui in adultis eſt longè digniſſimo, ad hanc opinionē inductus. Cum autē alijs omnibus, tum medicis, tū philoſophis placere inuenirem conceptū vſq; ad manifeſtam confirmationem ſtirpibus ſimiliter diſpenſari, probabilius viſum mihi eſt, nullum ipſius vſum per generationis primordia haberi, ſed poſt iecur omnino cor ipſum formari: id autem quomodo fieret, inquirēdum cenſui. Alterū enim ex duobus mihi videbatur eſſe neceſſariū, vel ex iecore, aſcēdente ſanguine ſimul cum iecorariæ venæ generatione cor procreari: vel per magnam arteriam, quæ etiam ipſa ſanguinē, non modò ſpiritum, vt opinabatur Eraſiſtratus, continet. Pleroſq; verò hac in re veriſimile eſt fuiſſe deceptos, ac præcipuè philoſophos, vt qui ex iis, quæ in animaliū conſectionibus apparent, nihil cognoſcant: ex quibus ea potiſſimū vtilia ſunt, quæ in virorū conſectione artificioſe adminiſtrata, ad partium in imo latentium denudationē apparent. Vnde etiam hîc longior oratio euadet, ſi quis eam totā ſcientificè diſcere voluerit: vnum enim eſt commentariū à nobis ſcriptum de vſu reſpirationis, cui alterum de arteriarū, & pulſuum vſu adiunximus: in quibus quicunq; exercitatus fuerit, cognoſcet fœtum neq; arteriarum, neq; pulſuū, neq; cordis vllo neceſſario vſu in principio generationis, quemadmodum nec ſtirpes, indigere. Veruntamen de ſtirpium etiā ortu aliquid prius conſiderandum videtur: ex iis enim quæ neceſſaria plantis ſunt licebit cognoſcere, quot & qualibus fœtus indigeat, quouſq; vna anima perinde ac plantæ diſpēſetur. Hanc autē animam vocamus, cum hac de re propoſita non eſt diſputatio, communi omnis ſubſtantiæ nomine naturam appellantes, id quod in exquiſitis diſſertationibus Chryſippei diligētur obſeruarunt. A qua conſuetudine Ariſtoteles & Plato recedentes, vocarunt quidem vtriq; animam, ſed Ariſtoteles altricem, Plato appetitoriam adiunxit. Quoniā igitur nobis propoſita hæc diſputatio nō obiter, quemadmodum cum aliud quid defunctoriè conſideramus, ſed ſumma diligentia de plantarum generatione ac diſpenſatione elaboratur, nonnulla prius in memoriam reuocabimus. Nam cum pura ac ſola ea ſit tanquā neq; vim naſcibilem, neq; rationalem habeant, ſpes eſt nos & ſynceram germanámq; ipſarum diſpenſationem inuenturos. Incipiamus igitur rurſus à pulſuū generatione, ſeminis in terram modicè humidam calidámq; iniecti memores: ſit autē hoc quercus, aut alterius cuiuſdā adeò ſublimis ſtirpis. quippe facilius in magno corpore functiones naturæ id gubernantis, contuebimur. Exempli gratia, ex ſemine duplex quædam progenies fieri conſpicitur, deorſum ſanè in terrā vna, in aërem verò ſupra terrā alia quædam perſimilis. Quæ cum per initia graciles exiſtant, temporis proceſſu grandeſcunt ſimul, & in longum porriguntur: ac vbi iam magnitudinē notandam obtinent, in ramos ſcinduntur: cúmq; hi ipſi prorſus in alias propagines diuidantur, deinde illæ in alias, quolibet temporis momēto omnes ipſas ſimul & nutrire & augere contingit: quin & fructus vniuerſis ipſorum extremis, vbi ſtirps adoleuerit, inaſci. Conceptus igitur eandem cum ſtirpibus diſpenſationem in prima genera-

Cor poſt iecur formari.

Fœtus corde in principio non indiget.

Collatio ſtirpis cum fœtu

tione obtinet. nam parciſſimè primo tēpore increſcit: cum diſtingui iam manifeſtè incipit, amplius: quemadmodū cum iam diſtinctus eſt, maximè, multis in partibus natura quæ ipſum diſpenſat ſimul operante. Quis ergo primi temporis terminus eſt quo fœtus corde nondum indiget? Mihi quidem videtur, cum nondum in iecur vniuerſa venarū diſciſſio facta eſt. Vniuerſam appello, propterea quòd eſt duplex: nec mihi primo cognita, ſed Anatomicis, quibus etiam perſpecta. Vena enim ex vmbilico proueniens, vbi primū cutem fœtus ſubit, ſtatim bifariā ſcinditur, quemadmodum in duas maximas partes plerunq; caudicem arborum diuaricari videmus: deinde quum vtraq; hæc vena rami modo alias venas procreet, ac illæ rurſus alias, deinde hæ generēt alias, donec ad fines quoſdam vtræq; propagines peruenerint: propria iecoris ſubſtātia, de qua modò diximus, circumcirca agnaſcitur, ita vt ramulorum interſtitia perinde ac thorus aliquis impleat. Atq; ita depreſſioris venæ germinationes in caua viſceris parte efficiuntur, qua dextrum ventriculi latus circundat: altioris in gibba, qua ſeptum tranſuerſum attingit: ac propterea duæ iecoris portæ in fœtibus procreatæ ſunt. ex magna enim vena, quā per vmbilicum ferri videmus, omnes totius corporis venę, partes itē omnes ipſarū & germinationes prodeunt. Sublimior autē porta facta eſt, vt omnes quæ in iecore ſunt venæ gignerentur: humilior, vt illæ quæ in ventrē, lienem, inteſtina omnia, & reliqua pertinēt procrearentur. Abſoluto autē iecore, ex venis quæ in gibbis partibus ſunt, quaſi radicibus quibuſdam caudex colligitur, nempe, maxima venarū quæ in corpore ſunt: quam ideo ob præſtantiā qua omnes alias antecellit, cauam nūcuparunt, magnitudinē eius hoc nomine indicantes. Hippocrates iecorariā dixit à iecore, vnde eam exoriri videbat. Hæc igitur vena per animalis longitudinem ita protenditur, vt altera eius pars deorſum mediæ ſpinæ innixa feratur, altera ſurſum per mediū thoracē ad collum aſcendat, primos ſanè ramos non paruos in ſeptum tranſuerſum diffundens: ſuperius autē alios planè exiles, & in diſtinguentes thoracem membranas, & cor inuoluentem tunicam, pericardion dictam, emittēs, deinde in dextrum cordis ventriculum, & thoracem. Eodem tempore etiam ab inferioribus portis venas in omnes ventris partes diſpenſatas generationis cauſam ipſis fieri: dum verò ſuperior iecorariæ pars cor adit, interea deorſum tendens propagines ex ſe, tum ad renes qui primi iecori proximi occurrunt, & ad lumborum regiones circa ſpinā mittit: quemadmodum & partem ſpinæ, & thoracis, quæ ſupra ſeptum trāſuerſum eſt, ab aſcendenti iecorariæ ramulos ſumēs, materiam ad ſui procreationem ex ipſis accipere veriſimile eſt. Quo tēpore etiam cor formatur. poteſt enim iam ad ipſum commemoratum illud arteriarum par, in vnam reductum pertingere: atque id in media dorſi ſpina firmatum videmus procedere, quoad iuxta cor peruenerit. Ex hac igitur arteria credibile eſt cor, quum ſanguinem longè calidiorē quàm is ſit qui in venis continetur, hauriat, tanto etiam calidius iecore euaſiſſe, quanto ſanguis ſanguine calidior eſt. At quum duo ſint cordis ventriculi, in dextrum ſanguis è iecore mediocriter calidus, in ſiniſtrum longè hoc calidior ex arterijs ingreditur. Quandoquidē vtroſq; ſinus iam habeat cor, & vtraſq; has materias, tanq̄ repletum iam ipſarū ſubſtantia, & ipſum pulſat,

Propria iecoris ſubſtātia.

Venæ cauæ generatio.

Cor quando formatur.

Quare cor iecore calidius.

Pulſus cordis & arteriarum

& vnà secum arterias etiam mouet. Quapropter fœtus non amplius, vt planta solū, sed vt animal iam administratur, quales sunt hiatulæ, buccina, pinæ, ostreæ, patellæ, quæ vel minimo, vel nullo prorsus pulsatili motu indigent. Demonstratum siquidē est pulsus calidis inesse corporibus: nullum verò vel exangue animal manifestè calidū est, vel planè calidum exangue visitur. inest igitur sanguini venis contento genuina caliditas tepida, citra calorē à corde prodeuntē, atq; idcirco etiam iecori. Porrò animātia cor habent tanquam ignis cuiusdam officinam: etenim sine hoc sanguineorū animalium calor, ei respondet, qui per æstatem in ædibus existit. sed vt domus incēso in ipsa igne calidior euadit, ita etiam corpus animalium ex corde caliditatem acquirit calidiorē, quàm quæ venis, iecori, & nimirū etiam sanguini qui in ipsis comprehenditur, insita est. Nam in arterijs Erasistratus quidē hunc humorē neutiquam contineri arbitratur, nos autē putamus sicut etiam apparet, subtiliorē calidioremq; in ipsis esse sanguinem. talis enim ex ipsis vulneratis effluit. Id quod mihi videtur etiam Plato, in Timæo his verbis indicare: Cor autē & venarū & sanguinis, qui per omnia membra rapidè fertur, originem ac fontē in domicilium, veluti satellitum præsidio munitū collocarūt. Non enim simpliciter dixit ipsum sanguinis esse fontem, sed eius qui per omnia membra rapidè etiā circunfertur. qualis non est qui in venis propriè dictis continetur. Nam veteres commune venarū nomen vbiq; vasorum generi imposuerunt. Porrò quemadmodum cor iecore posterius nasci ratio erat, eóq; propius prægnantis vterum iecur collocatum est, ita cerebrum hoc etiam adhuc remotius situm esse conueniebat, vt cuius constructio quoq; posterior sit futura: quoniam animal conceptum ne indiget quidem cerebro. Non enim videre, nec audire, nec gustare, nec odorari, veluti nec artubus fungi, nec aliam omnino actionem voluntariam, vel tactus sensum habere, vel imaginationem, vel ratiocinationem, vel memoriā, fœtus indiget. Postea igitur tandem tertio temporis ordine, cerebrum, & omnes faciei partes formatæ sunt, quando iam & artus distinguntur & omnis si quæ prius dicta est particula, ad structuræ suæ absolutionem. Constat autem cuilibet etiam capitis os post omnia alia ossa concrescere, atque ideo iuxta sincipitium tenue adeò est, & imbecillū, vt in recens natis puerulis cerebri motus appareat, non tangentibus nobis tantùm, sed etiam intuentibus. Ac quartum iam tempus hoc post primam conceptionem sequitur, quo particulæ quæ motui seruiunt posterius formatæ cōfirmantur. Hac de causa infantuli functionibus nutriētis animæ validissimis vtuntur: secūdo roboris loco, his quę à corde proueniunt: imbecillibus autē quas cerebrum suppeditat, vtpote cum non solùm iam currere cruribus, aut incedere, sed ne stare quidem possint, multo autē minus vel vtile quid ratiocinari, aut discere, aut sensibilis cuiusdam affectus, aut rationalis disciplinæ meminisse. Post hæc omnia & caluaria roboratur, & dentes erumpunt, pilisque caput obducitur: quapropter & aspectu & præstantissima animæ particula, ratiocinatrice scilicet, imperfecti pueri apparent: etenim facultates animæ simul cum instrumentis absolutè functionē obeunt, id quod discere licet ei qui librū voluerit legere, quo animæ facultates corporis temperaturā sequi ostendunt. Cur igitur Chrysippo alijsq; multis philosophis, tū Stoicis, tum Peripateticis de corde pronunciare visum est, & quòd primū inter animales particulas nascatur, & quòd ab eo alia gignātur: item quòd ipsum prius formatum

Caliditas sanguini ī venis, & iecori genuina.

Cerebrū quādo generetur.

Caluaria.

Particulę motui seruiētes.

tũ venarũ,tum neruorũ originẽ eſſe neceſſe ſit?neq; enim primũ naſci manifeſtò apparet:oſteſúmq; antea eſt in omnibus artibus eundẽ artificẽ & primã partẽ rei quę fabricatur,& reliquas omnes vſq; ad abſolutionẽ operis efficere:arteriáſq; & venas è ſeminis ſubſtãtia primas omniũ generari neceſſe eſt,ſicut in cõmẽtarijs de ſemine oſtendimus.Quare ſi quis alius queadmodũ iſti de corde affirmarunt,vel chorion,vel iecur dixerit omniũ,quę in animãte ſunt functionũ originẽ eſſe,mini mè erit credẽdũ:quippe cũ vnicuiq; generi corporũ alia videamus generationis, alia diſpẽſationis principia.alij enim extruũt vrbes,alij adminiſtrãt.Ita de nauibus,& qualibet alia re dicẽdum eſt:alij ſunt qui fabricant,alij qui fabricatis rectè vtũtur.Iam in ijs quæ vitã noſtrã adminiſtrãt facultatibus,ratio,quæ omniũ extrema & gignitur & perficitur,imperat poſtea,atq; humanas actiones gubernat feliciter,cũ vniuerſa anima ſecundum naturã habuerit:infeliciter,cum extra naturalẽ ſtatum eſt.Verũ de animæ actionibus mihi in præſentia non eſt propoſitũ diſputare,ſed de fœtuum formatione.Quæ ſanè diſputatio,per ſe non philoſophis tantùm,verùm etiã medicis perquã vtilis eſt:propter eos autẽ qui vnde non debẽt,lẽmata ad demõſtrationes aſſumũt,neceſſariò etiã inquirẽda venit. omittentes enim nõnulli ex propria rei,quã de eſt quæſtio,natura,demõſtrationem auſpicari,ex incertis aſſumũt.Porrò medicis vtile admodũ eſt,cũ vel dimidia cor poris pars,vel totũ ferè corpus repẽte reſolutũ functionibus volũtarijs immobile redditur,ac pręterea vel nihil planè,vel imbecilliter ſentiẽs,ſcire cui corporis par ti admouẽda ſint remedia.Quod profectò cognoſci nullo modo poterit,niſi pri us quæratur, vtrum ex ſe ſenſum motúmq; dictum omnes animalis partes habeant,an per neruos aliqua facultas ad ipſas,vel à cerebro,vt omnes Anatomici fatẽtur,vel,vt nõnulli dicũt,ex corde influat.Nam Stoici neſcio quomodo inuti lem quæſtionẽ ad finẽ inueniendũ,in quo rectè iudicato,felicitatẽ ſtatuũt,indagare aggreſſi ſunt:ſed ſine ijs quæ ex cõſectione apparẽt,vnde alioquin ea poterant inueniri.Verũ tamẽ ſicut in alijs multis,ita hîc quoq; ad rei ſibi inutilis indagatio nẽ venerũt,debebant ex ijs quæ euidẽter patẽt,ſicut Anatomici medici fecerũt, principia demõſtratiõis ſumere.Illi verò cor primũ omniũ eſſe formatũ affirmãtes,cũ neq; ex cõſectione euidẽs quiddã,vnde inuentionis initiũ ſumpſerint,neq; rationalẽ quandã aliã demonſtrationẽ poſſent afferre,ignorantiã ignorantiæ annectũnt,dicũntq; alia omnia ex corde ortũ habere,eſſéq; id ſicut generationis ip ſorũ,ita quoq; adminiſtrationis authorẽ.Antea quidẽ,quum Anatome nondũ vt nunc,eſſet cognita,dubitare fortaſſe par erat non abſq; ratione de principio, quod per neruos & ſenſum,& motũ,animalis particulis tranſmittit.Hoc tẽpore, quo iã de harũ affectionũ curatione inter pleroſq; Anatomicos cõuenit,& ab om nibus medicis diuturna ac cõſentiẽte experiẽtia cõprobata eſt,nullúſq; magis in inſaniẽtibus abſq; febre,in atra bile agitatis,in ijs qui mẽte,aut memoria quomo docũq; lęſi fuerint,in phreniticis cũ febre,in lethargicis,comitialibus,attonitis,ca pitis curã habendã non cẽſet:ſoli ipſi adhuc inquirũt hæc quæ omnibus qui modò inuenire ipſa voluerint,manifeſtè cognoſcũtur.Sed de his in præſentiarũ ſatis,alibi enim dicta ſunt:de quibus nõnulli philoſophi inutiliter ſi finẽ reſpicias diſſertãtes,longis quæſtionibus ſeſe intricarũt,cũ nullã ne probabilẽ quidẽ quæſtionis ipſorũ occaſionẽ inuenire poſſent:perinde ac ſpeculatorij,qui proponũt, ſiue philoſophiã,ſiue beatitudinẽ dicere oporteat.Nunc iã tẽpus eſt vt id quod

Ratio quãdo gignitur.

Vtilitas partium & facultatum earum cognitionis.

antedictis adijci necessarium est, generosis his philosophis & ipsum ignotum, vt cætera quæ ex confectione apparẽt, ab Herophili scriptis exorsi, qui dissectorias narrationes censet ex eo si dicas, hanc particulã ab illa originẽ traxisse, nullam ad decreta statuenda occasionẽ afferre, quemadmodũ praue intelligentes nõnulli faciũt: ex alijs enim apparẽtibus facultates nos administrãtes, nõ ex ipsa simpliciter mẽbrorũ inspectione inueniri. Verũ hęc oratio distinctionibus quibusdã indiget: quas etsi in commẽtarijs de Hippocratis & Platonis placitis vberius explicauerimus, nũc tamẽ eas summatim perstringere necesse est. Prima igitur distinctio sumitur ab arterijs, aut venis, aut neruis, vel præsectis, vel laqueo interceptis, in quibus altera à laqueo sita pars functiones proprias retinet, altera penitus amittit. Idẽ etiã in spinali medulla euidẽter apparet. nã si aliquo in loco spinę diuidatur, qui supra incisionẽ ab ipsa prodeũt nerui, sensum & motũ integrũ seruant: qui inferius sunt, omnes cõtinuo perdũt. Qua ex re facultates has desuper à cerebro in ipsam influere cuiuis perspicuũ est. Simili ratione cũ arterię cuiuslibet laqueo constrictę, pars quę cordi cõtinua supra vinculũ existit, pulsare sicut prius apparet: alia verò quę infra est, pulsũ statim priuari: cõstat nimirũ & hîc arterijs originẽ motus à corde procedere. Hoc igitur & optimũ est & clarissimũ principij functionũ indiciũ. Post istud, vtrũ corporũ, de quibus est quæstio, substantia in omnibus eadẽ sit, an prorsus diuersa. Etenim spinalis medullæ, & neruorũ substantia in omnibus cerebro respondet: sicut & horũ operimenta cũ cerebri operimẽtis, quas meningas dicũt, eadẽ sunt. Verũ arteriarũ substãtia, ne propè quidẽ ad cordis, sicut nec iecoris, ad venarũ naturã accedit. Cũ igitur eadẽ esse appareat, liquet tenuiora crassiorũ esse soboles, vt quæ gigni absq; illis, quẽadmodũ nec rami absq; caudice, minimè possint. At quũ alia venæ, alia cordis & iecoris substãtia manifestè deprehẽdatur, incertũ relinquitur, quãtũ ad hęc apparẽtia spectat, an ex corde exorta caua vena in iecur inferatur, an à iecore procedens in cor insinuetur, an horũ neutrũ sit, sed alia quędam tertia particula venæ huius origo existat. Quare nõ iniuria de huius iecorariæ venæ origine ab Anatomicis quæsitũ est, de neruorũ autẽ principio inter omnes cõuenit. Et si iecur cauæ venæ origo esse inueniretur: sic quoq; in dubio esset quantũ ad hoc, vtrũ sicut prius fuit, ita quoq; in perfectis gubernationis principiũ sit, an ab alio quodã hoc ipsis cõtingat. Distinguendũ autẽ est, magnáne vasa paruorũ, an parua magnorũ principia sint: nam in hoc quoq; à nõnullis medicis erratũ est, quemadmodum ab eo qui venarũ, quæ in ventrẽ & intestina pertingũt fines esse originẽ dicebat, qui quidẽ fines ne excogitari quidẽ possunt, nisi etiã vena quę in chorio ad iecur tẽdit, propaginẽ in ipsa distribuendã emiserit. Nã ratio est ex hoc quod apparet cõsiderare venarũ initia quę in vulua sunt, extremis radicũ arborũ fibris, venã quæ ad iecur per vmbilicũ tẽdet, trunco assimilari. Quæ cũ ita se habeãt omnes quę in corpore sunt animalis fines venarũ, surculis, nõ radicibus respondẽt. Iã ego quoq; aliquãdo rationẽ hãc cõsiderare sum conatus, quomodo liceret dicere primas omniũ è semine tunicas fuisse procreatas duorũ horũ vasorũ quæ in fœtibus, & in perfectis maxima habentur: hoc est, magnã arteriã, & venã quę inter vmbilicũ & iecur est: & his discissis ea quę in chorio sunt, õnes generari, deinde horũ extrema arborũ radicũ finibus cõparari. Verũ hac quoq; ratione, nec iecur, nec cor primò nasci videtur: vt quę sanguinea substãtia planè ad sui cõstitutionẽ indigeant, quã per vasa ex vulua afferri necesse est.

Medulla spinalis ex cerebro facultates habet.

Elegãs venarum cum arborum partibus collatio.

Vnde rurſus, quemadmodum ſuperius etiã dicebamus, ſemen opificis rationem ſubibit: vaſa verò hæc, quibus ſanguinẽ ex prægnante adtrahi ad viſcerũ procreationẽ neceſſe eſt, omniũ prima generabuntur. Deinde autẽ poſt ipſa, iecur & cor, quemadmodum domus fundamentũ, & nauigij carina. Quo verò tẽpore ſeminis vis hæc format, quædam etiã alia veriſimile eſt, tum his adiacẽtia, tum inter hæc & vuluã ſita, formari. Nunquã enim facultatẽ, quæ plãtas & animalia fingit, ſiſtere ac ceſſare credibile eſt, ſed totã omnibus ſimul partibus & innaſci & augeri. Nequaquã igitur quæ animalia fingit natura, ab aliarũ partiũ fabricatione deſiſtet, ſed & venas & arterias ſemper ſcindẽdo producet, hiſq; alia viſcera ſicut iecur & cor diximus, aggenerabit: ſimul & conuenientẽ formã & ſitum, aliaq; omnia, quæ partes ſingulas habere cõuenit, decenter efficiet. Omnibus igitur modis cõuincũtur iſti qui temere ab ea particula quæ prima fuerit formata, reliquas gigni pronunciant: nõ enim profectò opifex illa cauſa, vbi partẽ aliquam abſoluit, à fœtu recedit, imperans eis quæ fecit, vt reliqua generet. neq; enim arteriarum & venarũ corpora videntur è iecoris aut cordis ſubſtantia progerminaſſe, ſicut è cerebro & membranis medulla ſpinalis & nerui. Quare maximè probabile eſt, quantùm de incertis pronunciari licet, ipſam vim quæ arterias & venas creauit, eandem illas ſcindendo omnibus fœtus partibus applicare, ipſas particulas proprijs ſedibus vndiq; collocantẽ. Maximè itẽ probari poteſt, formatas partes vbi primũ perfectè abſolutæ ſunt, incipere proprias ſubſtãtiæ ſuæ functiones obire, & neq; renes, neq; vuluã, neq; lienẽ, neq; inteſtina, aut demũ aliquã aliã particulã naturalẽ alterius auxilio ad propriã functionẽ indigere. Quoniã verò partiũ ſubſtãtia neq; ſecundum quãtitatẽ eadẽ permanet, cum multũ quotidie ex ipſis defluat: neq; ſecundum qualitatẽ, varias enim alterationes experitur, mutuo ſubſidio indiget, quò & exinanitũ repleatur, & alteratũ corrigatur. Quæ quidem auxilia quot & qualia ſint, nõ modo philoſophorũ aliquis accuratè deprehendit, ſed ne medicorũ quidẽ, qui abſq; Anatomes peritia ad quęſtionẽ hanc acceſſerũt. Cor quippe, hoc enim ſolum regere animal nõnulli exiſtimant, vbi reſpiratione fuerit priuatũ, & ipſum moueri deſinit, & cũ ipſo animal etiã totum interit. Priuatur autẽ reſpiratione, nõ tantũ ſuſpendio ſuffocatis hominibus, aut ex inflammatione faucium inſpirationis meatu obſtructo, verũetiã neruis qui thoracẽ mouent vitiatis, vel præciſione, vel colliſione, vel laqueo, qui omnes à ſpinali medulla, quẽadmodum ipſa à cerebro originẽ habẽt. Sicut igitur cerebrũ ad tuendum cor vtile eſt neruis thoracẽ mouẽs, quo diſtẽto, inſpiratio: cõtracto, reſpiratio fit: eodẽ modo cerebro vſum quẽdã cor ipſũ pręſtat, atq; his vtriſq; iecur, vt in ſcriptis de his cõmẽtarijs demõſtratũ eſt: neq; hæc tria tantũ principia, ſed omnes etiã aliæ particulæ ſibi inuicẽ auxiliari ſolẽt. Verbi gratia, vt ex vno reliqua ſigillatim omnia quę in libris de vſu partiũ dicta ſunt, in memoriã reuocẽ, ob iecur, & renes & veſicę duæ factę ſunt: quæ bilẽ recipit, ipſi viſceri innexa: quę verò vrinã, ad renes collocata. fæculenta autẽ viſceris excrementa, lien expurgat. Quod autem & vẽtriculus iecori præcoquat alimẽtũ, quódq; inteſtinorũ anfractus digeſtionis quę ipſa inteſtina fit, cauſa fuerit effectus, ſatis indicatũ eſt, aliáq; õnia quę in vnaquaq; corporis parte habẽtur, in cõmẽtarijs de vſu partiũ: quorũ nihil ne paululũ quidẽ agnouerãt illi tũ medici, tũ philoſophi, qui omnia cordi attribuẽtes arrogãter pronũciãt. Verũ hæc prolixius etiã fortaſſe q̃ pręſens inſtitutũ exigebat, dilatata ſunt omnia: quanq̃ merito cõfectionis periti medici indignẽtur, q̃ nõnulli nõ

Partium ſubſtãtia non eadem cauſa effluuij permanet.

Cor reſpiratu deſtitutum.

Cerebrũ cordi vtile.

modò de ijs quæ ignorãt, proferre ſententiã, verumetiã iactabũdè eos qui ſciũt increpẽt: qui quidẽ primò à natura formatã particulã, reliqua formare cenſent, atq; hanc eſſe cor: nõ tantùm in duabus his ſentẽtijs decepti, ſed quanuis etiã ipſis concedatur, & primũ omniũ cor fuiſſe procreatũ & reliqua ipſum procreaſſe, nõ neceſſariò tamẽ ſequitur, vt functiones in adultis animalibus ab illo fiant. neq; enim idẽ generationis & diſpenſationis principiũ exiſtit. Sed iam ad id quod pręcipuè eſt in hac diſputatione propoſitũ, digreſſi, iſtos ipſos oſtẽdemus ne illa quidẽ quæ à medicis inquirũtur, rectè fuiſſe perſcrutatos, ſed putare ſi à natura cõceptũ formari dicant, nõ ſanè ſe nihil amplius q̃ nomẽ omnibus cõſuetũ dixiſſe. Nemo enim tam ſtolidus eſt, vt nõ intelligat quandam fœtus generationis cauſam eſſe quam omnes naturam appellamus, quæ eius ſit ſubſtãtia ignorãtes. Ego verò ſicut oſtẽdi corporis noſtri ſtructurã, ſummã eius qui illud fabricatus eſt, & ſapiẽtiam ſimul, & poteſtatẽ repræſentate: ita velim mihi philoſophos iſtos opificem indicare, deúſne aliquis ſit ſapiẽs qui primũ ſanè cogitauerit, quale cuiuſq; animantis corpus fingere cõueniret: deinde potentiã ipſius qua quæ propoſuit, abſoluit: an anima quædã à diuina differens. nõ enim naturæ dictæ ſubſtantiã ſiue corporea, ſiue incorporea ſit, ſummè prudentẽ eſſe dictitãt, quã tã artificioſe fœtuũ formationẽ moliri nulla ratione perſuaderi poſſe pronunciãt. Hoc enim ab Epicuro & ijs qui citra prouidentiã omnia fieri arbitrantur, audiẽtes non credimus. Atqui neceſſariũ eſt, vel ex motu quodã irrationali & inartificioſo, fœtuũ formationẽ optimũ finẽ conſequi, aut quẽadmodũ qui miracula moliuntur, vbi motus initium ipſis exhibuerint, ipſi quidẽ diſcedunt: opificia verò ipſa ac machinæ aliquouſq; nõ multo tẽpore artificioſe mouentur: ita etiã deos, poſtq̃ ſtirpiũ animaliũmq; ſemina in tantam motuũ ſucceſſionẽ idonea prępararint, nihil præterea ipſos agere. Verũ priorẽ opinionẽ cõuincere opus non habeo, vt quã hi ipſi ad quos potiſſimũ hæc mihi diſputatio inſtituta eſt, dãnarint: alterã accuratiũs inſpiciendã cẽſeo, an fieri poſſit vt talis humiditas, qualis in genitura apparet, in tãta motuũ mutuo ſe excipientiũ ſerie nihil aberret, donec cõgruũ finẽ fuerit conſequuta. Quẽadmodũ enim optimũ eſt nuſquã in tanta particularũ copia caſu delinquere, ita etiã artificioſam motus conſequentiã ab irrationali quadã fieri ſubſtantia, quemadmodũ ipſi dicũt, affirmare temerariũ eſt. Hoc adhuc admirabilius quod per totã vitã omnibus nobis videntibus accidit, quod nemo eorũ qui naturæ cognitionẽ profitẽtur vel intellexit, vel inquirere quomodo fieret dignatus eſt. Quid autem eſt illud? quod in partiũ functionibus accidit. Perſpicuitatis verò cauſa, vno aut altero exẽplo abſoluemus orationẽ. Proponatur primũ manus, quæ omnes digitos tribus oſſibus compoſitos, atq; inter ſe articulis cõmiſſos habet: in quibus nimirũ primũ exerceri ſatius eſſet, illos qui cœlũ ac mũdum vniuerſum erant contemplaturi, quomodo ſcilicet ſint fabricati, quibúſq; inſtrumẽtis motus ipſis accederet: quomodo aliquando articulamẽtis vel ſimul omnibus, vel priuatim ſingulis extenderentur: aliquando in latus flecterentur, ídq; dupliciter, vel ad paruũ vel ad magnum digitũ. Si enim nouiſſent per muſculos omnes hos motus fieri, nobis ignorãtibus priuſquã per diſſectionẽ in conſpectũ veniſſent, admirati ſanè eſſent quomodo non ſolũ nos, ſed paruuli etiã infantes cũ aliquem digitũ vel extendere vel inflectere iubentur, ſtatim id faciant, licet mouentẽ muſculum non cognoſcant. Quod in lingua magis adhuc mirabile eſt, de cuius muſculorũ numero inter Anatomicos nõ conuenit: tantũ abeſt, vt eos qui

Scomma in aſtrologos.

ſingulis motionibus præſunt,certò cognoſcant.Verū hoc quoq; à diligētioribus medicis indagatū eſt:ac quidā fuit qui dixit,vnūquēq; muſculū quaſi animal voluntatē noſtrā per ſentiētē,attrahere,ac circūducere linguā in cōuenientē figurā cōcinnè vocis exprimēdæ:atq; hoc omnibus alijs probabile minimè videtur.Mirū autē illud omnes putant,paruū puerulū vbi audiuerit hāc vocē,panis,cū neq; quomodo lingua figuretur cognoſcat, neq; à quibus muſculis ad ſingulas vocū motiones agatur,eā,imò totū etiā deinceps verſum exprimere:in qua re lingua multas mutationes ſingulis vocibus accōmodatas moliatur.Cæterū quū plures muſculi in nobis ſint,nō eſt ſanè credendū,vnūquēq; ex ipſis animal eſſe.Ab hac igitur opinione,vtpote abſurda ego digreſſus,ad aliā ab alijs viris celebratā deſcē di:nēpe à neruis ad originē ſuā muſculos trahi,atq; hinc fieri,vt ad eorū attractio nē inferior oſſiū,quæ articulos cōſtituūt,pars,cui muſculi caput inſeritur,etiā ſequatur.Sed hîc quoq; præterq̄ ꝙ nō cognoſcimus adhuc quiſnā muſculus attrahēdus ſit,ipſorū etiā neruorū magnitudo adhuc refragatur: vtpote quū minimi nerui muſculis inſerātur,qui neq; dū viuit animal in volūtarijs functionibus moueri queādmodū muſculi apparēt:imò neq; in mortuo ſi noſtris manibus trahamus muſculos, ſicut illi articulamētorum oſſa attrahere cernūtur. Atqui inde ꝙ ſinguli muſculi mouētur,prout voluntas fuerit,nō eſt credibile ſemē perinde ac miracula fuiſſe cōſtructū:ignorare autē ipſum, neq; quid agat prorſus intelligere.Nā eorū oratio qui animā ſuū ſibi corpus formare dicūt ex quibuſdā apparētibus probabiliter aſtructa,hinc cōtrouerſiā obtinet.Etenim ſtabilit ipſum ſingularū corporis partiū vſus,qui ſimul dū etiā generātur ineſſe ipſis videt.vnūquodq; enim animal cernimus ea præcipuè parte quę alijs præſtat,ſeſe defendere:vitulū ſanè cornu petere prius etiā q̄ cornua produxerit:pullū equinū calcitrare,nondū ſolidis vngulis:ſicut catulū quoq;,licet dētes non validos habeat,morſu aggredi: volucres,volare conari,etſi non poſſint.Hæc omnia vidētur ſignificare animam quæ partibus his vtitur,ipſarū vſum cognoſcere,quaſi ipſa eas fabricarit,non ab alio fabricatis vtatur.Sed curvbi particulam aliquā mouere voluerimus quocūq; modo,ea ſtatim moueatur,licet mouentē muſculū nō agnoſcamus,lōgè difficilimū eſt:vix enim ex cōſectione, Anatomicis propria,vniuſcuiuſq; muſculi functio inuēta eſt.Ob quod nōnulli exiſtimarūt aliā eſſe animā quæ vnūquāq; partē cōſtruxiſſet,aliā quę ad volūtarias functiōes incitaret:atq; hac ratiōe videt adhuc in animaliū corporibus permanere ea quæ fingit particulas.non enim fieri poteſt vt ea quę nūc adeſt,conueniēter ſingulis vtatur:ea verò quę eſt fabricata,abierit. Itaq; oratio de anima hac quę particulas cōformarit,ōnino incerta eſt,minimēq; probari poteſt: vnum illud ſaltē manifeſtè indicare mihi videtur,ſcilicet opificis qui nos cōdidit artificiū:quod nemo,qui modò libero animo rē perpēdat,referre in irrationalē fortunā poteſt. Nā cū in animalis corpore muſculi ſunt multo plures q̄ illi qui pro volūtate particulas mouent,vnuſquiſq; ex ipſis & formā,& magnitudinē,& caput,& finē,& ſitū admodū cōuenientē habet.Itē neruus,vena,& arteria tā aptè pro muſculi magnitudine & loco inſerūtur:vt nullū ex ijs,quū tā multa ſint,reprehēdi poſſit: id quod in libris de vſu partiū demonſtratū eſt. Attamē ſi trecētarū particularū ſtructuræ,ſingulę decē ſcopos obtinētes,in totū ſint abſolutæ,ad triū miliū numerū omnes euadēt.Et nondū tamē,id quod maximè mirādū in harū fabricatione eſt,diximus æquales prorſus eſſe in ſiniſtris partibus

Cōueniunt ſiniſtra dextris

musculos ijs qui in dextris sunt, arterijs itẽ arterias, venis venas, ac neruis neruos, vt tria milia scoporũ duplicanda iam sint. Idẽ est in ossibus, quæ plura q̃ ducenta numerãtur. Etenim & horũ singulorũ scopi cum sint longè plures q̃ quadraginta, constat si duplicentur, plura q̃ milia quatuor fore. Eadẽ ars in visceribus omnibus & demũ omnibus partibus spectari potest: vt si quis scopos vniuiusq; structurę numerare velit, numerus omniũ integrè absolutorũ, in dena milia, nõ milia redigatur. Quos ego nequaq̃, vt dixi, nisi à sapientissimo ac potẽtissimo opifice factos esse crediderim. Quis autẽ hic sit, sperabã me prius à philosophis esse auditurũ,

Tangit astrologos.

qui de mũdo rerũmq; vniuersarũ generatione pronunciãt: multo enim facilius quomodo corpus constructũ sit, nosci existimabam. Sed cum vni horũ qui primus obtigisset, discipulũ me tradidissem, sperarẽmq; ab eo demonstrationes, quemadmodũ in Geometria didicerã, auditurũ me esse: cognouissẽmq; eum nõ modò nõ lineares demonstrationes, sed ne oratorias quidẽ argumentationes callere, ad aliũ me cõtuli, qui etiã ipse ex proprijs argumẽtis, cõtraria ijs quæ à priori audiuerã, pronũciabat: quũmq; & tertio & quarto fuissem expertus, nullius rei potui inculpatã aliquã demõstrationẽ audire. Quamobrẽ maximo dolore affectus,

Ingenua Galeni confessio de structura animalium.

mecũ ipse cœpi inuestigare, an aliquã de structura animaliũ validam rationẽ possem inuenire: ac nullam deinde inueni: id quod hoc in libro fateor ingenuè, peritos hac in re philosophos hortatus, vt si quid titulo ipsorũ dignũ inuenerint, nobis id velint sine inuidia cõmunicare. Nam cum puerulos videamus sonare quęcunq; eos iusserimus, verbi causa, smyrnã, scalpellũ, smegma, neq; tamẽ musculos qui linguã commodè, vt hæc vox exigit mouent, multo minus etiã neruos cognoscere: maximè probabile existimo esse, illũ qui linguam nostrã finxit, quicunq; is fuerit, vel ipsum adhuc in formatis particulis permanere, vel particulas ipsas animantia constituisse, quæ voluntatẽ principalis animæ nostræ cognoscerent. Sed cum hinc sequi videã, aliam esse principatus nostri animam, aliam quæ in singulis partibus est, vel prorsus vnã esse cõmunẽ, quæ omnia gubernet, adeò dubius hæsito, vt ne vel quod fieri possit intelligã, tantùm abest vt rectam cognitionẽ aliquã de artifice qui nos finxit, habeã. Cum enim audio quosdã philosophos dicere materiã animatã, quæ ab æterno est in ideas respiciẽdo se ipsam exornare, magis adhuc intelligo, vnam oportere esse animã, quę & nos formet, & quę singulis particulis nũc vtatur. Huic autẽ opinioni aduersatur, ꝙ quę nos regit anima, appetitionibus ipsius inseruiẽtes partes ignoret. Nã qui de elementaribus vocibus scribere aggressi sunt, eò processere, vt definierint aliã firmata lingua ad dentes qui incisorij vocãtur, vel superioris vel inferioris maxillæ, aliã itẽ ad palatũ, aut in aliquã aliã partẽ reflexã, fieri. Quẽadmodũ etiã spiritũ qui è gutture ascẽdit, interdũ ad nariũ foramina peruenire inquiũt, interdũ aperto ore efflari, atq; eũ nũc copiosum atq; vniuersum, nũc paucũ ac paulatim exire. De musculis verò qui motiones has pręstãt, nullus mẽtionẽ fecit: quãdo neq; illi qui plurimã ad cõsectionis experiẽtiã peruenerũt, certi aliquid inuenerũt. Verũ qui nihil horũ inuenerũt, neq; penitus inuestigarũt, non vnũ modò, sed seriẽ quandã enunciatorũ connexã temerè pronunciant: quorũ primũ, verbi causa, quod nec sensu percipi, nec ratione inueniri potest, statuũnt, nẽpe cor primũ omniũ generari: post hoc alterũ, aliásq; particulas illud fingere: quasi qui id fabricatus est, quicũq; ille sit, perierit, neq; amplius adsit. Postea quasi consequens inferunt, gubernantẽ animæ nostræ

partem in corde constituerit. Si autē imperans vis inest, ciborum quoq;, vt aiunt, potuum, venereorū & diuitiarum appetentem inesse: quinetiā irascibilem, & contendentē. quorum sanè nullum necessariū est, sed cum primo obiectu fieri posse nonnullis videatur, postea verò multis euidentibus redarguitur. Prima quidem conformatio ad arterias, venas, chorion, iecur, non ad cor nos ducit, si & rationē, & ea quæ ex consectione apparent, in iudicium adhibeamus. Secunda deinde & tertia, sicut prius à nobis dictum est, & ad ea quæ, vbi in lucem æditus est fœtus, partim cum prius neutiq̃ essent, adnascuntur, partim inchoata perficiuntur. Maximè verò admirari aliquis posset, quo modo natorum similitudo ad parentes efficiatur: videtur siquidē rursus quæ corpus conformat anima, vtpote in semine contenta, à parētibus in fœtum peruenire. cuius quidē substantia quænam sit, dicere non possum, cū à quibusdā audiuerim eam quū incorporea sit, vt aiunt, simul cum semine ingredi, ipso tanq̃ materia idonea ad formandū fœtum vtentem. Quidam ipsorū non materiam, sed instrumentū ipsius semē esse produnt, materiā enim esse matris sanguinē, quum nonnulli cōtraria penitus affirmēt. Videtur enim ipsis artifex esse semē, nonnullis sanè totum, alijs spiritus in ipso contentus. Sed de his seorsim quodā in libro à nobis scriptū est, vbi ea quæ à Chrysippo in libris de anima dicuntur, cōsideramus: atq; item in altero, vbi recēsemus in quibus Plato, quū de anima agit, secū videatur dissentire. Cæterū cum nullam quod dixi inueniam opinionē scientificè demonstratā, fateor me de substantia animę dubitare, nec vel probabile quippiā de ea quod afferam habere. Fateor itaq; & de fœtuum formatrice causa nihilo plus certi me scire. Nam summam in horū conformatione & sapientiā & potentiā video, neq; possum existimare eam quæ in fœtu est animam, ab Aristotele vegetalem, appetitoriā à Platone, à Stoicis ne animā quidem prorsus, sed naturā appellatam, fœtū ipsum formare: vt quæ non modò sapiens non sit, sed omni prorsus ratione careat. Neq; rursus ab hac opinionē in totū possum recedere, cum similitudinē, quam filij habent cū parentibus specto: ac post partum, in reliqua vita corpus nostrū à rationali anima dispensari nego, ꝙ ante consectionē, neq; partes corporis, neq; ipsarū functiones cognoscamus. Quum autē quidā mihi ex Platonicis magistris diceret, animā quæ per totū mundum diffusa extensáq; est, fœtus formare, artē & potentiam illa dignam existimaui: scorpiones autē, phalangia, muscas, culices, viperas, vermes, lumbricos, ascaridas, ab eadē fingi ac formari nunq̃ credidi, propè ad impietatē accedere hanc opinionē ratus: neq; etiā materiæ animā tantum artificij adeptam esse, rationi consentaneū videtur. Tantū igitur hoc de causa animaliū formatrice pronunciare me posse confido, ꝙ & ars, & sapientia in ea sit maxima: sicut & ꝙ posteaq̃ formatū corpus fuerit vniuersum, per totā vitā tribus motuū principijs ex cerebro per neruos & musculos: ex corde, per arterias: è iecore per venas gubernetur. Ex quibus autē principijs, ꝙ manifestè nō ausus sim statuere, cū alijs in libris declaraui, tū in eo præcipuè qui est de animę speciebus, animæ substantiā nusq̃ ausus diffinire. Neq; enim corporea sit anima omnino an incorporea, æternáne prorsus, an corruptioni obnoxia, linearibus demōstrationibus vsum quempiam inueni, quemadmodū à nobis cōmentario de animæ speciebus cōprehensum est.

Substãtia animæ Galeno incognita.

Galeni de Fœtus formatione libelli finis, Guinterio Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Medendi ratione per venae sectionem liber, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Propoſitio eorũ qui de ſanguinis miſſione ſcribunt.



Vi de ſanguinis emiſſione præcipiũt, primùm ſanè hoc vnum ſibi diſpiciendum proponunt, qui corporis affe-ctus euacuatione indigeant, mox qui eam, quæ ſectio-ne venæ confit, requirãt. ſiquidem multi ſunt affectus, alij qui euacuatione quidẽ indigeant, ſed non ſanguinis miſſione: deinde poſt hæc diiudicent, qui citra noxam hanc ferre euacuationẽ poſſunt. quippe ſæpe reperitur affectus, qui venæ ſectionem deſideret: laborãs autem eam ferre nequit, vel propter ætatem, vel propter anni tempus, vel ob regionis naturam, vel ob os ventriculi vitiatũ, quod ſubinde per abuſum, ſtomachum appellant. Quemadmodum ſanè & nos, in præſentia per totum hunc librum, compendij nimirum cauſa, hac vtemur appellatione. Nam non deſunt, qui etiã ſi maximè, quantũ ad morbum pertinet, ſectione venæ in-digeant, ob totiu ſtamen corporis habitum, non ferant. Quæ iam ſi etiam diſtinguas, particularis ſuccedet cõſideratio, ſicuti in alio quouis auxilio: deinceps de venis quæ veniunt ſecandæ, erit contemplandũ. Nam de iſtis quæſitum eſt mul-tũ, nihilne interſit, quã quis ſecare venã volet (omnes enim omnibus æquè affe-ctibus auxiliantur) an ſicuti Hippocrati ac probatiſſimo cuiq; viſum eſt, multũ referat, hanc, vel illam incidere. Iam vbi hoc quoq; diffinitũ eſt, agendum erit de ſcopis: quibus ſcilicet quis animum intendens, vacuationis modum coniectura queat aſſequi. Ad hæc omnia in quibus ſemel auferre præſtet, in quibus verò ite-rato, quam ablationẽ ὑπαφαίρεσιν nominant, conferat: tum quos inanire ad animi defectionem cõueniat: in quibus autem id tanquã ſummum malum vitandum. Hæc igitur proſpiciat neceſſe eſt, qui probè hoc vſurus ſit remedio. Porrò de o-mnibus iſtis in medẽdi methodo tractauimus: ſicut & ſeorſum ad Eraſiſtratum de eo, ꝙ perperam ab hoc abſtinuerit remedio. Deinde alium etiam librum conſcripſimus ad eos Eraſiſtratios, qui vſum eſſe hoc auxilio virum affirmant. Itaq; odio ſanè haberi merito debet malignorũ ſophiſtarũ vel verſutia, quando cum mentiri ſe ſciant, artificio id præ nouarũ rerũ ſtudio contegunt: vel ſapientiæ va-na perſuaſio, quando cum vtiliſſima ignorẽt, contraria rationi aſſeuerant. Horũ alterũ Chryſippo Cnedio accidit, qui venæ ſectionẽ ex omni medicinaliũ præſi-diorum numero tollendam eſſe cenſuit. Secuti hunc ſunt ipſius diſcipuli, & ipſi apud Græcos clari, Medius & Ariſtogenes. His etiam magis Eraſiſtratus nomi-nis gloriæ celebris, Chryſippi tutatus eſt ſententiam. Poſt quem ipſius diſcipuli, principio quidem præceptoris dogmati inſiſtebant: ſed temporis proceſſu qui-dam ipſorum ab his defecerunt, pudore affecti impudentiſſimo. Nam quid in il-los dicas, qui affirmare non dubitant venæ ſectionis auxilium recipere Eraſiſtra-tum? tametſi nuſquã in cõmentarijs vllo in morbo hoc conſulat. Conſentaneũ enim erat, inquiunt, qui inediam tanquã euacuatorium auxiliũ adhibeat, multo

magis sanguinis detractionem deligere. At qui hæc adferunt omnes ad ea secandam esse venã aiunt, ad quæ Erasistratus cibo abstinendum consuluit. Quũ ergo ille in opere de febribus scribat adhibendam morborũ principijs inediam, consentaneum videtur omnibus detrahendum esse sanguinẽ: quod sanè isti etiã arbitrantur, illo vtiq; in tempore. Verùm maximũ id malum fuerit, si ita faciendum adolescentibus artem discentibus persuadeatur: multóq; etiam deterius, si non alia quoq; quæ distinguere cõuenit, inspiciant. Hæc igitur ipsa alio libro exponere sum coactus, quo nimirũ adolescentibus commonstrarem & Erasistratum venæ sectione nequaquã vsum. id enim præstat eos credere, q̃ omnibus vno ordine venam incidere, quibus ille inediam præcepit, & maximum laborãtibus inde prouenire commodum, si quis eo rectè vtatur. Itaq; alius mihi denuo, mea quidem sententia, de venæ sectione scribendus non fuit: quum nimirũ remedij huius vsus in medendi quidem methodo sit expositus, quemadmodũ & in opere de sanitate tuenda: in duobus autem libellis, quorum alter ad ipsum Erasistratum inscribitur, alter ad Romęagẽtes Erasistratios, prauas illius opiniones indicarim. At quum adhortari nõ desisterẽt complures amici, quos piget, vt mihi videtur, opus de ratione medendi perlegere: coactus tandem sum ad hoc opus scribendum descendere, ne scilicet illis inuidere videar: deinceps verò omnia cõuenienti ordine, quæ de hoc auxilio proferri possint, persequi. Atque adeò iam tempus est orationem exordiri.

Quid affect9

Affectus vocabulum, velut alibi diximus, ab afficiendo dictum, æquè atq; illud de multis effertur rebus. Sed nunc recessus in statum non naturalem, qualescunq; hi fuerint affectus, toto hoc libro nominabimus.

Propositio doctrinę ordinis

Quæremus autem omniũ primùm quot, qualésq; sint, qui vacuationem requirãt: deinde qui ex ipsis venæ sectionem. Quoniam autẽ omnia quæ in quæstionem veniunt, duo inuentionis organa obtinent, nempe rationem, & experientiam: cum in artibus omnibus, tum per omnem prope vitam, necesse esse arbitror, & nunc quoq; me aut ratione sola, aut sola experiẽtia, aut iunctis ambobus, quæ proposita sunt, inueniri.

Duo instrumẽta inuẽtionis.

Porrò quoniam ratio ipsa, partim ex cõmunibus tantùm notitijs progrediens inuenit & demonstrat, partim verò etiã ea quæ ex istis inuenta sunt, ad demonstrationem adhibet, in vtraq; ratione omnes vti artes demonstrauimus.

Ratio duplex

Ac nos quoque in præsentia, vtra earum vtilis reperietur, illam rebus nostris accommodabimus. Priori itaq; ratione omnes per totam vitam homines vti solẽt: altera verò non omnes, vt quæ propria sit artificum. Etenim Geometra primum artis suæ præceptum per solam priorem rationẽ demonstrat: deinde in secunda non sola vtitur, sed ad eius demonstrationẽ id quod ex prima assertum est, assumit.

Exẽplũ rationis duplicis

Quanto verò longius à primo recedit pręcepto, tantùm etiã à prima ratione abscedit. Denique paucissimis vtitur, per ea quæ demonstrata sunt, alia demonstrans, & per illa rursus alia, & iterum per illa, alia: vt tandem demonstratio ad ea quæ plebi incredibilia sunt, procedat: nempe ad Solis, Lunæ, & Terræ, non solùm magnitudinum, sed & distantiarum cognitionẽ. Ex quibus inuẽtis & horologia construunt & clepsydras, qui hac nimirum via incedunt, lunæq; ac solis defectiones prædicunt. Sic in nostra quoque arte procedens oratio, multa citabit, quæ in alijs operibus sunt demonstrata: nẽpe cõplures esse facultates quæ animalia dispensent, quarum alias naturales, alias animales appellitant.

Ex prioribus sequentia colligit.

Generationis autem nostræ principia in rebus omnibus, materiam, quatuor habent Ele-

mẽta:quæ per ſeſe mutuo tota miſceri,atq; in ſe mutuo agere ſunt nata.Quapropter nulla hoc libro Aſclepiadis fiet mentio,vtpote cuius Elemẽta falſa oſtendimus,& in decimotertio de demonſtratione cõmentario, & in opere de Aſclepiadis decretis:in quo quintus & ſextus,Elementorum eius confutationem continent. Demonſtratum eſt etiã & in commentario de Elementis ex Hippocratis ſentẽtia conſcripto,de qualitatibus effectricibus: quarũ nomina ſunt, Caliditas, Frigiditas,Humiditas,& Siccitas:& de humorũ tum differentia,tum generatione.Item de medicamentis humorẽ vnumquenq; purgantibus,paucula quædam in libro de Elementis,ſed ſeparatim in alio libro tractauimus.Iam opus de temperamentis,cõmentarium de Elementis ſequẽs,ad præſens inſtitutum conducit. Verùm omniũ maximè liber de plenitudine.in quo oſtenſa eſt,alia ad vires plenitudo,alia ad vaſorum capacitatem in qua continetur. Atque hæc plenitudo à Medicis ab humorũ infuſione,κατὰ τὸ ἔγχυμα nuncupatur.Optimũ ergo fuerit,vt qui ſcienter,ac peritè volet examinare,quæ hoc cõmentario dicentur,de plenitudine librum prius perlegat.Quæ verò & iſte liber ante perlecta requiret,ex eodem diſces.Nemini verò mirum videri debet,ſi tantis ſit opus,vt rectè de vena ſecanda conſiderare liceat. Non enim ad huius modò auxilij inuentionem, ſed & aliorum omnium, neceſſaria eſt eorum quæ modò comprehendimus, cognitio.Nam ſi citra illorum notitiam rectè curare poſſemus, haud ea tanto ſtudio proſequenda duceremus.Sed hæc præfari neceſſe fuit.

Qui libri ad hoc opus ĩtelligẽdũ vtiles.

Plenitudo duplex.

Liber de plenitudine.

Tempus autem nunc eſt orationẽ auſpicari, conſiderando quot ſint affectus, vacuatione indigentes.Ergo ſiquis eas experientia collectos exponat, ſola opus eſt ad enumerationem memoria: at ſi via rationali,cõmune,& vniuerſale inueniat neceſſe eſt.Ex illo deinde in ſpecies differẽtiáſq; diuiſo,vſq; ad ſpecies vltimas,affectuum numerus vacuationem indicantiũ,inueſtigãdus eſt.Sic enim conſtare vniuerſa,quæ rationali via inueniuntur,monſtrauimus.Igitur cum artis medicæ officium ſit,omnes partium corporis functiones, vbi corrũpuntur quidem inſtaurare:tueri autẽ & conſeruare vbi ſaluæ fuerint:has autem ad conſtitutionẽ naturalem ſequi neceſſe eſt,hanc dum præſens eſt,ſeruare,labeſcentem verò reſtituere.Cum igitur primarias actiones à ſimilaribus corporibus perfici oſtẽſum ſit,ab inſtrumentarijs verò ſecundarias,diſpiciendũ tibi eſt,humores qui in corpore continentur,quam aut vtilitatem aut noxam partibus eius afferant.Poſteaq̃ igitur in libro de plenitudine demonſtratum eſt,bifariam & fieri & dici plenitudinem:vno ſanè ſignificato ad vires referri,altero ad continentium humores vaſorum laxitatem,quod quidam vocant κατὰ τὸ ἔγχυμα,vtriq; vacuatione eſt opus, ſiue in homine ægrotante,ſiue in ſano euenerit.Quemadmodũ autem qui onus geſtat,non protinus vbi grauatur,ac fatigatur,iam cecidit,& victus ab eo eſt:ita vbi vires à plenitudine grauantur,fieri poteſt vt nondum homo ægrotet.Siquidem nonnulli qui conſueta etiamnum munia obeunt,ſentire ſeſe graues,torpidos,ſegnes,atq; vix ſe mouere poſſe referunt:eáq; eſt ad vires relata plenitudo: velut vbi poſt exercitia tendi videntur, quemadmodum Eraſiſtratus dixit, implentur brachia & cubitus,nõ exigua eſt alterius plenitudinis nota,quam ab humorum infuſione græcè κατὰ τὸ ἔγχυμα vocari à quibuſdam propoſui:quandoquidem ex infuſis per vaſa humoribus conſiſtit & intelligitur.Dictum autem in ſanitate tuenda eſt,vbi in toto corpore ſenſus prouenit vlceroſus, ac potiſſimùm

Exordium.

Medicinæ officium.

Plenitudo ad vires,ad vaſa.

Analogia.

Signa plenitudinis ad vires

Signa plenitudinis ad vaſa.

dum mouemur, talem affectum mali ſucci eſſe ſobolem. Attamen id nõ paucis conſuetas etiamnum res agentibus vſu venire ſolet. Interim etiam & in partibus quibuſdam corporis, non in tota ipſius mole, indicia habentur affectuum illis in partibus conſiſtentium, ſimilium iis quales in toto corpore conſtitui repeꝛiuntur. Caput enim aliquando ſolùm grauari percipimus, aut vlceroſum quendam affectũ habere, aut muſculos temporis, quos κροταφίτας nuncupant, intendi, vel vtiq; ſimpliciter, vel cum ampliore caliditate. Sic & in iocinere, liene, ventriculo, coſtis, ſepto tranſuerſo, grauitatem ſæpenumero percipimus. Pari modo in ore ventriculi, vel grauitatem, vel roſionẽ, vel nauſeam, vel ciborum faſtidium, vel abſurdam appetentiã quandoq; percipimus. Adhæc autem dolores quamcunq; partem affligentes, aut ob humorem copiam vniuerſè ingruentium, aut ob ſpiritum flatuoſum, vacuationem indicant: ſicut etiam qui ab acri humore partem exedente erodentéque proueniunt. Nonnulli ex intemperie naſcuntur: atq; inter eos ipſos quidã ab ea ſola citra humores, alij verò cum humoribus. In omnibus itaq; iſtis comprehẽſis noxiorum tum humorum, tum vaporum euacuationes, affectibus hominem liberant. Non tamen venæ ſectione omnino indigemus, ſed abundè eſt purgatio, frictio, balneũ, & inunctio, ex digerẽte quodã medicamine adhibita. Ergo qui vena ſecta iuuentur affectus deinceps dicamus.

Senſus vlceroſus qd notet.

Grauitatis ſenſus.

In quibus partibus grauitatis ſenſũ percipiamus.

Dolores vacuationem indicant.

Noxij humores purgandi.

Non ſolùm alimentum animantis partibus ex ſanguine eſt, ſed calor quoq; naturalis perſeuerantiam ex eo obtinet: quemadmodũ ex lignis vri idoneis ignis in foco collucẽs, à quo ædes totas caleſcere cõſpicimus. Itaque quemadmodum ignis hic offenditur, interim quidem congeſtis in eum plenè ac confertim lignis, interim verò tametſi non multis, tamen admodum humidis, nonnunquam autem omnino nõ impoſitis, aut valde paucis: ſic qui in corde eſt calor, interdum minor quàm fuit efficitur, aut ex ſanguinis copia, aut ſumma inopia, aut ex qualitate frigida: interim verò maior, aut propter calidam ſanguinis qualitatem, aut propter pauculam inopiam. Quicquid autẽ cordi ex caliditate, ac frigiditate accidit, eius protinus & aliæ corporis partes participes fiunt. Oboritur autẽ & vna in parte perſæpe præter naturam, vel caliditas, vel frigiditas: ſicuti ſæpenumero in alijs cõmentarijs demõſtrauimus. Idq; duplici ratione prouenit, interim ob humores calidos, aut frigidos: interim verò ex ſola intẽperie. Cęterùm quæ particulares accidunt caliditates, aut frigiditates, eas quæ parti quidem affectæ, vicinæ ſunt, vnà immutant, in totum verò extendi corpus, prius quàm cor mutẽt, nequeunt. Eundem in modum & cordis corpus duplici modo alterari oſtenſum eſt, aut ab intẽperie, aut humoribus calidis vel frigidis, aut alicuius horũ inopia. Porrò humores calidos frigidóſq; fieri monſtrauimus ex cibi potúſque modo, & pleniore corporis animíq; tum motu, tum quiete. Cæterùm quemadmodum in ventriculo frequenter prauæ fiunt concoctiones, ijs quæ aſſumpta ſunt, in pituitam, aut bilem cõuerſis, aliámve præter naturam corruptionem expertis, aut crudis, adeò vt longiſſimo tempore mutari conficíq; nequeant, ſed ita maneãt, aut in flatum vertantur: ita vbi ſanguinis generatione fruſtramur, humorũ affectus in arterijs veníſq; proportione reſpondebunt ijs, quæ à fruſtrata in ventriculo concoctione proueniebant. Quoniam autem calida ſimul humidáq; omnia facillimè putreſcere apparẽt, conſequitur neceſſariò, alimentũ quod ex ventre diſtribuitur, quando à natura non vincitur, neq; ad ſanguinis boni generatio-

Sanguis quid præſtet ĩ corpore.

Natiuꝰ calor cum igne cõfertur.

Cor cõmunicat toti corpori.

In libris de cauſis morborum.

Humores calidi & frigidi vnde fiant.

Prauæ concoctiones in vẽtriculo.

Calida & humida putreſcũt facilè, libro de differẽtijs primo.

nem conuertitur, aliàs aliam experiri putredinem. Quoniā verò quæ ex materia calida putrescunt, calidiora etiam euadant necesse est: ideo calidior quoque erit sanguis putrescens. Qui si calidior reddatur, pars etiā in qua putrescit, calidior euadet, vt sensibus queas percipere. At quia vicinior à calidis, ad sensum simul incalescunt, vnà quoque cum sic affectis partibus omnia quæ vndequaque ambiunt, incalescent: idq; calore acri ac mordaci, qualis est qui à putredine proficiscitur. Itaque si pars quæ hoc pacto incaluit, insignis sit, aut calorem suum in cor porrigere possit, vel quòd vicina sit, vel quòd principalis, vel quòd calida, vnà & ipsum accendet, vtpote quod natura calidissimum. Quòd si semel illud accensum fuerit, ex facili totum cum ipso iam corpus simul excalfiet, quemadmodum foco quodam flammam multam habente, domus quæ ipsam continet. Vocant autem talem corporis affectum Græci quidem πυρετὸν, Latini verò febrem. Nonnunquam verò prius quàm incipiat putrescere, ingens sanguinis vis in partem confertim decumbens, aut prorsum eam reddit mortuam, vt actio intereat, aut certè non contemnendam noxam infligit. Nam hoc pacto apoplexiæ proueniunt, cū multus nimirum sanguis in principium animātis confertim confluxerit. Nam vbi in aliam partem quādam decumbit, tumorem inibi præter naturam efficit. Ex hoc genere est inflammatio. At vbi crassior est, magisque melancholicus, qui decubuit sanguis, scirrhosus tumor efficitur: sicut si pituitosior sit fluxio, laxus: sin biliosus, erysipelas existit. Distincta hæc exactè habes in cōmemoratis suprà operibus. Verū nunc, vt dixi, quæ sunt demonstrata argumenti loco hoc in libro assumens, per cōsequentiam de vena secanda rationem indico. Igitur cum plenitudo duplex sit (optimum enim fuerit hinc auspicari) & ea sanè quæ ad vires refertur facilè in putredinem perueniat, atque etiam interdum in partes quasdam decumbens tumores præter naturam in eo excitet: altera verò, quæ κατὰ τὸ ἔγχυμα appellatur, sæpe in partes decūbat, ac tumores creet, imò & apoplexias moliatur, venarūmque ruptiones, eam celeriter euacuare tentandum, prius quàm magnū aliquod malum in homine admittat. Porrò fusius expositū est in opere de sanitate tuenda, quo pacto vtrosq; affectus & dignoscere & sanare oporteat: sicut vbi febris, aut sanguinis reiectio ex plenitudine inuasit, aut apoplecticarū infirmitatum aliqua, quo modo & illas curare oporteat, in libris de ratione medendi diximus. Quare de his plura conscribere superuacaneum censeo. Nam si perinde vt in illis operibus scripsi, ita & hîc scribam, bis de iisdem verba facere cogar, ac propterea in longum etiam sermonem producere. Sin in compendium librum hunc cōtraham, periculum est ne alterum è duobus mihi accidat: vel vt ob breuitatem obscurus fiam, vel distinctionem aliquā vtilem prætermittam. Verùm quoniā haud mea voluntate hunc aggressus sum librum, si quod ex prædictis committatur peccatū, in eos reijcietur, qui mihi huius laboris subeundi authores fuerunt: quemadmodum si rectè à me tractetur, videatúrq; vtilis, laudem ad illos transferam. Rursus ergo orationi sumatur principiū. Qui sanè consueta adhuc faciunt munia, sed princeps illis pars aliqua, aut totū corpus grauatur tenditúrve, iis necessaria est euacuatio. Porrò si ætate nec pueri sint nec iam senes, de secanda vena consiliū inito, præ oculis habens principales hosce scopos. Nempe plenitudinis tum quantitatē, tum qualitatem: & virium robur, atq; infirmitatem: deinde naturalem totius corporis habitum: tem-

Sāguis putrescēs calidior.

Ex partibꝰ calor cordi quādo dispensat.

Febris.

Apoplexiæ quomodo fiūt

Vide librū de tumoribꝰ præter naturam.

Plenitudo duplex.

Qui indigeat vacuatione.

púſque & regionem, vitámq; ante actam, an cibi potúſq; copia, & præcipuè valentis materiæ, qui ſic affectus eſt, ſit vſus: adhæc conſuetudinem, & res præter conſuetudinem actas: quóſque motus exercuerit: quas excretiones habuerit, an præter ſolitum ſuppreſſæ fuerint: ad omnia autẽ hæc, num craſſior aut gracilior euaſerit. Sanè vtriuſq; plenitudinis quantitas ex propriorum ſignorum magnitudine definietur. Quanto enim grauior ſibi homo videtur, tantùm & plenitudinem ad vires relatã creuiſſe cuilibet manifeſtũ eſt. Ad eundem modum quantum auctus fuerit tenſionis ſenſus, tantùm & alteram inauctã eſſe plenitudinem: quam à quibuſdam κατὰ τὸ ἔγχυμα vocari diximus. Qualitatem verò in vtraq; plenitudine, partim ex coloribus dignoſces, memor colorem humorũ eſſe, vbi mediocriter in calore & frigiditate corpus, natura habuerit. Etenim calidiores, calidior totius corporis ſenſus ſequitur: frigidiores verò, frigidior. ac humores in venis quidem collectos, tumor, vaſorúmq; diſpoſitio: eos autẽ qui in carne ſubſiſtunt, ſenſus in illa aut grauitatis, aut tenſionis, ſicut vtique & caliditatis. At gubernantiũ nos facultatum infirmitatem ac robur, proprijs iudicari functionibus oſtendimus: arbitrarijs quidem, in neruis, & horũ principio cerebro: pulſuum autem, in arterijs & corde. Ea autem functione, qua corpus probè alitur, aut alimentum non ſentit, coloratum eſt, aut pallidum, tertia facultas, nempe nutrix, quam à iecore proficiſci demonſtrauimus, dignotionẽ accipit. Quum igitur ex plenitudinis ſignis robuſtæ facultates apparuerint, venã incides, videlicet, ſi tenſiuus quidem ſit affectus, nulla diſtinctione admiſſa, magiſq; etiam in inflammatione: ſin grauans plenitudo negotium faceſſit, haud ſemper ſanguis detrahendus eſt. Fieri enim poteſt, vt crudus ſit collectus in corpore ſuccus. In quo aduertendum accuratè eſt, quàm ſit virtus robuſta, & quatenus humor ipſe ſit copioſus. Nã exoluta ab id genus affectibus virtus, adhibita ſanguinis miſſione, in extremum malum decidere ſolet, vt nequaquam poſtea reſtitui poſſit. Quod ſi acciderit, periculum non leue ſequitur: potiſſimũ ſi febris accedat ſtatu æſtiuo, ſtomachóq; malè habente: aut toto corpore & natura molli, & temperie humido. Tales enim homines per latentes meatuum perſpiratus digeruntur, animóq; citiſſimè deficiunt, etiam ſi febris haud magna inuadat. Si verò horum nihil fuerit, ſed hyems fuerit, aut regio frigida, natura homins frigidior, ij per ſanguinis miſſionem, toto corpore impenſe refrigerantur, & nonnulla quæ ad validam ſequũtur perfrictionem ſymptomata experiuntur. Quocirca ſic affectos ſanguinis miſſione vacuare non conuenit: ſed frictionibus, mediocriterq; excalfacientibus vnctionibus, tum potionibus humorũ craſſitiem incidentibus, ac modicè calfacientibus. Nam quæ valenter calefaciunt, vniuerſas protinus vires diſſoluunt, vt in reliquam curationem non ſufficiãt. Subinde verò etiam febrẽ augent, vt & in viribus noxa obuenerit. Quapropter humorum incidentes craſſitiem, tum cibi, tum potus, mediocris ſunto in calfaciendo facultatis. Porrò qui ſanguinẽ expuentes, in præſens quidem curati, cæterũ eam ſortiti ſunt corporis cõſtitutionẽ in thoracis pulmoníſq; partibus, vt ſi paulò copioſior collectus ſit ſanguis, rurſus aut vaſis alicuius os pateſiat, aut rumpatur: ijs etiam ſi nullum adhuc in corpore ſymptoma extiterit, ineunte vere ſanguinem dimittere oportet. ſimiliter qui ex facili in morbum comitialem, aut apoplexiam incidunt. Ita ſi aliorũ morborũ aliquibus corripi facilè hominẽ nouerimus, nempe peripneumoniæ, pleu-

Quando ſanguis in plenitudine mittẽdus.

Qui nõ ferãt ſanguinis miſſionem.

Sanguinẽ reijcientibus ſanguis quotannis mittẽdus.

ritidi, anginę, ſatius eſt ſanguinis miſſionẽ mittere quàm expectare dum aliquod euidens plenitudinis ſymptoma appareat.

Hæmorrhoidibus retẽtis.

Pari modo quibus hæmorrhoides retentæ ſunt: præſertim ſi natura ſint melancholici, quiq; quotannis æſtate plethoricis morbis laborare ſolent, & hos quoq; veris initio vacuare expedit.

Oculis imbecillioribus, aut vertiginoſis.

Simili ratione & qui in ipſo quoq; vere huiuſmodi vitijs infeſtantur. Sunt autem quidam oculis imbecillioribus, aut vertiginoſis obnoxij affectibus: qui & ipſi per initia veris euacuari deſiderant, quando hoc prius nobis diſpiciendum eſt, quale nam ſit quod in ipſis colligitur. Siquidem nõnulli amaræ bilis ſuccum cæteris copioſiorem congregãt, nonnulli bilis atræ, aut pituitæ, alij ex æquo omnes, in quibus ſanguis abundare dicitur. Hos ergo vniuerſos vacuabis, quẽadmodũ & podagricos, & arthreticos, veris principio aut medicamento purgante, aut ſanguinis diſmiſſione. Complures enim ipſe ſanaui, qui tribus, quatuórve annis per interualla pedum laboraſſent doloribus, aut humorem redundantẽ veris initio expurgãs, aut ſanguinẽ detrahens.

Intemperantes vix curari poſſunt.

Conſtat autẽ omnibus, quòd tales in omni deinceps victus ratione temperantes ac moderati exiſtant. Nam intemperantes, vinoſos, & ventri deditos, neq; purgatione, neque ſanguinis miſſione magnopere adeò iuueris. Nam victus intemperãtia, crudorum humorum copiam ſubito cõgregãt: quorum ſanè curatio, ne tẽtanda quidem eſt:

Euacuatio, exercitia, victus ratio ſalubris.

vbi verò obtẽperantes fuerint, plurimùm eos iuuabis, ſi principio veris primùm quidem euacuaris: deinde autẽ ad exercitia, victúſq; rationem ſalubrem perduxeris. Quæ de iſtis dixi, hæc tibi dicta putato etiam de omnibus, qui affectibus ſupradictis ſunt opportuni: nempe aut comitiali, aut apoplexiæ, aut vertigini, aut ſanguinis reiectioni, aut melãcholicis. At verò nõ ſolùm vbi adeſt plenitudo, ſiue ea ad vires referatur, ſiue ad humorũ infuſionem, κατὰ τὸ ἔγχυμα dicitur, mirificè prodeſt venæ ſectio:

Sãguinis miſſio etiam ſine plenitudine.

verùm etiã citra plenitudinem inflammationi incipienti aut ex ictu, aut dolore, aut partium debilitate: dolor enim ſanguinẽ ad ſe trahit, & partiũ debilitas inflãmationẽ, etiã ſi nõ in corpore plenitudo ſit, procreat. Oſtenſum enim eſt in virtutum naturalium commentarijs, imbecillem natura partem promptè grauari, ſi vel paulo copioſius aceruetur in ea excrementũ. Quinetiam ꝙ pars quælibet vim poſſideat ſicut familiarium attractricem, ita quoq; alienorum expultricem: item quòd duplex ſit alienum, alterum quantitate, alterũ qualitate. ideo etſi pars quædam ab humoribus in ſe contentis non grauetur, excremẽta autem quædam, qualitate à naturali modo aliena ſint: ad eorum expulſionem per venas inibi ſitas tanquam per canales incumbere. Porrò ſi quod propellitur, prauus ſit ſanguis, ſiue alius quiuis ſuccus, ad propinquam aliquam partem veniat neceſſe eſt.

Vide librũ de febribus ſecũdum.

In qua rurſum duorum alterum eueniet. nempe vt aut concoctus, corruptúſve in aliam tertiam haud transfluat: aut ſi neutrũ aſſequatur, rurſus ex parte ſecunda in aliam transfluat: atq; iterum ex illa in aliam: neq; ceſſabit, quoad in talem quampiã decumbat, quæ amplius ex ſe propellere quod in ipſa redundat, nequeat. Accidit autẽ id illis partibus, quæ vim excretricẽ vicinis omnibus imbecilliorẽ obtinent. non enim adhuc quod moleſtũ eſt repellere poſſunt in illas quæ præ viriũ robore nõ admittant. Nam & hoc quoq; à nobis in illis cõmentarijs oſtenſum eſt, quòd nõ ſolùm pars quælibet recrementum in vicinam protrudat: verùm quòd & recipiat quidem, ſed contra ſæpe remittat, contráq; repellat, in ſeſe haud admittens. Atq; in hoc certamine vincit validior. Quapropter partes omniũ imbecillimæ

primæ excrementitijs morbis corripiũtur. Ex huiusmodi quodam modo rheumaticos affectus prouenire scito, toto videlicet corpore imbecillo: quæ vna est mali habitus species, quum principales illius particulæ, quanuis paucus eis insit sanguis, grauari soleát, eúmq; ad carnosas cutis partes protrudant, & potissimũ glandulas excipiendis recrementis idoneas, tum ob substantię laxitaté, tum quia omnium partiũ minimè robustas habeant naturales facultates, sicut & pinguedo. Nam quum quatuor eæ sint, vt ostensum est, prima sanè attractrix, secunda retentrix, tertia excretrix, & quarta alteratrix: alias quidẽ tres imbecillimas glãdulæ carnésq; obtinent, alteratricem verò solam haud ita multo q̃ cæteræ particulæ minorem. Post glandulas sequitur pulmo, ad fluxionẽ recipiendam promptissimus. etenim & hic tres facultates infirmas, & corpus laxum obtinet. deinde est lien. Cerebrũ verò aut perinde quidem vt illæ, aut etiã magis recipiendę fluxioni est accommodum. Cæterùm hoc illis præcellit, quòd structurã habeat excernendis ijs quæ accepit, accommodatam. habet enim amplos sinus, qui per meatus decliues euacuantur. Quibus igitur pulmo, lien, ac cerebrũ carnoso genere natura robustiora sunt, in ijs fluxiones ad glandulas, & carnes proueniunt, vbi totus nimirum corporis habitus infirmus fuerit, velut in rheumaticis affectibus existit. Merito igitur in harũ curatione non eò consilium dirigimus, vt euacuemus, sed vt totum corpus roboremus, etsi curationis initium à missione sanguinis procedat: si verò excrementa qualitate praua fuerint, purgationem adhibentes, in quibus maximè corporibus neutrius plenitudinis propriũ symptoma est expectandum: grauitas quidem eius, quæ ad vires refertur: tensio verò illius, quæ ad humorũ infusionẽ. Eadem ratione in quibus pars quædam grauiter icta est, aut quomodocunq; aliter incipienté habet inflammationẽ, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab euacuatione auspicabimur, aut purgantes, aut sanguinem emittentes, vtrã videlicet magis profuturã euacuationem iudicauerimus. Rectè ergo hîc nos admonent, ea quæ in libro de ratione victus in morbis acutis scripta sunt, vt sanguinẽ mittamus, si magnus sit morbus, & ęger florida sit ætate, robúrq; adsit. Perperam autẽ Menodotus in sola syndrome plethorica obseruari venæ sectionẽ tradit. E contrario enim sanguinẽ mittendi scopi, primùm non omnẽ in se plenitudinem comprehendunt, sed facti affectus suspicionẽ. Si enim magnus futurus videatur, sanguinẽ omnino mittemus, etiam si nulla existat plenitudinis nota, inspicientes ætatem, vires, & regionem, quæ sola etiam in propositis de ratione victus dicta apparent. Floridã enim propter pueros & senes in distinctionẽ adsumpsit. Primi autẽ & principalissimi mittendi sanguinis scopi sunt, morbi magnitudo, & laborantis robur: atque hanc primam dicendum syndromen, non plethoricam in qua seruata sit sanguinis missio: in illa enim & hæc comprehenditur, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat. Non solùm enim, vbi iam morbus magnus adsit, sanguinis detrahendi tempus est: sed etiam vbi futurum suspicamur. Est enim Hippocratis doctrina, quæ nos docet quæcunq; morbis iam præsentibus rectè fecerimus, satius est hæc per initia ipsorum aut dum futuri sunt moliri. Quare & propositos scopos ad sanos trãsferre licet. Siquidem & his sanguinẽ detrahes, vbi eos magno morbo cõflictaturos putaueris, ratione & ætatis & vitium habita. Nam si quis vt magnũ incurrat morbũ sit idoneus, etsi nullum adhuc in corpore symptoma adfuerit, venam secãdam

Rheumatici affectus.

Quatuor facultates. Caro & glandulæ quas facultates habeãt imbecilliores. Pulmo fluxioni obnoxius. Lien. Cerebrum.

Quid obseruemus ĩ rheumaticis affectibus.

Magnitudo morbi sanguinem emittit.

Scopi tres mittẽdi sãguinis.

Quãdo sanis detrahendus sit sanguis.

censemus. satis enim est ætatem & vires inspexisse. Quippe tria sunt, quę dignotionem continent: morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas florens, & virium robur. Forsan autē neglig~etius de viribus ætatis vocabulum interpretari videtur in ijs quæ proposita sunt in libris de victus ratione in morbis acutis. Nō enim florentem duntaxat dictum esse, rectè habet: sed addenda est, & quæ illam præcedit, & quæ sequitur. duæ solæ à distinctione eximantur, nempe puerorū, & senum ætas. Verùm senum ætas in virium vocabulo comprehendi potest. nulli enim qui ea ætate est, robur inest. Quibusdā verò medicis, ne pueris quidem robur inesse visum est, perperam rem intelligentibus, vt alibi à nobis ostensum est. Itaq; si magnū fore morbū expectamus, aut iam præsens est, aut incipit, sanguinē detrahemus, viriū habita ratione, solos pueros ab oratione eximētes: dicemúsq; dignotionē ab ætate sumptam minus perfectè dictam esse ab eo qui iam comprehensa scripsit in libro de victus ratione in morbis acutis. Abundè enim sunt ad venæ sectionem soli scopi. Neq; enim vbi tanta crudorum humorū copia collecta est, vt sanguinem mittere præcipiat, oratio redarguitur. Nam istis virium robur non adest, atq; hæc ipsa nota est eius quòd non possunt sanguinis missionem ferre, quādo vnà cum colore corporis totius qui comitatur sanguinē abundantem indicante, pulsus fuerit inæqualis: vt in vehemētia & magnitudine præpolleant, per inæqualitatem eius languidus, ac paruus. Definitis itaq; tribus mittēdi sanguinis scopis, nempe morbi magnitudine aut præsente, ac imminēte, aut incipiente, ætate florente, virium robore, extra puerorum ætatem, ad alia superius comprehensa mittendi sanguinis indicia, quæ non pauci medici adijciendą censuerūt, nunc accedamus, indicantes simul detractionis mensurā, non ipsam sanguinis detractionem. Itaq; ex morbo, ætate & viribus, detrahendus esse sanguis cognoscitur. At vacuationis mensura, non ex istis modò, sed & alijs sumitur. Ea sunt plethorica vocata syndrome, aëris nos ambientis temperies, in anni tēpus, & locum diuisa: quæq; in præcedente vita acciderunt, circa ciborū tum quantitatem, tum qualitatem, excretionésq;, ac motiones aut factas, aut non factas. At horum itaq; differentiā paulopost considerabimus. In præsentia autē de vtriusq; plenitudinis notis contemplabimur, vtrum ad sanguinis missionem omnino descendemus, vbi hæc in aliquo cōsueta adhuc obeunte munia appareat, an id necessarium non sit, quando nulla de magno morbo fuerit expectatio. Porrò quid hac de re sentiam etiam vos nouistis: vt qui sæpe adfueritis sanguinis missionem præscribenti, vel podagricis, vel arthreticis, vel morbo comitiali obnoxijs, vel melancholicis, vel ijs qui sanguinem antea expuissent, aut in thorace cōstitutionem sortiti essent huic malo opportunam, vel vertiginosis, vel cōrinuò correptis angina, peripneumonia, pleuriridibus, iecorarijs vitijs, lippitudinibus vehemētibus, aut vt summatim dicā, magno quopiā morbo conflictantibus. Nam in eiusmodi omnibus necessarium esse remedium, sanguinis dimissionem arbitror confestim adhibitam, habita simul virium atque ætatis ratione. Hæc si fortè aliquādo non dicātur, subaudire tamen oportet. At ijs qui nihil eiusmodi vnquā antea perpessi fuerint, omniúmq; corporis partium inculpatam sortiti constructionē, geminam me vacuationis viam proponere nostis per sanguinis quidem detractionem, si in victu sint intemperantes: citra hanc, si temperātes. Licet enim frictionibus multis, balneisq;, & ambulationibus, alijsq; motubus, item vnctionibus

Hippocratē corrigit.

Pueris robur inest.

Vacuationis mensura vnde petatur.

digerentibus celeriter plenitudinem inanire, nisi quandoq; crassi sanguinis abūdans esse tibi videatur, talis est magna ex parte melancholicus: raro vero etiam crudorum quos vocant humorum copia. Cæterùm in humoris melancholici superfluitate sanguinem mittere præstat, aut certè omnino medicamēto vti atram bilem expurgante. At vbi crudi succi exuperant, antequam morbus inuaserit, cautè vacuabis: sed vbi iam febris adest, vt antè monui, nequaquam. Habebis verò eorum notam, tum colorem plumbeum, aut ex pallido album, omniáque potius quàm rubrum: tum pulsuum inæqualitatem. Si verò ad modum aucta fuerit talis plenitudo, tunc corporis illis grauitas inest, atq; ad motus pigritia, tum mentis torpor, & sensuum hebetudo: cōtrà verò quibus ex compressis hæmorrhoidibus cumulatus in corpore sanguis fuerit, audacter venam incides, etiā si antea grauem experti morbum non fuerint. Fieri enim potest vt apti quidem ad eiusmodi aliquē fuerint, nondum verò ob hæmorrhoidum inanitionē sentiant. Porrò si quæ illis partes grauē fortitæ cōstitutionem appareant, ac potissimùm in thorace, omnino eis ocyssimè sanguinē detrahes. Idem me sentire nouistis, & de mulieribus quibus mēstrua substitit purgatio. Neq; enim differenda in his euacuatio est, non tamen necesse est illis venā tundere. quippe cum talorum scarificatus superfluitati quandoque euacuandæ sufficiunt, alium etiam quendam menses mouendi modum habentes, sicut in talis ac poplitibus incisæ venæ. Nam superfluitates à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis, siue venam incidere, siue oporteat scarificare. siquidem ex cubito sanguinis detractio, mulierū reuellere purgationes solet. At quæ ex mulieribus albiores sunt sanguinem colligere tenuem solent, eóque tales scarificatu maximè iuuantur. At nigriores, secta vena curato. crassiorem enim sanguinem, ac magis melancholicum colligūt, ídque magis si magnas habere venas appareant: quod illis accidit quæ graciliores sunt, ac nigriores. Carnosis verò & candidis paruæ insunt venæ: quibus talos scarificare, quàm venā secare satius est: vt quæ paruas in cruribus venas habeant. quare ne modicus quidem profluit etiam si probè incidantur. At non contēnenda venæ sectio est, tanquā non sit auxilium reuulsoriū, quum me frequenter conspexeritis in valido sanguinis ex naribus profluuio, eo vsum protinus fluxionem sedasse. Conuenit autem vti vidistis, non expectare in missione sanguinis, dum extremè vires collabantur: sed vbi quod moderatum est, euacuatum videris, prorumpentísq; sanguinis impetus validus perseueret. Porrò secare in cubito venam, si ex dextra nare prorumpat sanguis, in brachio dextro: sin ex altera, in sinistro. Simul autē cū hæc agis, artubus vincula inijcito, aut ex lana, aut ex canabe: item præcordijs directè cucurbitam defigito. Hæc etenim nos faciētes, vt scitis, perpetuè erumpentem ex naribus sanguinem compescuimus: experti antea quæ scribunt in nares inferenda medicamenta, atque in frontem illinenda infirma omnia. Quapropter ad ea quæ suprà de sanguinis missione cōprehensa sunt, & hocquoque Menodoti rationem subuertit, qui putarit plethoricam vocatam syndromen, remedij nos admonere. Nam quę modò dicta est dispositio, plethoricæ planè cōtraria est. Adhibemus autem in ea sanguinis missionem, non vt euacuatorium, sed reuulsoriū præsidium. Nihil adeò artem medicam in actu reddit coniecturalem, vt cuiusq; remedij quantitas. Quum enim sæpe exactè sciamus tempus exhibendi cibi aut potus, eiúsq; aut calidi aut frigidi instare: quantū dan-

Vbi non magna copia est.

Notæ.

Hemorrhoidibus suppressis sanguis dimittendus.

In thorace affectus.

Mensibus suppressis sanguis mittendus.

Mulieres albæ, & nigræ.

Reuulsio.

Remedij quantitas quid præstet.

dum sit,certo haud nouimus. Pari modo in purgantibus medicinis,quòd laboranti præbendũ sit medicamen,aut bilem tum flauã,tum atram,aut pituitã,aut seorsum excrementũ euacuãs,exactè nouimus interdum: q̃tũ autẽ præberi cõueniat, nescimus. Atqui talis exhibitio corrigi postea nequit. Nam quod semel in ventrẽ deuoratũ est medicamentũ,non potest nõ omnino deuoratũ esse: neq; fieri potest, vt quũ homo largius purgatur,pars assumpti auferatur.

Collatio sanguinis missionis cum purgatione.

At in sanguinis missione summũ id bonum est,euacuationẽ dum voles posse sistere,ac rursus quocunq; libebit tempore,fluere sinere,quousq; rectè habere appareat. Quare præstat nisi quid vrgeat, priori missione minus detrahere,iterũmq; eã repetere: imò si libet, & tertio.

Iteratam missio quando adhibetur.

In quibus igitur multa euacuatione est opus,verũ vires sunt imbecillæ, in his euacuationẽ partiri expedit: sicut nimirũ & me fecisse vidistis in ijs quibus crudorũ inerat humorũ copia. Nam modico sanguine emisso, protinus mulsam exhibeo probè coctam,cum incidentiũ medicaminum aliquo vt hyssopo,origano,& interim nepita,aut pulegio: aut etiã cum mulsa oxymel,aut oxyglycy: ac sic rursum sanguinẽ detraho,vel eodem nonnunq̃ die: interdum postero,in quo rursum exhibito propositorũ medicamẽtorum aliquo,iterum sanguinẽ aufero: ac rursum tertio die similiter bis. Verũ cũ feruentis inest sanguinis copia,acutissimã accendẽs febrẽ,vna vice ac vniuersim euacuare expedit,eámq; inanire tẽtandũ,vsq; ad animi defectionẽ,cõsiderato viriũ robore. Itaq; memini quibusdã sex detractas heminas protinus aut postridie,aut tertio quartóve: quibusdã primo etiã die,quum febris principio noctis cœpisset,aut medio,ac quæ pridie comederant,probè fuissent cõcocta. Nonnullis autẽ in pridiana inæqualitate,aut sudorẽ, aut capitis,alteriúsve cuiusdam partis dolorẽ causantibus,ac proinde parco vsis cibo febricitare,aut pręcedẽte nocte incipiẽtibus,primo etiã die me sanguinẽ detraxisse memini.

Vbi feruidus est sanguis.

In quibus autẽ tibi sanguinis feruidi copia apparet,q̃ celerrimè eos vacuare tentato,prius q̃ in principem aliquã partẽ decumbat. eóq; nec per noctem sanguinẽ aliquando mittere dubites.

Cõtra vulgares medicos.

Siquidẽ ridiculũ est, quod vulgares isti factitant,secunda diei hora ad quintã aut sextã duntaxat sanguinẽ mittẽtes, in alio tẽpore nullo: quos si nõ clysteres,cibũ, aliáq; exhibere remedia quocunq; tẽpore noctis vidissem,difficilis mihi esset contra ipsos disputatio. Quoniã verò omnia faciũt non stato vno horarũ numero omnibus morbis cõmuni,sed vtcũq; affectus monẽt: in sola autẽ missione sanguinis dictũ modò tẽpus semper obseruant,facillimè error ipsorũ deprehendi potest. Sic itaq; affectis ægrotis,vt diximus,expedit adusq; animi defectionẽ sanguinẽ emittere. Nonnullos enim ex ijs necessariò ob animi defectionẽ refrigeratos noui,obortis autẽ toto corpore madoribus,& aluo soluta,celerrimè morbo liberatos. Vincit autẽ pulsuũ diminutionibus animũ aduertere,tãgẽdo eos sanguine adhuc fluẽte: sicut in alijs omnibus, quibus sanguis mittitur,facere consueui,ne quandoq; inscius, ac imprudens per animi defectionẽ mortẽ adferas: quod sanè tribus euenisse medicis noui. Venam secabat eorũ vnus mulieri febricitãti, alij duo, viro: sed ad tantã animi defectionẽ,vt nõ amplius posset se recolligere. Quapropter satius est largas ac subitas vacuationes cauere,nisi magna quædam incũbat necessitas. Quin & reuulsio,nõ leue & ipsa auxiliũ per venæ sectionẽ adhibita fert: q̃to maiore numero particulares detractiones auxeris,tanto efficacior redditur. Hæc ita prænouisse præstabat. Rursum autẽ ab initio ad propositã reuersi cõsiderationẽ,persequamur quę pute-

mus maximè neceſſaria eſſe ijs qui citra noxã venę ſectiones moliri ſemper volẽt. Primũ ſanè ſcire cõuenit, dum propoſiti ſcopi huius præſidij augẽtur, maiorẽ indicare euacuationem: dum verò remittuntur, tãtum detrahere euacuationis quantitati oportet, quanto illi minores euaſerint. Morbi itaq; magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi ſanguinis ſcopi: ille quidẽ quę facienda ſunt indicans, hic tanquã illud haud prohibens: id quod contrà indicare iuniorũ medicorũ quidã appellant. Nonnunq̃ enim affectus ſanguinis detractionẽ ſuadet, imbecillitas autẽ virium prohibet. Qui duo ſcopi cum adſunt, cõſtat vt antea dixi, neq; plenitudinem crudorum humorũ, tantam, talémq; eſſe. Deinde autẽ conſiderandũ, quæ ſit naturalis hominis temperatura: nam quibus amplæ ſunt venæ, quíq; modicè graciles ſunt, nec candidi, neq; tenera carne præditi, liberalius euacuabis: cõtrario autẽ modo habẽtes, parcius, quippe qui paucũ habeant ſanguinis, carnémq; facilè tranſpirabilẽ. Hac igitur ratione nec pueris venã incides, vſq; ad quattuordecimũ ętatis annũ: poſt quẽ ſi permultus quãdoq; cõgeſtus ſanguis videatur, tempúſq; anni vernũ fuerit, regióq; tẽperata, & pueri natura bene ſanguinea ſanguinẽ auferes, multóq; magis, ſi aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti vehemẽtíſq; morbi periculum incũbat. Detrahes autẽ primùm, vt plurimũ ad heminã vſq;. Quòd ſi poſtea perpendenti vires permanere validæ videãtur, dimidium eius adijcies, reiterata miſſione.

Virtus valida quãdo cognoſcitur.

Didiciſti autẽ virtutẽ validam, vehemẽti pulſui cũ æquabilitate, tanq̃ minimè fallaci virium robuſtarũ ſigno, fidem habere: prętereà verò & magno. Itaq; & ſeptuagenarijs, modò dicti adſint pulſus, quum affectus iubet, venã ſecabis.

Septuagenarijs aliquando ſanguis mittitur.

Sunt enim quidã & in hac ætate multi ſanguinis cõpotes, viréſq; habent robuſtas: ſicut alij ſicci, & pauci ſanguinis, & facilè nigreſcentes quauis parte percuſſi. Itaq; nõ numero tantũ animum aduertes, quod quidam faciũt, ſed & corporis habitui. Nam ſunt, qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionẽ non ferãt, ſeptuagenarij autem pati poſſint. Verũ minus his vtiq; detrahes, etiam ſi eundem habere affectũ quem florẽs corpus appareat. Optimùm autem fuerit, priuſquam ſecetur vena, hæc omnia conſiderare, & maximè in hęmorrhoidibus ſuppreſſis, aut muliebri purgatione. Vbi enim vena ſecta ſanguis fluxerit, mutationi eius, & pręſertim quum adeſt iam inflãmatio, & fluxionis tenori labaſcenti, potiſſimùm autẽ pulſuum mutationi, tanq̃ iudicio nõ mendaci animus attendendus eſt, & cõtinuo deſiſtendũ, quum pulſus immutatur aut in magnitudine, aut in quauis inæquabilitate. Nam de mutatione in obſcuritatẽ quid attinet etiam dicere? didiciſti enim in hac qualitate, firmam fieri diſcretionem validarũ imbecilliúmq; virium.

Quãdo coloris mutatio expectanda.

In quibus autẽ iuxta diuiſam venam, magna quædam eſt inflãmatio, optimũ eſt ſanguinis & in colore, & in conſiſtentia mutationem expectare: ſicut etiam indicauit Hippocrates in libro de victus ratione in morbis acutis, quando de pleuritide verba facit. Diuerſus enim eſt in inflãmatione ſanguis, à naturali, vtpote largius incaleſcẽs. ſi quidem prius erat crudior, rubicũdior magíſq; flauus euadit: ſi autẽ talis prius extiterit, in nigrum aduſtus mutatur. Proinde Hippocrates de pleuriticis hũc in modum ſcripſit: » Secanda verò in cubito vena interior, nec dubites multum detrahere, donec » rubrior flauiórq; multo fluat, aut pro puro, & rubro liuidus, vtrunq; enim ac» cidit. Siquidẽ ſignũ ponit, quod indicat aliquid ex inflãmatione in venã ſectam eſſe tranſlatum, eo q́ mutatio in eo appareat. Non tamen ex toto hæc expectã-

da est: verùm aliquando prius etiam quàm contigerit, cessare conuenit duplicem ob causam, aut viribus imbecillis, aut maligna inflammatione. Interdum enim nihil remittit, sed inibi vehemẽter constricta est. Sin autem vires exolui euacuatione non videantur (id quod pulsum tangens deprehendes) & cum is cui sanguis mittitur ætate sit florẽti, expectanda est mutatio: magis si ambiens sit temperatus. Duo enim hæc sunt, ob quæ potissimũm coniecturalis efficitur euacuationis in hoc auxilio quantitas, & laborantis natura qualis sit, quã vtique exacta dignoscere non licet: & ambientis temperies, qualis post sanguinis missionem sit futura. Nam cum febtilis calor multum sanguinis digerit, parcè autem laborans victitat, necessariò breui illum nutrimentum ex sanguine destituit, atq; dum hoc fit, vires dissoluuntur. Ab sumitur autem ob laborantis temperiem calidam & humidam, cuiusmodi est puerorum, & ambientem aërem in regione calida & tempore æstiuo: proinde minus detrahimus q̃ plenitudo commonet. A etatũ ratione in pueris: corporis habitus, in candidis: & quibus mollis teneráq; est caro, quales Galli sunt: temporis anni respectu, sub Cane, similiter etiã in regionibus, & dierum statibus. Alia verò ratione, vt & antè propositum est, in conttarijs, hoc est in frigidis tum temporibus, tum locis longam euacuationẽ vitamus, propter insequentem nimirum refrigerationem. Non igitur licet scripto in vnoquoq; dictorum vacuationis mensuram diffinire: sciui enim quibusdam ad plenum sex libras sanguinis me detraxisse, ita vt febris protinus extingueretur, nec vlla sequeretur virium offensio: quibusdam verò sesquilibram, haud citra leuem saltem virium noxam. quibus si quis duas vacuasset, extremè læsisset. Quapropter memini & vnam quoq; libram vtiliter detraxisse aliquãdo, interim & hac minus: ídq; ex vena cubiti, poplitis, tali. Nam ex venis quæ ad magnos oculorum angulos existunt, aut sub lingua, ne fluere quidem solet, quod mentione dignum sit, sicut nec si quis summa in manu aut pede venam secet: quemadmodum putant qui lienem curari aiunt vena quæ ad secundum paruum digitum habetur secta: de qua fusius deinceps differetur. Quæcunque igitur de hac contemplatione à Medicis dicta sunt, ea si scribere aggrediar, opus erit libro magno qui per se illa complectitur. Quemadmodum autem in alijs, quæ definita à me sunt, sententiam nieam vobis aperiam, qui eam à rebus ipsis probari vidistis: ita & facturus sum, sumpto initio ab ijs quæ quotidie in laborantibus conspiciuntur, quæ quidem Hippocrates diligenter obsetuata literis mandauit. Est verò ex ipsis vnum
» primariúmque caput, nempe: Quæ partes κατ' ἴξιν, hoc est è directo sanguinem
» fundunt, summum cõmodum laborantibus præstare. Dicit autem κατ' ἴξιν quod in rectũ, omnibus confessum est, quum clarissimè sæpenumero hac voce κατ' ἴξιν in hoc vtatur significato. Quibus verò contrà sanguis exttahitur, nihil adeò iuuat, vt etiam interdum noceat: quòd vires scilicet citra morbi leuationẽ deijciat, atq; dissoluat. Non enim in liene admodum tumido ex dextra nare erumpens sanguis, nec in iecore ex sinistra vllam fert vtilitatem: sed reuulsio quibus directè adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit: quibus contrà, haud item. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextram præcordiorum regionem fixa cucurbitula, manifestò ac statim sistitur: sicut ad sinistram, ex sinistra erumpens. Iam si reuulsionis causa venam feces, è directo quidem sanguine profluente, claram ptotinus senties vtilitatem: si contrà facias, nihil profuerit. Sic

Larga euacuatio quibus conuenit.

κατ' ἴξιν.

Affecto liene quæ vena secanda.

igitur & affecto liene vena circa annularem digitũ ſiniſtræ manus inciſa prodeſt, vt ſi etiam infernam cubiti ſecueris. Multum enim iuuat malè habentem lienem ſanguinis ex ſiniſtro brachio detractio. Præſtat autem non ſemel quantum conueniat euacuare, ſed in duos dies id partiri. Haud tamen noui, quamobrem Medici lienoſis ſanguinẽ detrahere neglexerint. Siquidem ego ſemper magnã vtilitatem prouenire cõſpexi, ſi vel libra duntaxat detracta foret. Verùm euacuationis mẽſura ex dictis ſcopis cõſideranda eſt. Quin & pleuriticis ſanguinis miſſio è directo laborantis lateris facta, euidentiſſimam ſæpe vtilitatem attulerit: ex brachio autem oppoſito adhibita, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Iam oculorũ dolores grauiſſimos è directo venæ humerariæ ſectio ſubinde intra horã vnam ſedauit. Porrò tentandum eſt in omnibus affectibus, poſt modicã ſanguinis miſſionem, iterato mittere: interim eodem die, ſi ita facere licebit: interim poſtridie, niſi ſi quando, vt antè dictum eſt, ad animi defectionem euacuationẽ ducere conamur. Itaq; dolentibus oculis humeralis vena, quæq; ex ea propagata eſt, in cubito inciſæ, manifeſtũ ſtatim auxilium adferũt. In latere autem affecto, vel pulmone, vel ſepto tranſuerſo, vel liene, vel iecore, vel ventriculo, ea quæ per alas ad cubiti articulamentum pertingit. Secare verò hanc præſertim interiorem ipſam oportet, ſin minus ea quæ ab ipſa in articuli flexuram propagatur. Nouiſtis ſanè paulo antè ab humerali vena prædictã variari ipſi contiguam. Nam hi tres ſunt loci mittendi ex cubito ſanguinis, interior, exterior, medius. Interior vtilis eſt in iis, quibus inferiores colli partes afficiuntur. Exterior, quibus ſuperiores, vt facies, aut caput. Medius locus interdum vtraſque habet diductas venas in vlteriorem manus partem excurrentes, ac deinde hîc commiſſas: interim verò celeriter in vnũ mutuo coeuntes, in ipſo nempe iuncturæ flexu: ac nunc manifeſtam earum alteram, nunc obſcuram alteram. Itaq; vbi vena, quæ parti affectæ propria eſt, minus conſpectui ſe offert, ad mediorũ aliquam accedens conare, quæ à propria diducitur, potius incidito. Nonnunquam inferioris articuli flexura, nempe quæ in cubito ipſo exiſtunt, ſecare nihil prohibet, vbi nimirum quæ in ipſius flexura ſunt, non apparẽt: atque ex his ipſis illas quæ è directo locum affectũ reſpiciunt. Porrò adeò euidens ſæpe celereq; remedium venæ quæ è directo affectis partibus ſecantur, afferunt: vt & afflicti, & familiares ipſorum ſæpenumero obſtupeſcãt. Itaq; ego olim vocatus ſum à diuite quodam, in ſuburbiis Romanæ vrbis, vt quẽdam rerũ ipſius diſpenſatorem inuiſerem, qui ne cæcus fieret periclitabatur: nam ita ille dicebat, magno certè dolore, idq; diebus iam viginti. Erat autem diuitis illius familiæ præfectus Medicus ſectæ Eraſiſtratiæ, ſtudio ſemper venę ſectionẽ refugiens. Cũ igitur ego inſpexiſſem ægrotũ iuuenẽ, multi ſanguinis compotem, oculos quidem nõdum vlceratos habere, ſed inflammationẽ, & fluxionẽ, tum in ambabus palpebris denſitatẽ, atq; in altera quaſdam iam aſperitates, à quibus caliginem contrahẽs magis magiſq; dolebat, ac inflammatio fluxióque intendebantur: hæc ego intuitus, cognitáq; tota ratione curationis, quã medicus ille vſus fuerat, me quidẽ aſſiduè in ſuburbiũ venire poſſe negabam, cæterùm ex vſu eſſe, vt triduum, minimum, hominẽ paruis temporũ interuallis inſpicerem. Permitte illum igitur, inquã, mihi, ſi videtur, tres hoſce dies. Imò verò, inquit, vt facias obſecro, gratiámq; habebo, & iam hominẽ tecum ad ædes tuas adducito. Venit autem circiter horam

Pleuriticis è directo ſanguis mittẽdus.

Dolẽtib⁹ oculis quæ vena ſecanda.

Loci ĩ cubito mittendi ſanguinis.

Quę venæ ſecandę, ſi propriæ non appareant.

Historia.

quintã, ac prima protinus detractione, tres sanguinis libras detraxi: deinde hora nona aliã. A quibus admodũ refectus, inunctus est postero die tenerotũ collytiorũ aliquo, cui mixtũ erat quod ex vino præparatur, sicuti in eiusmodi facere cõsueuimus, illitu sub palpebris facto, per cuspidẽ specilli adactum: id autẽ manè faciebã, deinde hora quarta, postea nona. A quibus inunctionibus sub occasum solis in balneũ ductus est: postero deinde die palpebris inuersis bis inunctus est tenero collyrio, cui maior copia illius quod vino cõstat admixta erat. dein ad vesperã lauit. Sequẽti die verò manè obuiã diuiti illi factus, eo loci vbi ex vehiculis descendere solẽt, salutauit illũ oculis apertis, inflãmatione ac fluxione planè liberis, qui ante biduũ illos ne aperire quidẽ præ fluxione atq; dolore potuerat. Itaq; tes incantationi similis visa est, adeò vt & ipse ille curationis celeritatẽ admiratus exclamaret, vnáq; qui cũ eo erãt omnes vociferarẽt: cũ nos interim haud magnũ quippiã fecissemus, nisi tantũ ex medici illius domestici cõparatione, qui plurima mala attulerat, venæ sectionis metu. Porrò ex palpebris restabãt extergẽdæ laboranti tum dẽsitates illæ, tũ asperitates, verũ id fieri nõ poterat citra medicamentũ mordax. atqui ferre neutiquã illud potuisset nisi prius expurgatus. Dictũ enim iã & demonstratũ à nobis subinde est, acria omnia medicamẽta parti cuiuis admota, nisi vacuũ corpus omne fuerit, atq; adamussim excremẽti expers, fluxionẽ attrahere, inflãmationẽq; efficere. Tũc itaq; diues ille percõtabatur, quænã ea curationis fuisset incãtatio, ac omnibus quæ gesta erãt auditis, Erasistratũ illum medicũ, ꝙ sanguinẽ mittere vereretur, αἱμοφόβον nominabat. Hæc itaq; narratio vtriusq; indicationẽ cõtinet, tum ꝙ in affectibus eiusmodi venã secare oporteat, quod in præsenti oratione propositũ nobis haud erat, tum ꝙ è directo laborantiũ partiũ sanguinem mittere, preterea ex venis humeralibus, vbi superiores pectoris partes laborant.

Corpora ipsa ra medicamẽtis non obliniẽnda.

Porrò quẽadmodũ prædictæ omnes partes, ex cubiti flexu sanguine misso iuuãtur, vti dictũ est: sic quæ his inferiores sunt, ex illis quæ per poplites & malleolos decurrunt. Sũt autẽ dictis inferiores coxendix, vterus, vesica. At renes cui parti adscribi debeãt, ambigunt. siquidẽ inferiores sunt ijs, quas prius recensuimus: superiores verò, ꝗ quæ secũdo loco dictę sunt. itaq; misso ex cubiti flexu sanguine interdũ obtẽperãt, vbi videlicet recẽs fuerit inflãmatio, & copia sanguinis adfuerit. Quibus verò affectus inest quẽ propriè nephritin vocant, eã quæ in poplite est, secare expedit, aut certè quæ in malleolis sunt.

Inferiores venæ quæ poplitem & oculũ excurrunt quando secãdæ.

Porrò vteri inflãmationes magis etiã ꝗ renũ à venis in crure sectis iuuantur. Nam quæ ex cubiti flexu fiunt euacuationes, aliud etiam habẽt adiũctum malum, nẽpe quòd purgationes mẽstruas supprimãt, sanguinémq; ad sublimiores corporis partes reuellãt. Quæ verò fiũt ex cruribus, tantũ absunt à rettahẽdo, vt etiã mẽses promoueãt: ac vbi id facere volueris, tẽpus consueti mulieri circuitus tribus quatuórve diebus anteuertas, aut vena incisa, aut scarificatis talis cruris vnius paululũ euacuato: deinde postero die similiter facito in crure altero, ita simul victus qui extenuet in ipsis diebus quibus vacuas, vel ante ipsos alijs iam quatuor aut quinq; rationẽ habens.

Vteri inflammatiões quas venas postulant.

Cõscriptus est autẽ à nobis seorsum liber de victu extenuãte. Sed mulieribus mẽses abundè prouocãt & nepita & pulegiũ. Exhibebis ea mulsa cocta & arida cõtusa, cribróq; subtili discreta, ac rursum trita vt. in pollinẽ redigantur, mulsæ inspergito. porrò cõuenientissimũ potui tẽpus est, à balneo inuolutis adhuc linteo, Atq; hęc quidẽ medicamẽta mitia sunt, valentiora sunt sauina & dictamũ, cęterũ

Liber de victu extenuãte in græco codice non est.

vsus antedictis similis. Datur autē & hoc tēpore medicamētū quod propriè amarū appellatur, centū habēs drachmas mixtis aliorū medicaminū cuiusq; sex. optimum est vbi cinnamomū acceperit. Sed hæc obiter sunt dicta, quanq̃ nō à proposito aliena: quādoquidē sanguinis ex vtero fluxui auxiliatur, cum euacuatione ex cruribus facta, aut malleolis scarificatis, aut incisa in talo, aut poplite vena. Memini me coxēdices vno die facta ex crure euacuatione curasse, quę nō ex frigore sed vasis quæ in coxa sunt repletis, ꝓuenissent. Quare secta in poplite vena cōmodior ita affectis est, q̃ in malleolo: scarificatio autē nihil manifestò cōfert. Vt autē summatim dicā, incipiētes inflāmatiōes reuulsorio modo euacuare oportet: quę verò inueteratæ iā sunt, ex ipsis si fieri potest, affectis partibus: q̃ si nequeat, saltē ex vicinis. Etenī in incipiētibus, auertere quod influit expedit: in inueteratis autē, ipsum tantū quod affectæ parti infixum est, euacuare. Euacuabitur porrò id optimè per venas regioni ipsarū cōtiguas. Huic rationi experientia quoq; cōsentit. Quocirca quæ in gutture & arteria aspera graue inflāmationē sentiūt, in principio quidē aperta in cubito vena, ꝓdest, post principiū autē, sub ipsa lingua impēse auxiliant duę in ipsa venæ dissectæ. Sic scirrhosæ inflāmationū in oculis reliquiæ, secta quæ ad magnū decurrit angulū, vena adiuuātur: sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifestè solet aperta in frōte vena: incipiētes autē, aut etiā vigētes, in occipitio facta reuulsio per cucurbitulā, interim quidē solā interim cū scarificatiōe defixā iuuat. Antea verò totū corpus euacuatū esse oportet. Eadē ratiōe incipiētibus in occipitio doloribus, aut etiā vigētibus incisa frōtis vena medicat. quippe reuulsiones cū euacuatione adhiberi magis debēt in fluxionibus incipiētibus. Quę verò fiūt ex ipsis partibus affectis, aut illis vicinis, in inflāmationibus quę in scirrhū indurueūt. In quibus verò corporibus nulla adhuc particula affecta est, euacuamus autē vere ineūte, in his (si quidem homo quotannis æstiuo tēpore febrilibus morbis obnoxius esse soleat) abundantiā euacuare studemus: & pars quęlibet ad sanguinis detractionē accōmoda est: sicut sanè etiā si articulari morbo cōflictetur, omnibus articulis laborans. Quibus autem eximia pars quædā, vbi prius euacuati nō fuerint, infestet, haud similiter licet ex quauis parte euacuationē moliri: verū sicut in ijs qui affici iā incipiūt. Quaobrē podagricos ex cubito, comitialibus verò morbis vertiginibusq; obnoxios potius ex cruribus euacuare oportet. Si autē ob hęmorrhoidis retētionē ad sanguinis missionē descēdas, si quidē cohibere eas volet, quę in brachio sūt: sin prouocare, quę in cruribus sunt, venas secare cōuenit. At in ijs quibus repressi sūt mēses, semper in cruribus. nō enī vt in hęmorrhoidibus quidā eiusmodi liberari euacuatiōe volūt, quidā habere etiā gaudēt: ita quoq; se res habet in mēsiū purgatiōe: quippe cū hæmorrhoidū euacuationē vereamur, ne in tātā euadat immoderationē, vt hominē vel protinus interimat, vel certè aquę inter cutē obnoxiū, aut malū habitū efficiat euacuationibus: at ijs quę secūdū naturā sūt, ex vtero euacuatiōibus tale nihil euenit. q̃q̃ aliquādo fiat vt ex vtero per nasorū erosionē sanguis erūpat, in quibus nō idē est curationis scopus. Siquidē nō effluere sāguinē volumus, vti ex mēsibus, sed planè sistere cōsiliū est. Cōmunis ergo in his omnibus, ijs q vere ineūte ad sāguinis missionē accedūt, hęc ratio est: si quidē insigniter infirmā partē aliquā habeāt in quā quę colligit plenitudo decūbat, reuulsorio modo euacuare: at si tale nihil sit, qua cuiq; magis placebit, excepta tamē aut hęmorrhoidis aut mēsiū retētione, vt paulo antè definiuimus: de quo sanè potestate & suprà dictū est, verūtamē satius fuerit &

Medicamētū quod πικρὰ dicit̃ ab amaritudine, vel πικρὰ δι' ἀλόης.

Coxendix curata vno die ex missione sanguinis.

Quādo reuellere ex ipsa parte, quādo ex vicina sanguinē oportet

Reuulsionib⁹ in fluxione vtendum per initia.

Podagrici. Comitiales. Hæmorrhoides suppressę. Mēses retēti.

hîc quoq; omnia percurrere, omnibus quæ antè dicta sunt in vnū collectis, & si qua minus exactè distincta sunt, vnà distinctis. Igitur in vniuersum hoc sciēdū, in sanguinis missione dierū numero haud attēdendū, sicut quidā scriptū reliquerūt, ac nōnulli admodū ridiculè post tertiæ diei accessionē: quādo vt aiunt, dignoscimus quodammodo qualis sit specie morbus. Alij extremū termini mittendi sanguinis statuētes diē quartū, in accessionū interuallis quandocunq; libet celebrāt. Alij detrahere festināt, quibuscunq; sanguinis detractionē ex vsu esse statuerint, transfluente etiamnū eo, ac vbi necdum firmiter in parte superfluitatē recipiente inhæserit: vnum modò considerantes, num corruptio aliqua cibi in ventriculo cōcoquendi sit facta, an tarda concoctio, an etiam cibi in eo cōtinētur. Quod igitur properandū sit, in quibus vacuatio ex vsu est, nisi prius cibos & humores in primis venis semicoctos cōcoqui oporteat, optimè dicūt, credendúmq; ipsis est. Verùm quoniā quintum sæpe diem, aut sextū ab initio æger transigit priusq̄ ad curationē ipsius vocemur, vincet nihilo secius quoq; sanguinē detrahere, etiā si huius auxilij primū tempus sit omissum. Quocūq; enim die mittendi sanguinis scopos in laborāte inueneris, in eo auxiliū illud adhibeto, etiā si vel vigesimus is ab initio extiterit. At quinā fuerāt hi scopi? Morbi magnitudo, robúrq; viriū, excepta ætate puerili, & aëre nos ambiente valde calido. At quoniā dissoluitur tempo ris processu in plerisq; morbis virtus, idcirco & mittēdi sanguinis occasio dierū numerū tollit, cum id primo die fieri possit nullo intercedēte priusq̄ virtus soluatur. Itaq; si quando secūdo à principio die vires dissolui videātur, à vena secanda abstinebimus. Quòd autē in ipso rursum illo die, in quo sanguinē mittimus, obseruanda sit febris declinatio, manifestū esse arbitror: quanq̄ quibusdam id nō satis sit notū qui manè tantùm tundendā esse venam, aut ad summū in horam vsq; quintā aut sextam existimāt. Verū si quis memoria teneat, quæ toto suprà libro sunt dicta, nihil tale cōmittet, sanguinē mittens quauis diei noctísq; hora: modò respiciat in febriētibus particulariū circuituū accessionē. In quibus autem, aut ob oculorum lippitudinē, aut aliū eiusmodi affectū citra febrē, hoc opus est auxilio: non declinationē febris quæ omnino non est, sed magnitudinē aut doloris ipsius, aut inflammationis, aut totius affectus, in quo sanguinis missione opus est, inspicere cōuenit. Cum autē nihil eiusmodi aut vrgeat, aut prohibeat, præstat manè venā incidere, aut statim vbi à somno fuerint excitati experrectíque, ita tamen vt circiter vnā horā iam antea vigilauerint. dictū est autem ꝙ & balneo vti quibusdā expedit. quod si verū est, & præeunte quoq; ambulatione nōnullis. Cæterùm in quibus vere ineunte venā incidere aggredimur, aut propter febris metum, aut alterius cuiuspiā affectus, scio me sanguinē misisse quibusdam etiam posteaq̄ rerū solitarum quippiā obijssent, siue in ludo literario, siue in officinis, siue in foro, siue in ædibus. Iteratæ tamen detractionis tēpus, in quibus simpliciter quidē vacuare conamur, eodem die esto: at in quibus reuellere, si vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. nam animū aduertere cōuenit ægroti viribus arterias ipsius attingendo. Sunt enim quidā tam ad patiendū procliues, vt vniuersē factam inanitionē non ferant. à quo casu refecto primo die ægroto, iterare secūdo detractionem expedit. Quòd autē arterias antiqui venas appellant, & à nobis alibi demonstratū, & ante nos alijs in confesso extitit. Ob id ipsum ergo ac præterea disciplinarū affinitatē, compendij gratia satius mihi visum est haud

Etiam vigesimo die si vires constent, sanguis mittendus.

Febris declinatio expectāda ī sanguinis missione.


Sāguis mittitur etiam post munia obita.

alium cõſcribere librū de arteria ſecanda, ſed orationi de ſecanda vena adnectere, atq; id ipſum in hac parte, in qua conſideramus quas venas ob quas partes affectas ſecare oporteat. Sicut enim alias venas ob alias affectas partes oſtēdimus ſecandas: ſic quoq; & quę in tēporibus ſunt arterias, & quæ poſt aures incidere medicis mos eſt. In temporibus quidem, infeſtantibus oculos fluxionibus, tum calidis, tum ſpirituoſis: poſt aures verò, in vertiginoſis maximè, & quæ diuturnis doloribus capitis calidis ac ſpirituoſis affliguntur. Iam verò & ob alios quoq; affectus in capite conſiſtentes diutinos nonnulli arteriarū poſt aures vtuntur ſectione, non tamen in alia quadam particula affecta adhibuerunt: tametſi multi ſint, quibus hoc potius auxilio, q̃ venæ ſectione ſit opus. Vbi enim calidus ſpirituoſuſq; infeſtus eſt ſanguis in arterijs aceruatus, illic cõmunibus parti affectæ ſectis arterijs eſt opus. Verùm quia arteriæ fluxus ægrè reprimi poteſt, arterias medici incidere metuunt: quippe cum ſi quis in ſecanda fortè vena arteriam vulnerarit, ægrè ſtatim ſanguinis eruptionem cõpeſcat: ac vbi res optimè cadat, ad cicatricem perducta diuiſione, tamen aneuriſma fiat. Quin & interijſſe quoſdam noui ab arteria interiori in cubito venæ ſubiecta: nõnullos autem protinus ob vinculū imperitè à medicis iniectum, adeò vt ſanguinis eruptio in gangrænā euaderet: alios poſtea in aneuriſmate manu curãdo defunctos. neceſſe enim hîc eſt laqueo vaſculū excipere. Itaq; maiuſculas proinde arterias medici refugiūt, paruas autē, tanq̃ haud ita multùm profuturas. Quanq̃ & ipſæ quoq; nonnunq̃ haud paruū attuliſſe cõmodum viſæ ſunt, cū hoc quod citra aneuriſma cicatrice includi poteſt, tota nimirum diſſecta: idq; ipſum ſæpenumero imminens ex ſanguinis profluuio diſcrimē ſuſtulit. Apparet enim manifeſtò, cū tota tranſuerſim per ſe diſcinditur reuulſis vtrinq; partibus ambabus, vnā ſurſum, alterā deorſum cõcedere. Atq; id quidē & venis vſu venit, ſed arterijs ſemper magis q̃ venis. Ego itaq; quæ mihi occaſio extiterit arteriæ ſecãdæ, nunc iam ediſſerā. Monitus per quædā inſomnia, quorū duo perſpicua mihi viſa ſunt, acceſſi ad dextræ manus arteriam inter indicē & pollicē ſitam: ſiuiq; fluere, donec ſponte ſanguis ſiſteret, nā ita ſomniū præceperat. effluxit autē non tota libra. Subitò itaq; diuturnus extinctus dolor eſt in illa maximè parte fixus, qua iecur ſepto trāſuerſo cõmittitur. mihi quidē hoc ętate iuuenili euenit. At miniſter dei Pergami diutino lateris cruciatu laborãs, liberatus eſt arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnij monitu. Porrò alteri cui ex vulnere in malleolū inflicto, diſſecta arteria fuerat, ſanguinis quidē curſus haud quieuit, donec ego vocatus totā diſſecuerim, ac medicamento ex aloë & manna, & ouorū albumine pilis leporū molliuſculis impoſito fuiſſem vſus, citrâq; aneuriſma curatū eſt vulnus: obducta videlicet arteriæ oſculo carne. Vir autē ille quartum iam annum exiguis temporū interuallis coxæ dolore vexatus, poſt illa prorſus ſanus extitit. Hæc itaq; mihi perſuaſerunt vt ſubinde in ſummis artubus, imò & in capite arterias ſecarē in omnibus doloribus, qui à calida ſpirituoſáque ſubſtantia naſci videbantur, & maximè in membranis: quarū dolor punctorius eſt, ac ſenſim expanditur. pungente quidē ſenſu vna in parte, tanquam in affecti loci centro infixo, tenſionis verò ſenſum percipiente omni circumcirca ad centrum muſculo. Aneuriſma.

Galeni de Medendi ratione per venæ ſectionem finis, Guinterio Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Sanguinis missione ad Erasistratvm liber,

Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Væſtione haud parua dignũ eſſe mihi videtur, cur tandem Eraſiſtratus, tum in alijs artis partibus abundè verſatus, tum in minimis adeò diligẽs, vt etiã olerum quorundam, & catapla ſmatum coctiones ſcriptis mãdarit, in quibus abundè erat, vbi ad quid conferrẽt, tantũ explicaſſet, alteri confectionis modũ relinquere, tanq̃ nihil magnũ & vulgare inueniẽdum: de ſanguinis miſſione, præſidio tam valido magnóq́;, quod nihilo minus q̃ efficaciſſima ſeniores eo cõmendarũt, nullã mentionẽ fecerit. Quippe neq; nomẽ ferè detractionis ſanguinis in nullo ipſius cõmentario inuenias, præterq̃ ſemel in ſermone de ſanguinis eductione: vbi tamẽ obiter magis, vt alicui videri poſſit, q̃ ex inſigni quodã ſtudio meminit: id quod ex verbis ipſius diſces, quæ hũc in modũ habẽt: Deligaturas moliri oportet ad alas & inguina, non ſicut nõnulli, qui curationes imitãtur, nõ intelligẽtes ſe ſanguinis gratia hæc facere, quẽ tamẽ abundè vinculis exprimũt. Nã in partibus corporis deligatis copioſior ſanguis recipitur: id quod indicat venarũ diſtẽtio, & ſanguinis dimiſſio. multo enim largius fluit, cũ corporis pars, ex qua ſanguis mittetur, fuerit deligata. At in eductione ſanguinis per os, plurimũ eius recipitur tũ in cruribus, tũ in brachijs, ſi vinculis excipiãtur. Nam vbi paucior fit, is, qui in thorace eſt, lenior quoq; erit eductio. Idẽ hoc moliri conantur, etiã qui ſanguinẽ reijcientibus venam ſecant, ſed multo melius Chryſippus, non ſolũm id, quod præſens eſt, reſpiciens, verùm etiã de imminenti periculo ſolicitus. Etenim periculo, quod ex eductione ſanguinis accidit, proximũ eſt illud, quod inflammatio adfert, in quo offerre cibũ ſanè non facilè eſt. At ei, qui venæ ſectionẽ expertus eſt, & lõgo tempore inediã, periculum imminet, ne viribus deſtituatur: Chryſippus autẽ, qui alimentũ, quod in corpore ineſt, cõfectum in locos non ſolutos tranſtulerit, quo tempore ſolutionis periculum eſt: vbi autẽ ex promptu ſic traduxerit, tunc vtatur offerre id non coactus, ſummè prudens & laude dignus eſt, ſibíq; per totũ conſentaneus. Quòd exigua hæc & vulgaria neq; Eraſiſtrati in arte diligentiã teſtẽtur, neq; ipſius præſidij viribus digna exiſtant, omnibus manifeſtũ eſt. At ſi neq; apud Hippocratem, neq; Dioclem, neq; Euryphontẽ, neq; omnino alium quenq̃ Eraſiſtrato ſeniorem, remediũ hoc ſcriptũ eſſet, inuenire fortè aliquis cogitaret, ſi nondum vſus fuerit inuentus, neq; à claris viris probatus, bona ratione ipſum omiſiſſe. Quia verò inueniũtur alij, apud quos ſcriptũ eſt, & multus iam præſidij vſus erat, non in vno tantũ, neq; vulgari affectu, ſed in plurimis & acutiſſimis (ſic enim Hippocrates ipſe, qui omniũ artis bonorũ author nobis eſt, & alij veteres, vti apparent) quid, tandẽ Eraſiſtrato accidit, vt prorſus illius meminiſſe neglexerit? Etenim num in affectibus quibuſdam ipſum adhibere conueniat, quemadmodum & alia remedia, & cur conueniat, indicare debebat. Sed ne innuit quidem, vtrum eo vtendum ſit, an minus,

tantũ abeſt, vt ſermonem de illo inſtituerit: imò non auſus eſt planè ſententiã ſuã pronunciare, niſi ſemel, vt dixi, in vno affectu, licet ex ijs, quæ ſubticet, ſententiæ ipſius ſumma deprehendatur. non enim, ſi ei placeret, omiſiſſet. Neq; exigua ſanè affectuũ remedia ſcriptis indigere putaſſet, adeò verò magna poſſe aliquem, etiã ſi nõ ab illo diſceret, per ſe inuenire: cauſa verò, propter quã ſectione venæ vſus nõ eſt, vt ſanè veriſſimè dicã, alicui forſan diuinatione indigere videbitur. Quomodo enim quis ſcire poſſit, quid Eraſiſtratus ſenſerit de illis, quorũ ipſe nũſquã latè fuſéq; meminit? attamen nonnulli ſententiã ipſius diuinari non ſunt veriti. Verùm ijdem errare maximè deprehenduntur, inde, q̃ inter ſe ſententijs diſcrepent. Siquidem nullus ipſorũ eadem ſentit, & quod omniũ grauiſſimũ eſt, ne ipſis quidem commilitonibus Eraſiſtrati, diſcipulis autẽ Chryſippi Cnidij eadem videntur, cuius primi hoc dogma erat ſanguinis detractione nõ vti: neq; enim inter illos de Chryſippi ſententia conuenit. Sed quæ ſanè ab Apemante & Stratone dicta ſunt, ridicula planè videntur. Nam ſcarificare venam graue eſſe pronunciant: item dignoſcere diuideréq; ipſam arteriã, quòd improſperè cedat, ſi venæ loco arteria diuidatur: item quòd metu aliquis mortuus ſit, alius etiam antequã vas diuideretur, aliquis eo ſecto nõ ad ſe redierit: item quòd alicui ſanguis adeò fluxerit, vt ſiſti non poſſet. accedunt huc, quæ ab alijs dicuntur. Nempe menſuram euacuationis coniectura aſſequi eſſe difficile, vt neceſſariũ ſit, vt vel qui parũ euacuat, promoueat nihil, vel qui modum excedit, haud mediocrẽ noxã inferat. Quid enim, inquiũt, abeſt immoderata ſãguinis miſſio à cęde: nõnullis, q̃ ſpiritus ex arterijs in venas coincidẽtia fieri poſſet. ſequetur enim neceſſariò ſpiritus ſanguine per adapertiones oſtiorum euacuato. nõnullis, q̃ affectu inflammationis in arterijs conſiſtẽte venas euacuare ſit ſuperuacuum. At eiuſmodi quanuis alicui probabilia eſſe videantur, re vera nihil habent probabile, & falſa manifeſtò ſunt: multo enim fide digniores eſſent, qui ea dicunt, quæ alij nõnulli ex humorum natura moti pronũciarunt: & fortè aliquis longiorem aduerſus illos orationem requiret, ſed huius temporis nõ eſt. quippe in prolixitatem ita ſermonem incidere eſſet neceſſe. Præterea nihil alioquin cogit, vt vel Eraſiſtrati, vel alterius cuiuſdã Chryſippi diſcipulorum dicta redarguere aggrediamur. Optimè igitur ſermo procedere mihi videbitur, ſi alijs omiſſis, ab ipſis Eraſiſtrati placitis exordiar. dicetur autẽ quàm licet breuiſſimé. Placet ei arteriam vas eſſe ſpiritus, venam autem ſanguinis: maiora autem vaſa in minorem propaginem diffundi & numeroſioré, per totúmq; corpus deferri. nullum enim eſſe locum, vbi nõ extremum vaſis ſitum in tam exiles terminos deſinat, vt extremorũ oſtiorum conniuentia contẽtus in ipſis ſanguis coerceatur: atq; idcirco licet ora tum venæ, tum arteriæ ſibi mutuo vicina ſint, ſanguis in proprijs permanet terminis, nuſquã ſpiritus vaſa ingrediẽs, atq; hactenus ſanè lege naturæ animal diſpenſatur: quia verò cauſa quædam violenta ex venis in arterias ſanguinẽ traducit, ægrotare iam neceſſe eſt. Iam cauſas etiã alias quaſdam & nihilo minus copiã eſſe ſanguinis: à qua diſtendi ſanè venæ tunicam, adaperiri autẽ extrema, prius cõniuẽtia, ac ſanguinẽ in arterias tranſfundi, atq; inde in ſpiritum, qui à corde fertur, illidere contráq; hunc incumbere, motum illius immutantẽ, vbi propè fuerit & è directo principij, atq; hanc eſſe febrim: item pulſum ab eo prorſum in arteriarum extremis conſtringi, atq; hanc eſſe inflammationẽ. Ita ſanè ex copia inflammationẽ effici

Febris quomodo fiat ſecundum Eraſiſtratum.

Inflammatio

hac ratione, in vulneribus inflammationem causatur sanè, & hîc coincidentiam sanguinis ex venis in arterias: ipsius porrò coincidentiæ causam esse dicit consequentiam ad id, quod euacuatur. Cum enim ex arterijs in vulnerata parte diuisis spiritus totus inter vulnerãdum euanuerit, ac periculum sit, ne locus fiat vacuus, per adapertiones sanguinem sequi, spiritu, qui basin replet, euacuato: itáque vase reserato spiritũ effundi, clausa autẽ & conniuẽte intro pulsum à spiritu, qui à corde emittitur, rursus totũ in locis vulneri vicinis colligi, atq; ita generari inflammationem. Age iam (donabimus enim ipsum in præsentia omnia de febribus, & de inflammatione vera dicere, etsi quòd nullum ex ipsis verum sit, alibi demonstrauerimus) deinceps nos doceat remedia. Ait itaq; ipse tum in alijs multis, tum » in tertio de febribus in hunc modum: Circa initia ægritudinum, & inflammatio» num generationes, sorbitiones in totum circuncidendæ sunt, ac fiunt magna ex » parte inflammationes, quæ febres inferũt, ex plenitudine, quã plethoram appel» lant: in quibus tẽporibus cum cibi dantur, & concoctio digestióq; munia sua ob„ eunt, vasis alimenti insigniter repletis, validiores inflãmationes generantur. Hæc sanè de inflãmationibus, quæ ex copia citra vulnus nascuntur: quæ verò ex vulneribus proueniunt, in primo rursus libro de febribus hunc in modum scribit: » Curationes his consentaneæ, vt vulnera omnia citra inflammationẽ conseruent, » nam medicamentorũ alia inuncta locis sanis, astringendo claudendóq; sangui» nis ex superiori parte effusi impetum ad diuisa loca fieri prohibent: ex sanis au» tem locis, cũ multæ & arteriæ & venæ oris hient in ipsa affecta fit transumptio, » sanguine ex venis in arterias elapso. Deinde rursus cõsentaneũ his est, nihil offerre vulneratis per inflammationis tempora: siquidem venæ alimento vacuæ facilius sanguinẽ in arterias coincidentem recipient. Quod vbi fit, minus erunt inflammationes. Proinde quòd quidem copia euacuanda sit, quódq; venæ plenæ, & distentæ nequeant rursus sanguinẽ in se recipere, id etiam cum ipso Erasistrato consentit. At quomodo eas vacuare oporteat, de hoc ambigitur. Ego itaq; putaui cum sanguinem euacuari in confesso sit, & facillimum iam & promptissimũ esse venã secare. etenim celerrimè ita & ipsas solas inflãmationes euacuauimus. Nam inediæ præterquam quòd longo tempore indigent, etiam totum habitum similiter euacuant, hoc autem non conuenit. Cur enim euacues id, quod euacuatione non indiget? vel cur carnes eliques, cum liceat sanguinem effundere? vt alia incõmoda omittam, quæ longas inedias necessariò comitantur, vires imbecilles, humores ad biliosum & amarum conuersos, multas stomachi erosiones, nauseã, deiectionem impeditam, ac omnia summatim recrementa acriora, maligniorǽq; reddita: quorũ nullum Erasistratus sciens, quemadmodum cæci, cum via læuis, lata, & recta, propinqua sit, angustam sæpe, asperam, & longam captantes oberrãt, ita ipse quoq; iuxtà sitam viã compendiosam admodum, & molestia carentem præteriens, ad prauã longámq; recessit: hoc tantùm meditatus, an ad quod velit, ipsa ducat: non item an celeriter, & citra molestiã ducat. Etenim ad copiæ euacuationem etiam inedia conducit fateor, verùm longo temporis processu, pręter quòd multum molestet. Attamen tantum præsidium sapiens Erasistratus omittens, quem nonnulli Hippocrati conferendum censent, non veretur nihil probabile & rationi consentaneũ adferre, sed mentionẽ ipsius tanquã prauissimi cuiusdam, & nullius momenti facit. At non Hippocrates ô Erasistrate nulla in

Cum sanguis euacuãdus est venę sectio optimè conducit.

Inediæ cum phlebotomia collatio.

Inedię incommoda.

re inferior te medicus de missione sanguinis ita sensit, sed quæ tu admiraris verbis, ea re facere inuenitur. Admiraris enim naturam, vt artificiosam simul, & de animali prouidam, non autem ipsam vllo in loco imitaris: cum scias subinde sanguinis euacuatione naturam multos morbos sanasse, id ne in vno quidem vnquã fecisti. Cur autem taces naturæ opera, quam commendas? cur cum apud Hippocratem multa eiusmodi scripta inuenias (mulieri sanguinem vomenti si menstrua fluxerint, solutio: atra bile infestatis, remedio sunt hæmorrhoides: item larga sanguinis profluuia, magna ex parte per nares soluuntur) apud te nihil huiusmodi, sed naturã verbo tenus tantùm cõmendas, nullum verò opus ipsius vsquã scripto mandasti? Mihi autẽ solius naturæ opera condiscere satis erat, vnde adiutus id, quod conuenit, inuenire abundè potui. An mihi concedent, qui te admirantur, vt id, quod res est, dicam: nempe quòd aut mentis inops omnino esse videris, aut leuiter in naturæ operibus versatus. alterutri enim obnoxius es, vel neutiquam ea intelligis: vel si intelligis, non imitaris, vt qui in domo quadam cõclusus hæc scripseris, nullum vnquam ægrotum conspicatus: vnde merito naturæ opera ignoras, semper quidem ea admiratus, nunquã verò deinde, quæ tua summa est dementia, imitaris. Postea si scribere aliquid aggrederis, scribendi legem non seruas. Conueniebat enim primùm naturæ opera perscribere, deinde enumerare, quænam perfectè, ac integrè proprio impetu mota efficit: quæ verò imperfectè à morbificis causis impedita. Via enim hæc est ad remediorũ inuentionem, vt vbi didiceris, quæ probè ab ea obeũtur, his possis succurrere, id, quod deest, adijciens, aut cum neutiquam mouetur: (etenim hoc quoq; nonnunquã ei accidit, morbificarũ causarũ robore euictæ) totum ipsi suppedito, horum nullum ostendisti. Fortè enim, quod dicent, negligis quidem ægrotos inspicere, domi autem manens, opinionẽ tuam scripto mandasti: attamen etiam si ipse nõ videris, ab Hippocrate certè licebat legenti discere, quænã absolutè ac perfectè, & vt ipse ille dicere solebat, integrè natura mota iudicãtur: quomodo rursus ipsam optimè quis imitetur ne aggredientẽ quidem iudiciũ: & quomodo ei, cũ aggreditur quidem, sed minus, ac par est, mouetur, succurrendum. Si enim in his fuisses exercitatus, eiusmodi te consulentẽ audirem, qualia & Hippocratem audio: Quæ iudicantur, iudicatáq; sunt, integrè, non mouere oportet, neq; innouare, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, sed sinere. Hoc sanè est naturæ perfectè motæ præceptum: quod autem sequitur, quum ad iudicium quidem contẽdit, sed minus, ac conuenit, eóq; ei opitulandum præcipiens in hunc modum dicit: Quæ ducere oportet, eò ducenda sunt, quò potissimùm vergunt per loca conuenientia: cupit enim tunc natura noxium propellere. vbi finem operi imponere præ imbecillitate non potest, nostro auxilio indiget. Idcirco & pleuriticos curans, quò humores vergunt, euacuat: quid enim erit? Verùm si dolor ad iugulum pertingat, aut grauitas brachium, vel mamillam, vel partes supra septum infestet, in cubito secanda est vena interior, & multum detrahere sanguinis verendum nõ est, donec multo rubicundior fluxerit, vel loco puri & rubri, liuidus, vtrunq; enim accidit: sin autem sub septo dolor vrgeat, ad iugulum verò non pertineat, aluus emollienda est, aut veratro nigro, aut peplio. Rursus in aliquo nephriticorum concursu præfatus, ac in rene dolor grauis, per ilia ad femur vsq; tendens, è directo, infert, poplitem secare oportet, hoc est venam in poplite. Illud autem quo-

Aphor. libr. 5

Lex scribendi vnde remediorum inuẽtio suppeditatur.

Naturę opera

Ex Aphorismis.

Aphor. lib. 2

Naturę imbecilli opitulandum.

Ex operis de ratione victus in morbis acutis secũdo lib.

Ex epidemijs

modo dictum est: Margi ancillæ, cui neq; sanguis fluxerat, postquam filiũ peperisset, os autẽ vuluæ auersum esset, ac dolor in coxam & crus pertingeret, ex talo sanguis detractus profuit, etsi tremores totũ corpus occuparent. Sed ad causam veniendum & causæ fomitem.

In tremore aliquando sanguis missus, causa id postulante.

Hippocrates itaque occasionem morbi examinari iubet, & occasionis originẽ: quòd nõ dicere possis, vt arbitror, aliud quippiam, ac sanguinis copiam infestantẽ, à secta vena iuuari, exponetur. In muliere igitur superius commemorata, etsi tremula, venam secare non neglexit, cum nemo alius detrahere sanguinem in tremore ausus fuisset, quemadmodum neq; in aqua subter cutem, neque in alio frigido affectu vllo, cum in huiusmodi corpus adhuc magis refrigescat, calido humore euacuato, & calor natiuus corpore iã prius affectu refrigerato extinguatur.

Ubi sanguinis missio frigidis

Verùm Hippocrates considerans, vt ipse inquit, affectus causam copiam esse sanguinis: non enim purgata est mulier humoribus, qui in puerperio euacuari solent, fomes occasionis, hic est, primáq; generatio, & prima causa: quòd nõ rectè purgata sit, vuluæ auersio, vt quæ in coxas distorta esset. Cum igitur retentio vacuationem ei indicaret, ad vuluam autem impetus humorum, locum, per quem euacuare oportet, venam in talo secuit: talis in omnibus Hippocrates est. Sed ne diutius Erasistratios offendam, ipsum commẽdando (siquidem mihi videntur, tum hi ipsi, tum ante eos Erasistratus cum viro contendere) dicta Hippocratis iam relinquamus, aliàs enim totam ipsius circa vacuationes artem licet indicare. Digrediamur autem ad alios vtriusque sectæ & Empiricæ & Rationalis viros: neq; enim ex his vllum à venæ sectione abhorruisse inuenio. Nam dogmaticum noui & Dioclem, & Plistonicum & Dieuchem, & Mnesithium, & Praxagorã, & Philotimũ, & Asclepiadem sanguinẽ detrahere: etsi Asclepiades adeò fuerit contẽtiosus, & gloriæ cupidus, vt ferè omnia superiorum dogmata submouerit, neq; vlli alij, qui ante ipsum fuerat, pepercerit, vt qui veterum medicinã mortis curationem dicere nõ sit veritus. Attamen adeò non fuit impudẽs, vt planè venæ sectionẽ ex medicis præsidijs eximere sit ausus, imò nec recentiorũ aliquis, nec veterũ, non Manteas, non Athenæus, nõ Agatherus, non Archigenes, nõ Empiricorũ chorus. At ex his, qui rationi nunquã attendunt, sed experientiæ perpetuò adhærent, nullum adferre possis, qui hoc tentarit.

Asclepiades

Sensus certus & suspicione vacãs fide dignus est.

Cur igitur, qui in omnibus ferè alijs dissentiunt, in hoc vno sunt concordes? mihi enim nullum videtur esse fide dignius, quàm sensus certus & suspicione vacans. Relinquamus autem hos, si ita vis, ne testium multitudine naturæ, quam commendas, opera reddamus dubia.

Natura mulieris singulis mẽsib⁹ euacuat.

Non hæc mulieres quidem omnes singulis mensibus euacuat, sanguinis superfluum effundens? conueniebat enim mea sententia, vt muliebre genus, quod domi non in magnis degit laboribus, neq; in sole puro versatur, & propter hæc ambo, copiam congregat fouétque, naturale remedium habeat plenitudinis euacuationem, atque vnum sanè hoc naturæ opus est: alterum verò post partum purgatio, etsi etiam partus ipse euacuatio sit.

Mensiũ & lactis eadẽ substantia.

Ex vteri sanguine fœtus alitur. Postquã in lucem æditus est, lactis in mamilla generatio, non exigua vacuatio, mensiũ copiæ respondens existit. vna enim amborum & mẽstrui & lactis substantia est, ac cõmunes (vt ita dicam) vtrorúmq; riuorũ fontes, venæ existunt. Qua de causa quibus per ætatem menses non amplius

fluũt,his neq; in mammis lac colligitur:item quæ purgationis tempora quidem non excesserunt,sed lactent,non purgantur:& si mulieri lactenti per vterũ sanguis effluit,lac euanescit:& quæ animantia non concipiunt his neq; lac est:contrà quibus lac est,ea donec cõcipiant lac habent. Quando lac in mamillis. At si etiam didiceris quantis ex hac vacuatione bonis fœmineum genus fruitur,& quæ videtur incõmoda si non euacuetur,haud noui,quomodo sustines adhuc non omni studio sanguinẽ redundantem euacuare: mulier non podagra corripitur, nisi menses ipsius defecerint ait Hippocrates. At quid opus habeo verbis Hippocraticis contra hominẽ Hippocrati inimicum? Puto igitur ipsam veritatẽ per me præconem tibi dicere,mulierem,si rectè purgetur,nõ infestari podagra,neq; morbo articulario,neq; pleuritide,neque peripneumonia:imò neque morbo comitiali,neq; apoplexia,neque respirationis,neq; vocis defectu in vllo tempore molestatur. Sed quandoq; correpta est phrenitide,aut lethargo,aut conuulsione,aut tremore,aut tetano mensibus emanantibus. Nouisti autem quandoque melancholia laborantem,aut insanientem,aut spuentem ex thorace,aut vomentem sanguinẽ ex ventriculo,aut cephalæa ægrotantem,aut angina suffocatam,aut magnum aliquem validũmq; affectum sustinentem,etiam si probè menstrua excernerentur:ijs autem retentis quolibet vitio esse opportunã,eiq; vacuationes mederi. Relictis autem iam mulieribus ad viros accedito,discitóq;,quodcũq; per hęmorrhoides superfluum vacuari consueuit,hi omnes à morbis immunes vitam transigunt: quibuscunque verò retenta fuit euacuatio, grauissimis morbis conflictati sunt, vtrum neq; ex his sanguinem euacuabis,neq; si angina correpti fuerint,neq; si peripneumonia, an ne perperam cognita deponas,tot pereuntes negliges? Tu sanè forsan id facies:ego verò non hæc tantùm,sed etiam conuulsionem & aquam subter cutem sanguinis vacuatione subinde curaui. Sic enim & longa me experientia docet, & ratio sic ad occasionẽ venire iubet,occasioniśq; incitamentum. Quòd autẽ & experientia ita præcipit,Empiricorum libris perlectis condisces. Ne igitur adhuc cum Hippocrate solo te contendere putato,qui sanguinem vacuare præcipit,siue in tremorem,siue in aquã subter cutẽ,siue in aliud quoddam frigidum vitiũ, aut vir ex hæmorrhoidum retentione,aut mulier ex mẽstruis suppressis inciderit,sed etiã cum omnibus medicis Empiricis,& vita hominũ:nam communẽ omniũ rationẽ subuertere mihi videris,si non cõcesseris à natura cuiuis cõcessum esse,vt consideret sanguinẽ vacuandum esse,vbi copia ipsius subsit. Quis ignorat contraria contrariorũ esse remedia? nõ enim Hippocratis solius sentẽtia est, sed cunctis hominibus cõmunis. Sed mihi videris te nimio cum Hippocrate contendendi studio etiã alijs esse stolidiorẽ,cũ hæc ipsa natura quotidie tibi suggerat, & inediã assumptione curet,repletiones euacuationibus,frigus caliditate,& calorem refrigeratione. Quid enim aliud est alimentũ assumere,quàm copiam suppeditare? quid autẽ excernere stercus,q̃ intestinum repletum euacuare? quid vrinã mittere,quàm vesicę repletioni mederi? Iam pleraq; animalia,cũ frigus sentiunt, latebras sibi & quosdam cuniculos in terram submittant: cum calore laborant, in aqua frigida natant,degúntque in locis vmbrosis & vento expositis. Ego sanè canem frequenter vidi vomitum sibi prouocantem, item Aegyptiam auem clysterem imitantem:at hominibus,vt qui ratione vtantur,hæc ipsa omnia facilius præstari possunt. Animalia sibi remedia norunt. Vocato igitur medicinæ imperitũ ad ægrotũ boni habitus,

adulescentem, sanguinis compotem, ab angina aut peripneumonia pressum, vt ferè suffocetur: etiam si non hominis naturam, sed aliquid contrà affectum consideret, quis adeò demẽs, vt nõ sanguinis vacuationem dicat? Verùm Erasistratus præ contentione aduersus Hippocratẽ concepta, ne communes quidem omnium hominũ notiones seruare videtur, sed gruibus etiam adhuc stolidior inuenitur. E longinquo igitur has quoq;, vt aquilas vsq; ad terræ fines volantes videre licet vicissim, & frigus & calorẽ subterfugientes, curantésq; perpetuò contraria contrarijs. Hoc igitur, quod dixi, nondum Hippocratica arte dignum est, nempe sanguinem vacuandum esse, quibus ex copia sanguinis periculum imminet. Quo autem modo vacuationem moliri conueniat, & quo tempore, & quanta, magis cuperem mihi edisseri. Nam scire, quando sanè frontis vena secanda veniat, quando verò ad oculorum angulos sitæ, vel sub lingua, vel humeralis dictã, vel quæ per alas excurrit, vel quæ poplitem, aut talum perreptant, è quibus omnibus mitti sanguinem docuit Hippocrates, hanc ego medicorum ratiocinationẽ esse sentio, ac quòd contraria contrarijs curare oporteat, quódq; copiæ vacuatio sit contraria, id etiã bruta intelligere puto, tantũ abest, vt ego admirer. At si voles auribus paululũ apertis, imò potius animo verũ sermonẽ recipere, simulatis erga Hippocratẽ oblitus, dicã tibi, quid illius arte dignũ sit. Hactenus enim Diocles, Plistonicus, Herophilus, Praxagoras, Philotimus, alíique pleriq; medici non sua quidẽ industria, verũ Hippocratẽ sequentes inuenerũt, quando singulæ venæ secãdæ sint. Quòd autẽ atra bile vexatis hęmorrhoides cõferant, id nondũ omnes intelligũt, etsi manifestò Hippocrates docuerit. Verũ qui syncerè in scriptis illius versati sunt, hi soli, quomodo hæmorrhois fiat, ab ipso didicere: quomodo autẽ & dysenteria, quomodo varix, itẽ ꝙ non semper singula hæc ne constituantur prohibere, sed ꝙ interim etiã promouere, vel dũ natura conquiescit, totũ ei committere oportet, quando ita conducit. adeò autem negligũt, qui hæc didicerunt, dysenteriã, varicẽ, & hæmorrhoidẽ, maturè curare aggredi, vt etiã ipsi, quæ nõ sunt cõueniẽtia, facere machinẽtur. Ego siquidẽ multos noui & melancholia correptos, & præsertim insania occupatos, ob huiusmodi euacuationes medicorũ inscitia impeditas. Nonnulli verò ipsorũ pleuritide & nephritide sunt conflictati: alij autem sanguinem ex ventriculo vomuerunt, aut ex thorace extussierunt, aut paraplexia, vel aqua inter cutem perierunt. Hæc ego medico noscenda esse cẽseo, vnà cùm magno illo circa vacuationes artificio. Porrò quantũ ex sanguine redundante vacuare oporteat, rem non magni momenti, cur tandẽ Erasistratus omisit, ceu aliquid grande? aut quid nugantur, qui ad quoduis contendere paratissimi sunt, vacuationis ignorantem illum esse dicentes, quemadmodum etiam in alijs præsidijs idem obijcientes? aut cuius per deos mensurã exactè tenere ipsum arbitrantur, vt neq; excedat quantitatem, neq; in ea deficiat? num clysteris, an purgantis cuiusdam medicamenti, an vrinam cientis, vel cibi, vel potus vllius? Tempestiuum igitur ipsis est ad omnia suspicionem mouentibus, omnino conquiescere, ac silentium agere. Cur nam igitur Erasistratus ipse purgantibus vtitur medicamentis, ac vinum aqua frigida temperatum, cum alijs quibusdam, tum cholericis exhibet? Hic sanè Chrysippũ præceptorẽ suum satis inuidiose laudat: tanquã præsidium à nullo veterũ cognitũ inuenerit, quod vnũ cholericis iam morti proximis sufficiat curãdis. Non enim id quouis tẽpore

Incommoda quę sequãtur vacuatione sã guinis omissa

propinat, sed in angustũ adeò spatium, & breuem occasionẽ præsidij vsum redegit. Ac id non accuso, qui omnes temporis partes exactè coniectura deprehẽdit. Admiretur autem quis istud, quomodo in illis, quæ ipse protulit, si Chrysippiũ quid docet, audax & temerarius admodum existat, ac nihil eum prorsus nec tẽporis breuitas, nec difficilis mẽsuræ cõprehensio, nec affectus periculũ deterreat: sed adeò manifestè simul & exactè mensuram & occasionẽ ipsum id docere autumet, vt non medicis tantùm, sed iã etiã idiotis præcepta ipsius vtilia esse censeat. Vbi verò aliquẽ ex vetustioribus medicis inuẽtionis nomine laudare debet, illic omnino subterfugit. Age iã etiam hoc ipsis ostẽdamus, mẽsuram in sanguinis missione facilius, q̃ in quouis alio remedio deprehẽdi posse. Vel enim coloris mutationẽ sæpe cõijcere licet: idq; bifariam, nũc fluentem quidem sanguinem, nunc etiam ęgrotantem ipsum inspiciendo. Iam animi defectio in multis morbis vacuationis finis est, & fluoris sanguinis tenor labascens, ac pulsus immutati. Iam medicus huius solius vacuationis sistendæ liberam habet potestatem, vbicũq; voluerit, aliorum nullius. Verùm siue medicamentum, quod aluo ducendæ est exhibueris, siue quod vomitum prouocet, siue quod vrinas ducat, siue quod thoracẽ aut caput purget, prima exhibitio in tua potestate est: sequẽtia autẽ fortuna sibi vẽdicat. Ad hæc magnũ periculum comitatur medicamẽta, quæ purgãt exhibita: puta ne vel purgatio non moueatur, aut ne id, quod in ventrem confluit, prõptè excernatur, aut cũ doloribus, rosionibus, torminibus, perfrictione, pulsus defectu & animi excernatur, aut totũ corpus vehementer turbetur, exiguũ autẽ euacuetur vel nimiũ. etenim & hoc subinde malorũ grauissimũ in hac medicatione accidit. Non enim, vt in vena diuisa digito imposito, statim sistis: ita quod in ventrẽ confluit, cohibes. Attamẽ medicorũ nullus superueniẽtiũ symptomatũ metu à medicamẽtis exhibendis abstinet, sed vbi iam errorẽ commisit, non amplius eo vti proponit. Quid dico purgãtia? & validorũ medicaminum mentionẽ faciẽs tempus contero? cum in cibo quolibet peccatũ in mẽsura admissum maximè offendat. Licet autẽ noxæ magnitudinem contẽplari in effœtis & imbecillis hominibus, qui celeri refectione indigent, in quibus alimentũ minus ac par est nutriens virtutem marcore cõsumit: nimiũ autem, pondus potius naturæ q̃ alimentũ, planè vires strãgulat, & extinguit. An igitur etiam cibũ offerre verebimur, eo ꝙ mensura ægrè percipi queat: ita sanè etiam à medendo prorsus abstinebis: quippè nullũ in re medica præsidiũ inuenias, quod non cum moderatione quadam vsum præbeat. At solam sanguinis missionẽ ne in hoc quidẽ damnare possis: ambo mẽsuræ errata vehementer nocẽt: etenim excessus perniciosissimos esse nemo nõ dixerit. Verũ non necessariũ est excedere, in quo minus est periculũ: esto enim, verbi causa, trium heminarũ moderata detractio. si quidẽ quatuor abstuleris, maximè offendes: duæ verò si detractæ sint, plurimũ quidem iuuãt, nihil autem offendunt. licet etenim tibi vnam vel clysteribus, vel inedijs, vel frictionibus, vel sudoribus euacuare, præterquam quòd neq; si secundo sanguinem voles dimittere, prohiberis. Sed quid multa affero cum indoctis hominibus contendere instituens, qui præterquã quòd nihil rationi consentaneum nugentur, ne norunt quidem, quæ ab ipsis cõmendentur: admirantur enim Erasistrati rationẽ, & nomen sibi ab illo imponunt, Erasistratios appellantes: adeò verò sunt illius præceptorum gnari, vt omnia potius, quàm sententiã illius interpretẽtur. De sangui-

De securitate sanguinis missionis.

Mensura non seruata in omni quod assumitur quid efficiat.

nis autẽ missione adeò prolixa & aliena nugantur, vt aliquis non inscitiam modò ipsorum, sed iam etiã impudẽtiam demiretur. Cum enim manifestè Erasistratus dicat in capite de sanguinis eductione, in quo etiam solo venæ sectionis meminit, Chrysippum sanguinem non detrahere, vt æger, qui ob inflammationes necessariò inedijs traducitur, sufficiat, ipsi omnia potius, quàm hæc dicunt. Deinde vis ne me hominibus attendere, qui de Erasistrato nugantur: cũ ipsius verba habeamus, non puto cõuenire. Audiamus igitur, quid ipse dicat. Multo, inquit, rectius Chrysippus fecit, qui nõ modò, quod præsens est, inspicit, sed etiã de imminenti periculo solicitus. Proximũ enim periculo ex eductione sanguinis prouenienti, illud quod inflammatio suggerit, in quo cibũ offerre haud facilè est: sanguinis autem missionem & longo tempore inediam experto, periculum obuenit, ne vires dissoluantur. Manifestò enim hîc ex inedia periculum cauere ipsum scribit, quod necessariò sequuturũ arbitratur, vbi homo longiore tempore propter inflammationem inedia traduxerit: ac non opus habeo hîc rursus Erasistratiorum nugis, garrientium, cur cibum hominibus inflammationẽ expertis non offerre iusserit: verum ipsum Erasistratum per verba, quorum antea mentionem feci, semet interpretantem sequor: in primísque vbi tertio febrium de inflammationibus, quæ ex plenitudine fiunt: primo autem, vbi de vulneribus disserit. In vtriusq; enim cõmentarijs, nõ semel, sed sæpe venas, quæ ex inedijs inanitæ sint, vt sanguinẽ adfluentẽ denuo recipiant, aptiores fieri dicit. Quid enim ait? his autem consequens est, vt vulneratis nihil offeramus sub inflammationis tẽporibus. Etenim venæ alimẽto vacuæ, facilius sanguinẽ in arterias coincidentẽ recipiunt. Itaq; inedia tanquã auxilium euacuatoriũ discutit. Non enim ob aliam quandam rem in inflammationibus ipsam adhibendam censet, quàm vt venæ inanitæ sanguinem in arterias illabentem facilius recipiant. Deinde, per deos, cum quis venas euacuare volet, vbi liceat id & sine molestia & citò præstare, diu laborat, haud noui, quomodo potius se ipsum circũuenire deprehenditur. Non secabo, inquit, vt æger inedijs ob inflãmationes susceptis sufficiat. Sed cuius gratia inflammatos fame enecas? vt venas, inquit, euacuem. Cur igitur nõ ab initio euacuasti? pudet enim me miserétq; viri à vero aberrãtis. Nã præter q̃ ꝙ cõtrarius est nõ apparẽtibus tãtũ in arte operibus, sed etiã suiipsius sentẽtijs, adhuc etiã hæc ignorare deprehẽditur, cuiusnã gratia inediæ adhibeãtur, etsi vsum ipsarũ abũdè simul & manifestò Praxagoras scriptũ reliquerit. Adde ꝙ ne Hippocrates quidẽ, neq; Diocles omiserit: ille verò adeò imperitus, venis euacuãdis inedias adhiberi putat, atq; hac solũ opitulãdũ cẽset. Postea euacuatorio indigẽs auxilio ad, omniũ me hercules imbecillimũ descẽdit, prætergressus efficacia, & quę celeriter, ad quodcũq; deducere velis, posses. Sed age cõcedamus inflãmationes in vulneribus ita etiã curari, vt eas, quæ ob copiã cõtractæ sunt: quid faciemus, cũ ipsa copia in venis adhuc subsistit, eásq; distẽdit, aut cũ in arterijs ita adest, quomodò curabimus? Ego sanè in huiusmodi omnibus prõptissimã esse ex vena vacuationẽ cẽseo. Iã ad thoracẽ copia deferatur, periclitetũrq; aliquod vas in hoc rumpi, ne sic quidẽ venã secabimus? sed lanis nimirũ artus excipiemus? Illi quidẽ hoc suffecerit. Nam cũ reuulsorio remedio vtatur, haud nouit venæ sectionẽ in reuulsione multo esse efficaciorẽ: quippe vbi multis sanguis adeò flueret, vt coerceri nõ posset, vena secta profluuiũ cõpescuimus: id quod etiã Erasistratũ ignorare arbitror. Neque enim vulgare

est,quales venæ,in qualibus particulis sanguinem fundētibus secandæ sint. Cum igitur ipsa venæ sectio maxima præstet,quibus nūc indigemus,vt quę & euacuare & reuellere possit, quid cūctaris adhuc? & tempus teris? hominem conficis? cum liceat vitare & vasorū ipsorum rupturam, inflammationémq; ob hanc ortam, & inediæ cruciatus curandæ inflammationis gratia adhibitos? Si enim copia rupturam efficit, euacuata ea, quod futurū erat, cohibebis. quòd si hoc contingit, etiam inflammationē ex ruptura ortam: sin autem hoc, ne inediarū quidem adhuc vsus restat. At tu mihi videris ceu cupiens inediam consulere, ipsos affectus machinari, qui inediæ cruciatū requirāt. Quid graue erat, eo, quod offendit, euacuato, ne facescere quidē negotiū? atqui frustra multū laboro, cū liceat tui te sermonis admonere. An enim nō ipse nos docuisti in priore de sanitate tuēda, vbi venarū copię generationē pręfatus, deinde scribis, remedia scopū sanè ipsorū omniū statuēs euacuationē, aliā verò alij conuenire dicēs: quin & plethorā (sic enim copiā alimēti in venis cōtēti appellandā cēses) euacuas, exercitiáq; & balnea cōplura & tenuē victū esse præcipis. Non idē verò omnibus cōuenire præsidiū euacuatoriū, quoniā neq; omnes consuerūt omnibus vti, sed alij balneis magis, alij exercitijs, alij à cibo vomitu. itē quòd nō omnes iisdē morbis sunt obnoxij, sed hic morbo comitiali, ille sanguinis sputo, alius iecoris aut lienis affectibus. non igitur comitiali morbo obnoxiū, balneis euacuare aggrediemur, vt tu ais, rectè id pręcipiēs. nec eū, in quo ne vas aliquod thoracis rūpatur, metus est, exercemus: periculū enim nimirū in exercitionū validis conatibus, ne etiā si copia non sit, ob imbecillitatem tamē in thorace vasa rūpantur, quomodo igitur ipsis medebimur, nos doceto. Quòd etenim vacuandū sit, tu quoq; fateris: habeamus autē præsidia vacuatoria, exercitia, balnea copiosiora, & tenuē victū. Verū exercitijs ne tu quidē ipse vtendū censes: de balneis omnino subticuisti, vtēdū ne sit an minus in ita affectis hominibus, ego id ipsum, quod apparet, experiētia cōprobatū exponā. Itē si de te quoq; vaticinari licet, quid forsan opinatus sis, aperiā. Itaq; tu ipse in libro de sanguinis reiectione deligaturis simul & inedijs vteris, tanq̄ his quidē reuellere copiā, balneis autē vacuare nō cōueniat. Cōsidero enim te balneū in rupta iā vena prohibiturū, neq; dixisti, si de ruptura suspicio est, velle te vti: sin autē ne sic quidē sensisti, mihi tamē id quod apparet, abūdè est. Maximū enim ōnibus sanguinis eruptionibus ex balneo offendiculū existit, causáq; manifesta est: siquidē sāguis funditur, & vapores, spiritúsq; soluitur cū balneū est calidū, adeò vt etiā ad motū incitetur, in tumorémq; attollatur: corpora autē mollia & imbecillia ex calidis lauacris efficiuntur. Quomodo igitur nō facilè afficiātur, molliora reddita, cū etiā is, qui rupturā vasis expertus est, motū simul & tumorē acceperit? Nō igitur balneis euacuare tētabimus eos, quibus venas ob sanguinis copiā rumpi metus est. Superest, vt ad tertiū euacuatorium remediū confugiamus: nempe tenuē victus rationē. Age iam quoniā & hāc ipse tribus modis moliris, tenues, paucos, & imbecillis materię cibos offerēs, aut neutiquā exhibēs, aut vomitū à cœna imperās. Videamus igitur, quomodo tenuiter ægrotū traducemus, nū à cœna vomere iubētes? At quòd ab exercitiorū contētione abstinebimus, si modò vomitu intrepidè, id neminē vel imperitū latere puto. In posterū igitur vel inediā imperabimus, vel paucos imbecillisq; materię cibos offeremus. Verū hęc quāuis nō insigniter, nutriūt tamē & ipsa: nos verò nō addere aliquid, sed auferre potius cupimus. Vltimo igitur laboriosam illā

Venas nouisse secūdas nō vulgare est.

Sāguinis eruptionibus balneū cōducit.

ac reuera perniciosam, æquè atq; sacrā aliquam anchorā, quæ'q; omnibus affectibus opitulari possit, famē accersemus, ac deinceps & Apolloniū, & Dexippum ea gratia maledictis incessemus? At hîc te recordari percuperē illorū, quæ ipse de hac re docueris: nā tu ipse de inedia sic videris sentire, tanq̃ ea ex numero euacuatorū auxiliorū nequaq̃ esse possit. Verū simul ac ptius, quod volo, demōstrauero, tū & testimoniorū, quę adducis, faciā mētionē. Nā inedia inter res, quæ in naturā cadūt, nullū obtinet locū, nihilóq; magis subsistit, q̃ vel cæcitas, vel surditas: quę omnia rerū existētiū priuationes sunt. Ipsa enim ciborū adiectio ex rebus in vsum humanū cadētibus habetur, vnde & hāc opúsq; eius corporis nutritionē esse inuenies: rursum subtractio eorūdē. nā eadē cū rebus, quæ in naturā cadūt, existit. Neque etiā pferre poteris aliquod opus illius, qualis scilicet illa est, quæ in sudoribus venæ'q; sectione ac clysteribus contingit euacuatio, necnō in cibis nutritio. Media igitur āborū euacuationis & nutritionis, inedia: neq; enim nutrit, neq; vacuat. Quomodo igitur, ait, multi ex inedia ciborū defectu mortui sunt? nō ciborū inopia intellexisse dicemus, quoniā ita ne in latebris quidē degētia animalia, vbi si alimēti laborāt inopia, possent perdurare. Perdurāt autē etiā Erasistrato authore, qui & causam apponit. Omnia nāq; illa, quia per summā cutē secundū maioris minoris'q; ratione, rara existūt, transpirare difflaríq; ait. Eius verò, quòd superficies ipsorū magis minúsq; rara efficitur, cū aliæ causæ quædā existūt, tū nihilominus caliditas, frigiditas, quies, morúsq; corpus immutātes. Vbi enim ambiēs aër calidus est, & animal exercet, alimēto plurimū destitui difflaríq; cōtingit. E cōtrario quū ambiēs frigidus est & animal nō mouetur, extimā cutē densari cōtingit, ac vel nihil, vel omnino paucū per latētes meatus effluere: eóq; in latebris degētia alimēto nō indigent, vtpote cū frigidā sint, otiosa, & toto corpore crassa, degāt'q; in quiete: cutis autē exterior hyberno algore dēsetur, quo tēpore in latebris agūt animalia, fit vt nihil foris effluat. Quare nec eo, quod impleat euacuatū, indiget, alioquin alimēto opus esset, eámq; ob causam id animalia expetūt, inediæ ex vacuatione factæ medicātia. Itaq; nemini dubiū est, inediæ causam esse euacuationē, quæ per totā fit superficiē, vsúmq; ciborū, vt id, quod vacuat, repleatur. Cū itaq; causa interit, ob quā planè animalia cibis indigebāt, ne cessariū prorsus est etiā vsum vnà aboleri: vnde fit, vt quæ in latebris agāt, cibis nō indigeāt, quoniā ne appositione quidē. clarè igitur didicimus inediā vacuare nō posse, sed cutis raritatē. Hanc autē si dēsauetis otio & frigore, quæ famis cruciatus adhuc vtilitas restat? Atqui ne cessatiū ambo cauere, & exercitia, & omnē calfactionē, cui de sputo sanguinis periculū est: etenim validus conatus venas disrūpere solet, caliditas autē qua ratione etiā balnea, offendit. Itaq; nō corpus calefaciēdo euacuabis, sed vel exercitijs, vel balneis calore excitato maximè lędes venas ipsas, rupturę opportūas. Quid itaq; deinceps adhuc ita laborantibus consulemus? siquidē inediæ nisi homo exerceatur, vel alio quouis modo incalescat, vacuare nequeunt. Sanguinis autē missionem, vt consueuimus, extremè vitamus, sicut opinor, validas purgationes. Mirum autem est, quanta euacuantiū præsidiorū, quæ inediæ adiungūtur copia suppetat. Si autē hac sola vtamur, nihil adeò promouebimus, cum sola non vacuet: illa verò, cum quibus vacuare solet, plus noxæ q̃ commodi vacuando præstant.

Quomodo animalia in latebris sine cibo durent.

Inediæ causa vacuatio.

Galeni de Sanguinis Missione ad Erasistratum finis, Guinterio Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Venæ SECTIONE ADVERSVS ERASISTRATEOS Romæ degentes liber, Iosepho Tectandro Cracouiensi Interprete.



Vm Romã initio venissem, incidi in medicos quosdã, qui à venæ sectione tantopere abhorrebãt, vt etiã aliquando æger quispiã propter eã præfocaretur, ne tum quidẽ hoc auxilio vti vellẽt. Preterea mulierculam aliquã, quæ viginti vniusq; annorũ ætatẽ agebat, ac ex menstruæ purgationis retẽtione faciẽ rubicundam obtinebat, tussiebatq; paululũ, & difficulter spirabat, illi curare adorti primũ quidem mẽbra illius laneis vinculis leuiter excipiebãt, & ex inedia exigere iubebant, venã autẽ secare nolebãt, nósq; id facere volẽtes prohibebant. Quia verò domesticis ipsius mulieris familiariter vtebãtur, & ætate me erãt multo superiores, facilè ipsis est habita fides. Ego itẽ illis venæ sectionẽ tum tẽporis suadere nõ constitueram, interrogaui tamẽ, num mihi per eos liceret sanguinẽ ad vias vteri, remedijs, quæ hoc efficere possent, prouocare. Quod cũ illi cõcederẽt, ilico adij familiarẽ ipsius ægrotę obstetricẽ, quam & exhortatus sum, vt vsum illorũ experiretur. Verũ illa remedijs huiusmodi, temporeq; quo factũ id oportebat, vsam fuisse se affirmabat, quãdo scilicet mẽstrua purgatio futura in expectatione erat: recitabátque remedia ordine, quæ mulieri obtulisset. Et hæc quidẽ cõmoda alioqui erãt, eámq; ob rẽ quominus efficacia fuissent, nequaq̃ illorũ imbecillitate factũ esse videbatur. Postq̃ igitur ego ista percepissem, simúlq; à retentione sanguinis quartũ iam mẽsem præterijsse animaduerterem, denuò cũ medicis illis cõgressus, vt ad venæ sectionẽ sese cõuerterent, persuadere eis conabar. Cum id facere nollẽt, illorũ animũ demirabar, maximéq; quia eniterẽtur, vt omni conatu apertis circa vterũ venis quãplurimis sanguinẽ superfluũ illinc euacuarẽt: si verò alia quæpiã vena secaretur, perniciosam ex eo euacuationẽ euenturã arbitrarẽtur. At his respõdentibus, q̃ vel absq; talis auxilij præsentia sanguis exuperãs sola inedia euacuari possit, taciturnus discedebã, nihil bonæ spei de muliere propter tussim, ac spirandi difficultatẽ concipiẽs. Aut enim rupto vase ipsam ex thorace pulmonéve sanguinẽ eiecturã, aut synanchẽ, vel laterali inflãmatione, vel exulceratione pulmonis correptã iri præmeditabar: optabámq; votis omnibus, veluti in delectu malorũ fieri cõtingit, vt mulier laterali saltẽ inflãmatione laboraret. Incutiebat quippe mihi terrorẽ, tum vehemẽtia periculi, quod ex synanche pulmonísq; vlcere subitura esset, tũ ex ruptione vasis in pulmone lethale nocumentũ: id quod postea re ipsa est subsequutũ. Dũ enim illa vehemẽtius tussiret, sanguis etiã vnà extrorsum ferebatur. Atqui iã vel vulgo pauci medicos obiurgabant, q̃ illi mulierculæ venã incidere vetuissent: sperabántq; omnino futurũ, vt etiã si id prius non fecerint, hoc tamen tẽpore verecundia ducti, vsum præfati auxilij cõcederent. Cæterũ cũ hi neq; tum quicq̃ cõmouerentur, sed

Historia de muliere cui menses erant suppressi, ob omissam phlebotomiã mortua.

potius vincula membrorũ fortius adſtringerēt,iuberēt'q; vterũ remedijs irritare, ac mulierē inedias ſuſtinere,ego & ob ætatē & celebre nomē virorũ nihil me amplius profecturũ credens,illinc diſceſſi.Mulier quoq; ipſa non ita multo tēpore interiecto,inſanabili ſpirationis difficultate coërcita interijt.

Altera hiſtoria.

Synanchici prӕterea nõnulli vbi eis à venę ſectione interdictũ eſſet,iſtorũ opera perierunt q̃ celerrimé. Fuit & alter quiſpiã,qui cum per totã hyemē magnopere repletus ſine exercitijs degeret,ac totam faciē vnà cũ ipſis oculis adeò rubicundã haberet,quemadmodũ ſi quis pronus capite in terrã defixo,manibúſq; in altũ protenſis ſub huiuſcemodi figura perſeueret,quinto tandem die præ anhelitus difficultate ſuffocatus eſt.

Tertia hiſtoria.

Hos etiã inſecuta eſt mulier,numero quarta,quã illi venæ ſectionis hoſtes retẽtione menſtruæ purgationis non pauco tẽpore grauatã,eodẽ pacto ad interitũ ferè pertraxerant.Nam primis tribus diebus ipſam in inedia conſeruabant,febri enim continua laborabat.Quarta verò luce pauxillũ quid ſorbitionis exhibentes,quintã ſine cibis tranſigere iuſſerunt,in qua illa grauiſſimè exacerbata,deſipiens proſiliebat,& clamore iam extra fores ab illa ſublato,vix tandẽ ab his,qui eò confluxerant retineri potuit.Verũ hanc natura copioſo ſanguine ex naribus effuſo ſeruauit,& dabatur occaſio,quà nõ ſine admiratione diſcere poteramus, quantã habeat facultatẽ ad huiuſmodi affectuũ medelam ipſa ſanguinis ſubtractio:mox enim poſt ſanguinis è naribus proruptionem mulier ab omnibus ſymptomatis libera euaſit.Ego verò quanq̃ antea ſermonẽ cũ medicis inſtituere opus habebam,quò ea conſiderarẽ,quæ illi pro nõ admittendo venæ ſectionis vſu dicturi fuiſſent,cũ tamẽ omnes animaduerterẽt mulierẽ manifeſtè ex ſanguinis vacuatione ſeruatã eſſe:ſaltẽ mortuos illos ad memoriam eis reuocandos duxi, quibus ſi quis venã ſecuiſſet,fortè fuiſſent & ipſi ſeruati:afferebámq; ad hæc rationes quaſdã.Hi verò verba vltrò citróq; inuoluẽtes ſe ipſos implicabãt,nihilq; prorſus certi ſtatuebant:ac poſtremò ad Eraſiſtratũ cõfugiebant:quẽ vtpote primo de reiectione ſanguinis libro dicebant declaraſſe,ꝙ vincire ipſa membra,q̃ venã ſecare longè præſtaret.Aiebant præterea illum in opere,quod de febribus inſcripſit,venæ ſectionis,neq; à principio meminiſſe,cũ alioqui ea omnia recenſuerit,quæ de ſanguinis reiectione indicauerat.Ridendus enim modis omnibus eſſet,ſi venæ ſectione in eo affectu,qui ea maximè indigere videbatur omiſſa,de alijs verba facere nõ deſtitiſſet.Afferebant quoq;,quòd Eraſiſtratus ipſe non ſolũ in opere de febribus,verũ & in reliquis tractatibus omnibus,nomen venæ ſectionis reticuerit:neq; etenim vel in quo de affectibus alui tractat,vel in quo prætermiſſa recenſet,vel vbi de podagricis morbis diſſerit,aut cum de ſalutaribus agit, venæ ſectionis auxilio vſus eſt vnq̃:idq; cũ ille in de ſalutaribus tractatu,ſanguinis multitudinẽ præcipuam morborum cauſam eſſe arbitratus ſit.Porrò ego ea, quæ dicebãt iterũ demiratus,illos de hac ſaltẽ re interrogabã,num prorſus venæ ſectione nõ vtendũ cenſerẽt,vel cũ quis pulmonis vlceratione laboraret,vel ſynanches more præfocaretur,vel vbi mẽſtrua purgatione,hæmorrhoidibúſve ſuppreſſis ſanguis redũdans ad partes thoracis propelleretur.Illi autẽ ad hęc reſpõdebãt,ęgrotos,qui ab Eraſiſtrato in cõmentarijs de diuiſionibus deſcripti erãt nobis in mediũ adducẽtes:inter quos in primis Critonẽ quendã,ac puellã ex Chio oriundã proferebãt.Et quòd illũ quidẽ à principio ſynãchicis cruciatibus correptũ, atq; vehemẽter repletũ:hãc verò mẽſtruis retẽtis,ſanguiníſq; multitudine verſus

pulmoné impetu delato, Eraſiſtratus (quemadmodũ ipſe in ſcriptis teſtatur) per venæ ſectioné nunq̃ curaſſet. Cæterũ cũ illi hæc adhuc loquerétur, ſuperueniens Teuthras quiſpiá ciuis, & cómilito meus, vt erat moribus planè ingenuis, non flectes iſtos vnq̃, inquit, vt qui eouſq; ſtoliditatis proceſſerint, vt & illos in memoriá reuocét, qui Eraſiſtrati opera interiere. Quid enim, inquit, aliud in cauſa eſſe potuit, ꝙ illi, quos nobis iſti proponunt, tã propere perierint, niſi ꝙ in eis prætermiſſum ſit venæ ſectionis auxiliũ? Cur itẽ alij permulti interierunt, qui per tẽpus euacuari ab his prohibiti ſunt? Et hæc quidẽ ille percontatus, omnes eos vnà cũ ipſis affectibus, quos perpeſſi fuerant, quorũ mq; ego nõ multo antè memini, nominatim ordinéq; recẽſebat: poſtremò quoq; in cachinnũ effuſus, ac manibus emicãs, & eas vehementer intorquens, medicos illinc abegit. Quinetiam inſequenti die Eraſiſtrati de ſectis cõmentaria in publicum producta coram vniuerſo philoſophorum cœtu relegebat: partim vt indicaret Eraſiſtrati culpã, & Critonem, & puellulam illam Chienſem periiſſe: partim verò, vt medicos natu grandiores ad colloquium prouocaret: verùm illi quia decertare cum adoleſcente infra dignitatem illorum putabant, tum non comparuerunt: mos enim illo tempore erat, vt aliquis quotidie palàm ad publicas quæſtiones reſponſa daret. Quæſitum ergo à quopiam fuerat: num Eraſiſtratus rectè fecerit quòd venæ ſectione nunquam ſit vſus. Hoc problema, quando ita viſum erat ijs qui eò audiendi cauſa cõuenerant, ego explicaui: proptereáq; Theutras hortabatur me, vt ea quæ illic locutus fuiſſem, puero, quem ſe ad me miſſurum receperat, dictare non grauarer. Quia verò breui in Ioniam abnauigaturus erat, vt illa in lucem vndequaq; æderet in animo ſe habere dicebat. Ego itaq; amici conſilijs acquieſcens, ſermonem illum ſcriptis mandaui. Porrò accidit vt liber per illum paſſim diuulgatus per multorum manus præter ſententiam meam vagaretur. Atqui oratio familiari doctrina magis quàm publico cuiquam operi quadrans contexta erat: amicus enim ille, vt præfatus ſum, eam dictari tantùm cupiebat. Quanquam autẽ liber tam humili ſtylo cõſcriptus eſt, multiſq; defectibus reſpectu perfectæ orationis ſcateret: tamen eoipſo ille multo maiora effeciſſe videbatur, quàm ſperare quis potuiſſet. Omnes etenim hi qui ſeſe hoc tempore Eraſiſtrateos vocãt, contrariã priori rationem ineuntes, iam inde venam ſecare conſulunt, non ſolùm cunctis his quos paulo antè cõmemoraui, verũ etiã quauis febre correptis. Quapropter iuxta Steſichori dictũ, arbitror me apud illos palinodiam aliquã emeruiſſe, in qua eos cũprimis admonendos cenſeo, vt in ſermoné cõmercio quantumcunq; velint contentioſe ſe gerant, depoſita tamẽ in vtranq; partem propenſionis temeritate ægrotis parcere diſcant. Neq; enim venæ ſectio inhibenda eſt per omnia, neque rurſus illos, quibus Eraſiſtratus inediã iniungit, omnes (id quod huius temporis Eraſiſtratei vniuerſi afferũt) venæ ſectione egere arbitrandũ eſt. Huc accedit ꝙ non facilè cognitu ſit, quibus omnibus huius auxilij vſus conferat: tum vel menſura, vel vena quæ ſecari debet, vel ſectionis tempus non ſine negotio reperiatur: proptereáque illam in quouis morbo Eraſiſtratum puto adeò neglexiſſe, vt & in his qui eam magnopere requirere videbátur, ille ipſa vti vetuerit. Et hinc ſanè per inflammationis tempus inedia, vt aiunt, ægrotos degere iubens, hæc ad verbum ſcribit: Venæ enim poſteaquam euacuatæ fuerint, ſanguinem qui in arterias inſilijt facilè ſuſcipient: quod vbi contigerit, inflammationes minus acci-

Alia hiſtoria.

Hiſtoria.

Mos diſputãdi Romanis olim ſeruatus.

dent. Si ergo inediã (inquiunt illi) velut euacuatorium auxilium præcipit, multo ſanè cõmodius ad venæ ſectionẽ ſeſe contuliſſet: & quod quidẽ ipſe vbi celeriter euacuare cupit, multo cõmodius ad venæ ſectionẽ tranſijſſet, probè illi dicũt: nihilo minus tamen hoc loco ſcopos qui illius vſum aliquando impediũt, prætermiſerũt: ſed hos ego proceſſu ſermonis recenſere conabor. Quæritur verò non quid abſolutè factu præſtantius ſit, verũ an Eraſiſtratus præſidiũ hoc aliquando vſurpaſſe reperiatur. Hoc autẽ cum ego Romã primũ appuliſſem, omnes qui ex Eraſiſtrati diſcipulis erant, antea negabant: ob ídq; etiamnũ illorũ præſtantiſſimi quiq; ab his tanquã in re minima diſcrepare manifeſtè animaduertuntur. Vt enim cæteros prætereã, Stratonẽ ipſum tibi in memoriã redigam, qui Eraſiſtrato erat ſumma neceſſitudine iunctus, ac eam ob rem cum in patriã ſcriberet, & » ſeruiuiſſe ſe illi hactenus diceret, inter alia hæc ſubiũgit: Eraſiſtratus iure optimo » laudibus extollẽdus eſt, præcipueq; ꝙ ea omnia quæ veteres per venæ ſectionẽ cu» rare conati ſunt, ille citra illius vſum medicatus eſt. Quanq̃ vel Strato ipſe, curandi rationes ſe abſq; venæ ſectione inſtituiſſe in cõmentarijs ſuis apertè fatetur. Neq; verò mirum eſt ꝙ Eraſiſtratus Chryſippum Cnidium in omnibus ſequatur: quippe qui præfatus fuerit, ſe planè, id quod & ille facit, venæ ſectionem nunq̃ approbaturũ. Idem quoq; & Ariſtogenes & Medius, cæteríq; omnes qui Chryſippi ſententiæ ſubſcribunt, feciſſe videtur. Quantum ergo ad ægrotantiũ ſalutẽ attinet, multo melius eſt, ſi credamus quòd Eraſiſtratus vſus ſit venæ ſectione: quantum autem ad huius ſæculi Eraſiſtrateos, id non credere longè præſtiterit. Extremæ enim dementiæ eſſet, ſi quis Eraſiſtratum eapropter in affectibus paulo antè enumeratis, venæ ſectionẽ ſilentio præterijſſe putaret, quia ille alioqui venas euacuãdas palàm cenſeat: hũcq; totius curationis ſcopum ſtatuiſſe alicui videatur, eo ꝙ illum in quibuſdam affectibus famẽ conſulere animaduerterit: nanq; apertè conſtat, iſtud euenire his qui venæ ſectionis auxilium, parem ipſis inedijs facultatẽ obtinere dicũt. Hoc autẽ cum tale nõ ſit, & quaſdam diuiſiones neceſſariò poſtulet (quas inueſtigare poterit is qui exactè perdidicerit, quando ipſam euacuationẽ, vel per venæ ſectionẽ, vel per inediã ſolam, vel per vtraq; commodius facere liceat) iam euidenter illorum omnis corruit ratio. Scripſiſſet etenim Eraſiſtratus diuiſiones has, ſi modò vt iſti volunt, venæ ſectioni tribuendum quicq̃ putaſſet: eóq; pacto oratio iſtorum in vtranq; partẽ inclinando ſe ipſam prodit. Si nanq; hæc eadem facultate pollet, fortè Eraſiſtratus & in tractatu de febribus, & in alijs pleriſq; quorum ſuperius memini, de venæ ſectione aliquid ſcribere non temere poſthabuit. Si verò venæ ſectionis præſidium inediæ non vndequaque correſpondet, non rectè illi ſentiunt, qui nos ex his quæ de inedia ſcripta ſunt, de venæ ſectione quoque coniecturam facere debere aiunt. Quanquam & in hac parte ſermo ipſorũ inediam inutilem eſſe iudicans, ſe ipſum denuo implicat. Nam ſi ob id inedias probamus, quòd venis per eas euacuatis affectus minui contingat, multo hercule commodius fuerit, vt euacuatione ſemel adhibita ab inedijs abſtineamus: vt quæ & ægrotos ingenti moleſtia afficere ſoleant, & vigilias & inquietudinem, orificiíque ventris afflictionem, tum ſuccorum corruptionem, nec non alui, atq; interdum vrinæ ſuppreſſionem inferant. Quòd autem Eraſiſtratus re ipſa venæ ſectione nunquam ſit vſus, ex ægrotis quos in commmentarijs de diuiſione recenſuit manifeſtè colligere licet: in his

An venæ ſectione ſit aliquando vſus Eraſiſtratus, toto hoc libello perquiritur

Venæ ſectionis & inediæ non eſt eadẽ facultas.

enim cum omnia ea explicet quæ inter medicandum vnquam gessisset, venæ sectionis nullibi reperitur meminisse. Cæterùm cum prolixum sit omnes per illum recitatos ægrotos nunc proferre, sufficit eorũ tantùm recordari, qui vel à grandioribus natu medicis, vt antea declaratũ est, adhuc in memoria habentur: præcipuéq; cum vnus ex illis in priore, alter item in posteriore diuisionũ libro descriptus sit. Præterea cõmoda occasio est vt in præsentiarũ verba ipsa adscribamus, quibus Erasistratus cuncta quæ circa ægrotos acta sunt ordine enumerat, in hũc modum in libro priore scribens: Puellulæ Chiensi ea acciderunt, primũ quidem illi purgationes longo tẽpore suppressæ fuerant, deinde subsequutæ sunt tusses, vnà cum reiectione pituitæ. Processu verò temporis & sanguinis vomitus superuenit. Tum quod ad circuitum purgationũ attinet, interdum illæ in quatuor, interdum duobus mẽsibus redibant. Etiam iisdem fermè diebus quibus purgationes fiebant, ipsa reiectio accidere solebat, diebúsque tribus aut quatuor perdurabat. Quapropter inde perspicuũ erat, illam id genus excretiones loco purgationum sortitã fuisse: nam & febricula iis ipsis diebus insecuta fuerat, quæ posthac emendabatur. Hæc Erasistratus præfatus, deinceps de remedio hoc pacto scribit: Primis autem tẽporibus ipsa potionibus cæterísq; calfactoriis, deinde etiam per extrorsum applicata, reliquámq; adeò quæ ad hoc quadrabat victus rationem, medicari occepta est. Erat enim circa vteri os non intensa durities. Verùm cum remedia nihil omnino promouerent, ac vno perpetuò circuitu grauitas in lumbos incumberet, humiditásq; nulla cõpareret, ilico febres cõtinuæ, intensioresq; prioribus exortæ sunt, quas & tusses vehemẽtes, postq̃ corpus iam mollius factũ esset, insecutæ sunt. Altera igitur die periculosum arbitrati durantibus adhuc febribus purgationes facere, à medicamẽtis penitus abstinuimus: reliquis verò remediis vsi sumus, quemadmodum & in huiusmodi & in aliis affectibus cõsueuimus. Præterea ad medẽdi rationẽ ipso purgationũ circuitu obseruato, cibaria subtrahebamus, eáq; ratione reiectio sanguinis non amplius q̃ semel, eadémq; pauxilla superuenit. His ille nihil aliud superaddidit, nisi: Quinetiam purulentæ reiectiones profluebant. Atqui hîc de venę sectione mẽtio nulla est, cum tamen, prout omnes operum ipsius artis periti norunt, principium auxiliorũ ab illa fecisse oportebat. Sed fortasse quis ex illorum numero, qui ad omnia non grauantur promptè respondere, defensurus Erasistratum dicet, quòd remedia huiusmodi per illũ administrata non sint, verũ potius ab eo ea gratia nũc prodita esse, quo nos nihil eorũ latere posset, quæ agẽda esset. At opinionẽ istorũ redarguit id quod infertur, dum hæc ait: Altera igitur die periculosum arbitrati durantibus adhuc febribus purgationes facere à medicamẽtis penitus abstinuimus: reliquis verò remediis vsi sumus, quẽadmodũ & in huiusmodi & in aliis affectibus cõsueuimus. Præterea ad medendi rationẽ ipso purgationum circuitu obseruato, cibaria subtrahebamus. In his enim Erasistratus apertè indicat se non aliorũ medendi rationem recitare, sed suam ipsius enumerare, atque omnia quæ circa ægrotam fecisset perscribere. Nam & abstinuimus, & arbitrati necnon, vsi sumus: ac obseruato: &, subtrahebamus cibaria: alterum ex duobus manifestè declarat, aut q̃ Erasistratus propria remedia recitauerit, aut ea quibus alii vsi sunt, ipse fuerit amplexus. Porrò si ea amplexus est, quorum alii authores fuerũt, iam nobis euidenti cõiectura colligere licebit, quid ille de venæ sectione senserit. Per ipsam enim

Principiũ auxiliorũ à venæ sectione.

Erasistrateorũ defensio refellitur.

ciborum subtractionem rursus nobis alterum duorum insinuatur, aut quòd illa in totum subtrahi, aut diminui debeãt: id quod Erasistratus se in muliercula hac ægrota, quo tempore purgationis circuitus aduentabat, fecisse fatetur. Conueniunt ergo hæc in hac re cum omnibus scriptis illius, quòd ille solam inediam ægrotis seruandam consuluerit, venæq; sectione nullo in loco sit vsus. Nisi rursum hîc aliqui dicant, mulieri illi quidem sectã venam fuisse, verùm id auxilium in enarratione omissum esse: eo quòd nos ipsi id adhibitum esse autumare possimus, quanuis per illum non sit declaratum. Cur ergo de inedia quoque non reticuit, cũ de illa vel eadem ratione nobis suspicari licebat? Quò item sermo ille spectat, quẽ habuit tum de potionibus, tum de supercalfactione, déque ijs quæ foris applicata sunt? Si enim neq; de his penitus Erasistratus quicquam scripsisset, tamen omnino quòd ea à medicis peracta fuissent, cogitare poteramus: quippe qui animo conceperimus vniuersis auxilijs illud commune esse, quòd illa administrata fuerint, quanuis de eis nihil perscribatur. At Erasistratus exquisitæ perspicuitatis gratia omnia simul enarrare constituit, ne scilicet nacta inde occasione aliquis, hæc quidem tanquã ægrotæ adhibita fuissent, adijcere posset: illa verò velut iam prætermissa, subtraheret. Præterea quoq; hæc Erasistrati enarratio opinioni ipsorum euidẽter repugnat. Si enim muliercula venæ sectionem subijt, inedia frustra est vsurpata: quin potius si veritas fatenda est, non frustra solùm, verùm etiam non sine noxa. Sed istud paulo pòst indicabimus: nũc verò illam frustra accersitam esse, vt explicemus oratio ipsa postulat. Postquam enim per tempus purgationis, quæ circuitu quodam fieri solebat, sanguine ad superna perlato periculum immineret, ne mulier quandoq; sanguinẽ expueret, Erasistratus plenitudinẽ minuere cupiens ad inediam se contulit. Atqui hæc superuacanea planè est, si modò venæ sectio, qua momento temporis sanguinẽ superfluum euacuare facillimum erat, accersatur. Proinde illi qui Romæ mulieribus medebantur, rei quæ contigerat experientia maximè cõmoti, tempore quo eruptio mẽstruorum futura expectabatur, venæ sectionem vsurpabant. Neque verò quietem illis imperabant, sed melicratum offerebant, victúq; humectãte ac lauacris affatim vti concedebant. Ab his enim si vel mediocri quantitate sanguis fuerit subtractus, purgationes confestim exoriri solent, præsertímq; si poplitem aut prope talum venæ sectio fiat. Sed ediuerso si quis vena secta inediam sustinere imperauerit, non solùm menses prius fluentes cohibebit, verùm etiam purgationes, quæ iam inculpatæ euacuabantur, reprimet. Sanguis nanq; ciborum inopia arefit, & densior se ipso redditur, eámq; ob rem ad fluendũ ineptus euadit. Quæ igitur tum lotæ fuerint, melicratúmq; & cibos idoneos assumpserint, ac vinum neq; austerũ neq; crassum biberint, his purgationes proculdubio contingent: ob ídq; ego inedias post venæ sectionem nõ frustra tantùm, verumetiam non sine noxa assumi dicebam. Cæterùm venæ sectionem puellæ illi Chiensi non adhibitam fuisse, etiam ex his quæ superuenerãt, patet. Sãguinis enim aliquantũ expuebat, quem nequaquam expuisset si euacuationem experta fuisset. Demũ cum præ spirandi difficultate mortua sit, ne hoc quidem sic perpessa fuisset. Maximum præterea experimentum Romæ nostra tempestate à venæ sectione est sumptum. Contigit enim cum vulgo mulieres aquam frigidissimã ex niue potarent, vt aut nullo pacto, aut prorsus diminutè purgarẽtur: has tamen medici venæ sectione adeò

Secunda defensio.

Vbi secanda vena in menstruis retẽtis.

Victus ratio.

Historia.

incolumes conſeruarũt, vt neq; ſanguinem ſpuerent, neq; laterali inflammatione, aut pulmonis vlcere, aut ſynanchi caperentur. Non ergo puellam illã Chienſem ab Eraſiſtrato per venę ſectionem curatam fuiſſe ſuſpicentur: neq; enim ipſe cum alia quæuis enarraret, auxilium venæ ſectionis, tanquã rem parui momẽti, prætermiſiſſet. Neq; etiam ob inediam ille, hæc autẽ multitudine ſanguinis præfocata interijſſet. Sed de hac re in præſentiarũ iſta dixiſſe ſufficiat. Tranſlato verò ad Critonem ſermone, orationi huic verba Eraſiſtrati adſcribemus, quę de illius affectibus fecit. ſic enim habẽt: Critoni quidẽ repletio, initiũ ægritudinis fuit. Acceſſit ad hæc ꝙ in plenitudinẽ ſynanchicã iam inciderat, quæ ſanè nihil aliud eſt ꝙ paristhmiorũ ligulæq; inflammatio. Plerunq; ergo contingit, vt qui in eam inciderint, ſuffocentur, ac niſi celerrimè illis ſuccurratur, breui intereãt. Cum autem Crito quoque in horum numero eſſet, prima quidem die illi more conſueto ſpongijs calfacientes medicati ſumus, eóq; tẽpore cataplaſmata illi applicata reliquimus, quò per omnia in medendi ratione eſſent. Exhibita etiã ei ſunt catapotia ex caſtorio ad aluum ciendam, quæ his commodè ſubducta eſt. Neminem nõ animaduertere arbitror diligẽtiã narrationis omniũ eorũ quæ circa Critonẽ acta ſunt. Nam & calfactionẽ per ſpongias factã, & vſum cataplaſmatum & catapotiorum retulit: adeóq; quòd per ſpongias calfactus ſit, manifeſtè declarauit, ac reliqua vt ordine geſta erãt, ſtudioſe enumerauit. De venæ autem ſectione ex cõpoſito ſiluit, nempe quòd auxiliũ iſtud cæteris vilius putauerit. At tenuia illa quæ in his enarrationibus continentur cõmemorare mihi nunc integrũ non eſt, quãquam Eraſiſtratus ipſe rurſum paulo pòſt ait: Apparebat itaque nobis quòd affectus ipſi ad pulmonem hepárq; permutari incepiſſent, & ſynanchis iam illuc deflueret, eóq; febres augerẽtur. Hoc loco affectuũ permutationẽ ſine hypochondriorum tenſione factam eſſe arbitratus eſt: vbi quamdiligentiſſimè animaduertendum cenſeo, conſiderandúmq; quale illud ſit quod tibi in dictione hac occurrat, qua affectus permutari incepiſſe ait, num ſcilicet id ad partes quæ inflamantur permutatas pertineat, an ad ſanguinẽ, qui inflammationẽ rerum tranſfluentiũ concitauit? Mihi ſiquidem primũ ex prædictis ne cogitari quidem poſſe videtur, alterũ autem illorum verum eſſe cõſtat: nam & ego multitudinem in aliquam partem decumbentẽ ſæpius cohibui, quam illa propria virtute deinceps in aliam quãuis repellendo tranſponit. Iſtud ergo Critoni contigiſſe apparet, verũtamen neq; tum temporis Eraſiſtratus venæ ſectionis vnquam meminit. Sed cur ſe totum thoracẽ vnà cum hypochondrijs ipſis, cataplaſmatis fouiſſe ait? Quẽadmodum enim ex partibus quæ circa ligulam & tonſillas ſunt, ſanguinis exuperantis permutatio ad loca inferiora fiebat, ita quoq; illo ex inferioribus ad caput ſurſum perlato, contingebat partim febres excitari, partim aggenerari ſymptoma, quo principium neruorum affectum eſſe indicabatur. Audi itaq; & hanc Eraſiſtrati ſententiam: Cum autem ab ægritudinis principio iam decimus dies adeſſet, ac ab inſtãtia ſextus, quo tũ febris vehemẽti inſultu redijt, tum obuerſio ceruicis accidit: & vna hora tranſacta tanta inſenſibilitas hominẽ inuaſit, vt & lotium per aluum emitteret: non multo quoq; poſtea inſtantia febrilis aderat. Deinceps inferens ait: Videbatur itaque nobis, quòd affectus rurſum verſus caput permutari incepiſſent, ac circa hanc permutationẽ febris redijſſet: quæ poſtea cum iam partes capiti vicinæ afficerentur, intenſa permanebat. Atqui vel nos aduer-

Permutatio in deterius ob neglectã venæ ſectionẽ.

Materia permutatur, non partes ipſæ.

ſus hominem ſequēti ſermone inſurgamus. Rectiſſimè tu quidem Eraſiſtrate dicis, affectuū permutationem ad caput factam eſſe inquiens: multo verò melius fuerat, ſi non quorumuis affectuū, verùm eorum qui à plenitudine cauſabantur, dixiſſes. vt enim corporis affectas partes permutari incepiſſe nemo dicere poſſit, ita neq; ipſos affectus. Arbitror enim quòd multo cōſultius diceret quieuiſſe quidem priores affectus, alios verò cauſa permutata exortos eſſe, quæ in principio totius narrationis eadem ratione qua & repletio ipſa, aderat: quā ſi ipſe euacuaſſet, neq; vnquam morbus earū rerum quæ circa ligulam impactæ erant, permutationem ad infernas partes molitus fuiſſet, neq; ediuerſo ille deinceps verſus caput ferri potuiſſent. Quapropter Critonē hunc eodem pacto, quo & ancillula Chienſis interierat, quia illi vena ſecta nō fuiſſet, mortuum eſſe conſtat. Sed iſtud quoque Eraſiſtratus ipſe perſenſiſſe animaduertitur: neq; enim aliam ob cauſam ait quòd huic interitus cauſa fuerint ea quæ ad pulmonem delabebātur: & quanquam ſtatim ab initio hominem plethorico affectu implicitum eſſe cognouiſſet, tamē maximo ductus errore hæc euacuare nō præuenit. Si igitur adſtruere quiſq̄ velit, Eraſiſtratum, quòd & periti ſſimus medicus eſſet, & affectus illos tum Critoni ex repletione, tum puellæ Chienſi ob menſtruorū retentionem contigiſſe cōpertum haberet, ſubtractionem ſanguinis nequaquā prætermiſiſſe, quin potius vtriſque ſanguinem ſubduxiſſe, verùm id in enarratione conſultò præterijſſe: quid vetat & me dicere, qualecunq; illud ex euacuatorijs remedijs ſit, applicatū quidem ægrotis id eſſe in enarratione, nihilominus nō eſſe recitatū? Ecquis enim ſanæ mentis medicus ferre me non poſſet, ſi dicerem ſymptomata illa, quæ vſq; ad mortem apparebant, propter plenitudinē illis accidiſſe, interitū autem ipſum non alia de cauſa inſequutum, niſi ꝙ plenitudo euacuata non fuiſſet? Quis etiam ferret iſtos qui dicunt, quòd ex his quæ Eraſiſtratus egiſſet, minuta tantùm perſcripſerit: at de venæ ſectione, eáq; quæ per helleborum, ſcammoniámve fit purgatione, quia hæc auxilia per ſe clara ſint, nullam mentionē fecerit? Atqui ſi quis ſola communi ſententia qua repletionem euacuandam eſſe indicatur, venæ ſectionem ſignificari aſſerat, vt quę etiam inter euacuatoria remedia annumeretur, quid inhibet eadem lege, alia cuncta euacuatoria præſidia intelligi? Ne ergo amplius ab Eraſiſtrato ſolùm venæ ſectionem ægrotis adhibitam eſſe dicāt, verùm reliqua quoq; cuncta, puta clyſteres, vomitiones, purgationes, lauacra, exercitia, geſtationes, inunctiones, calfactoria cataplaſmata, cæteráq; id genus, quibus omnibus ille aliquando vti potuerat. Si verò non hoc ſolùm ſufficit, quòd euacuandus æger ſit, neq; iſtorum auxiliorū is finis exiſtit, ſed in primis modum euacuationis adijcere, poſteáq; quibus rebus hæc adamuſſim indagetur declarare, ac his & menſuram & vtendi rationem addere opus ſit: ſequitur ſanè quòd qui ſaltem de ſcopo auxiliorum communi verba fecerit, is nondum vlla ex parte particularum meminiſſe potuit. Si enim cōmune quid protuliſſe ſuffecerit, fruſtra ille cataplaſmatum, inediæ, calfactioniſque per ſpongias factæ mentionē habuit. Rurſum ſi neque cataplaſmata, neque inediam niſi ab eo didicerimus, noſtra opera inueſtigare poſſumus, quinam venæ ſectio, Eraſiſtrato quoque tacēte, vnicuique manifeſta fiet? Sed quanuis illis iſtud quis conceſſerit abſurdum cum ſit, tamen ei qui auxilio hoc commodè vſurus eſt, multæ etiamnum eædémque pergrandes conſiderationes ſupererunt. Inter has autem prima eſt an, quemadmodum

Affectus non permutatur, ſed ob cauſæ permutationem primus quieſcit, & nouus exoritur.

Conſiderāda in venæ ſectione.

aliqui ſentiunt, quamlibet venam ſecare ſemper nihil differat, aut propriæ in ſingulis affectis partibus contineātur, quæ ipſarum plenitudinem quàm celerrimè euacuare poſſint. Secunda verò, vtrum ſemel aut ſæpius ſubtrahere conueniat. Tertia item, qua ratione in his intentiones inueſtigandæ ſint, quas vbi quis exquiſitè conſiderauerit, mẽſuram euacuationis coniectura aſſequi poſſit. Quarta, in qua de occaſione ad quā in primis venæ ſectio fienda eſt, num ſcilicet ea eligibilis ſit, per demonſtrationem docetur. Qui igitur à venę ſectione prorſus abſtinet, apud hunc harum rerum omnium conſideratio perit, è medióq; tollitur: eam autem adhibenti, vt omnia iſta ſequantur neceſſe eſt. Quanq̃ & in reliquis omnibus præſidijs eadem eſt ratio: veluti veratri, ſcammonij, vini, lauacrorum, cibíque. Si enim in ægrotis curandis aliquo dictorum nobis vti nequaquam conceditur: tum neque occaſio amplius, neque quantitas, neque vtendi modus, neq; quicquam aliud ad inueſtigandum reliquum fiet. At ille qui vſum iſtorum probat, hæc omnia diſcutere neceſſe habet: idq; non ſolùm in efficacibus auxilijs, in quibus ſi vel parui momẽti quid prætermittatur, confeſtim maxima noxa ægrotis imminet, verùm etiam in minimis quibuſque: ſanéq; ita quotidie euenire videmus. Proinde ſi quis medicus homini ægroto gratificaturus, auxilium aliquod deſcribit, is neque omittat occaſionem qua nutrire ipſum iubet, neque cibum facultatéſque ipſius non determinat, neque vel quantitatẽ, vel parandi modum, vel vtendi ordinem reticet: quin potius vnumquodque horum illis qui tum ibi adſunt, quo pacto id fieri debeat ſingulatim explicat. Quinetiam pleriq; in libris paſſim deſcribunt, qua ope quibúſve auxilijs omnia hæc adminiſtrari ſoleant: quorum nõnulli, quibus alioqui prolixitas ſermonis cordi non eſt, in huiuſmodi enarratione orationem protrahunt: idque genus diſciplinæ nõ multiloquum, verùm diligentẽ ſolertiam eſſe putant. Hippocrates etiam cum in pluribus ſuis operibus breuitati ſummopere ſtuderet, tamen quod ad venæ ſectionem attinet non eſt grauatus ſcribere, tum partẽ corporis in qua vas ſecari oporteat, tũ euacuationis menſuram vnà cum occaſione ipſa: Eraſiſtratus autem, quem aſſeclæ ſui venæ ſectione vſum fuiſſe prædicant, multiloquus fuerit licet, tamen vt ego paulò pòſt indicauero, principio venæ ſectionis nomen in alijs præſidijs ne aſcribere quidẽ dignatus eſt: deinde etiam omnia quæ iam recitata ſunt, vtpote tẽpus, menſuram, vaſis ſitum, vtendíque rationẽ prætermiſit. Econtra verò qua ratione, & offa inſperſa, & cataplaſmata ægroto offerenda ſint, preſcribere nõ eſt veritus: imò nec olerũ decoquẽdi modũ ſilentio prætereundum putauit. Audi itaq; quæ ille in opere de alui curatione ſcribat: Prima quidem adiectione farina craſſiuſcula toſta ac probè quaſſata offerẽda eſt. Cum autem illam offerre volueris, in vaſculo aliquo frigido infuſam, ac aquæ commixtam exhibeto: non vna vice vniuerſum id quod daturus es, verùm bis aut ter commiſcens, ne offa arida affecta ac ſolutioni inepta, multũ humiditatis ſuſcipiat: nullum enim horum cõfert. Ad edendũ verò danda ſunt affatim cichoria in aceto non acerbo infuſa, ac inter cibos conſumẽda, ſolidáque ea decoquenda, duas ollas præparando: & in prima quidem iniecta illa decoquere oportet. Poſtquam autẽ probè admodum cocta fuerint, ac in altera olla aqua bullierit, tranſponere ipſa in eam conuenit: verùm cichoria reuincta ſint, vt facilè quouis transferri poſſint. At vbi ad perfectum cocta erunt, tum aqua effuſa, ſale oleóque condienda ſunt, exhibendáque

Quę determinanda in deſcribẽdis pręſidijs.

vt offerantur. Num ergo putas quicquam adhuc scribi posse curiosius, hoc præferrim qui adeò tenuia cõsiderauit, vt & admonere operæpretium duxerit, ꝙ cichoria, quò facilius hinc inde trãsferri possint, vincere oporteat? Patet enim cuiq; quòd ea quæ resoluta sunt nõ facilè transferri quouis possint, obq; id non solùm nos qui medicam artem profitemur, verùm & coquos olera elixantes curæ habens, ipsos quo pacto illa liganda sint edocuit. Eodémque animo est præditus sicubi vel ea cataplasmatis alicuius conficiendi modum tradit, vel tot stadia inambulare, vel toties perfricari, aut aliud aliquod huiusmodi iubet. Ob quæ omnia plerique illius superfluam curiositatem non solùm non laudant, verùm & vituperijs incessunt, ranq̃ qui modum terminósq; cõstituerint, quantitate in infinitũ sese extendentes. Quis ergo credat hũc qui rantopere alioqui curiosus sit, vt alijs auxilijs, sic & venæ sectione vsum fuisse, cum de illa non alibi nisi vbi de sanguinis reiectione air, mentionem fecerit? Atqui ille neq; tum ea vsus est, sed econtra Chrysippum, eo ꝙ venæ sectionem neutiquã vsurparit, summopere laudauit: insupérque demonstrationes quasdam attulit, quibus Chrysippi de vena dogma modis omnibus asserere conatur. Nam hic illã magis sanguinem spuentibus, q̃ his quibus aliqua corporis pars inflammationi obnoxia est, quadrare dicit. Cæterùm de hac quoque re alio loco dicetur: nunc verò quod antea eloqui exorsus eram, repetẽdum est, quod Erasistratus scilicet, quasi alioqui vniuersos suos sermones in immensum extrahere non consueuisset, sed bis térq; interdum in diuersis operibus eandem sententiam replicasset, illis tamen vel semel quinq; syllabas adscribere contẽpsit, quibus interpositum cæteris auxilijs venæ sectionis nomen enunciate sibi integrum erat. Taceo hîc quòd & quantitatem illius, vt in alijs fecit, & tempus, reliquáq; huiusmodi prout superius significatum est, indicare omnino debuerit. Proinde nonnulli medici fuere, qui quantitatem euacuationis signis quibusdam definierunt: veluti si vel color, vel tenor, vel sanguinis fluxio mutetur, aut pulsus tempore subtractionis ex debilitate collabantur, ac sudores prorumpant, aut ea quæ aliqui labores vocant, aut denique vomitus vehementiores, exuperantésve alui deiectiones appareant. Alij etiam vsque ad animi defectionem, euacuationem producendam putant, præsertímque si in illa pro euacuationis portione cõtingat. Nam & ob bilem pituitámve, cum ea in os vẽtris influxerint, persæpe animi defectioné manifestè fieri videmus. Aliqui item tum coloris in toto corpore permutatione, tum pulsuũ alterarione commoderatam subtractionem coniectantur: eámque ob rem modis omnibus illos improbant, qui arbitrantur multo consultius esse, vt considerara ex certis indicijs noxij humoris natura, denuo redeatur ad illius euacuationé, quàm si eadem semel copiosa fiar. Nec defuerunt quidam, qui etiam constitutã quandam mensurã illius proponere auderent, perinde quasi duabus heminis, aut paulo plus minúsve mo derara subtractio circunscriberetur: quippe cum ex commoderata proportione, adhibitis ad id & ætate hominum & natura, & tempore anni & regione, nos ipsi maius minúsve cuiq; quadrans inuenire possimus. Quare & Erasistratus certum nobis numerum frictionis tradit: quo etiam si ab exquisita illa mediocritate aberrauerimus, nullam tamen notabilem noxam incurramus. Post hæc autem de venæ sectione nihil planè protulit. Nam, sat scio, de venis quæ incidi solent non pauca scripsisset, maximéque cum & Hippocrates tum eius quæ infra poplitem

Erasistratum nunq̃ venę sectione vsum semper probare contendit Galeuus.

propéque talos est, tum illius quæ vel in fronte recta est, vel earũ quæ sub lingua existunt, frequenter cõmemorauerit. Præterea hoc loco referre nõ est opus, quãtum ad venas circa cubitũ attinet: quod neq; Erasistratus reticuisset, num illę omnes in omnibus morbis secandæ sint, an quemadmodum Hippocrati placet, aliæ in alijs. Eius enim qui tam diligenter omnia scriberet, proprium officiũ fuerat, si quid in hoc præsidio à germana mẽsura discreparet, ad certos terminos redigere: ac quam sententiã in venis explicandis haberet, id quod & alij medici factitarunt, adscribere. Quidam enim nihil interesse dicebant, quamcũque venam quis incidere vellet, vt quòd ex vnaquaque æqualis totius euacuatio fieret. Rursum alij ingentem vel in hac re diuersitatem contingere censebant: nam aliquas ipsarũ celerius, aliquas autẽ longa tẽporis mora affectam partem euacuare asserebãt. Cum igitur ille nihil tale scripserit, nec venæ sectionis scopos declarauerit, clarè vnicuique patet, vniuersas eum has rationes ideo intermisisse, quia præsidio hoc nunq̃ sit vsus. Perinde enim vt qui nunq̃ in ægroto aliquo cataplasmata expertus est, is & differentias ipsorũ & conficiendi modum & occasionem rationémq; vtendi describere nequaquam potest (solùm enim his qui illa quandoque more Erasistrati administrauerunt, necessariò incumbit, de horũ singulis disserere) eodem pacto quicunq; venæ sectione penitus non sunt vsi, occasionem illius, modúmq; vtendi & mensuræ scopos tradere nequeũt. Verùm qui illa vtuntur, eos in primis & de his omnibus, & multo magis de venarum differentia distinctim tractare operæpretium est: ac ad illa, vt si nihil aliud, hoc tamen commonefacere, quòd nihil differat si hæc vel illa secetur, quia cunctæ inflãmatas partes ex æquo euacuare possint. Verùm huiusmodi rerum nihil scribere, ac vsum omnem auxilij de medio tollere in eo præsertim affectu, qui illud omnium consensu præcipuè requirebat, quis id manifesto argumento esse non diceret, quòd Erasistratus auxilio ipso nunquam sit vsus? Quid enim difficultatis fuerat, cum in tractatu de febribus hæc verba faceret (Igitur circa ægritudinũ principia ac inflammationũ generationes, omnis sorbitionũ, cibórumq; adiectio prorsus subtrahenda est) si illic adscripsisset (vtendũ verò venæ sectione) quò totius orationis series talis esset: Circa initia ægritudinũ ac inflammationũ generationes, omnis sorbitionũ cibórumq; adiectio prorsus subtrahẽda est, vtendum verò venæ sectione. Inflammationes enim quæ febres faciunt, vt plurimum ex repletione fiunt. Si ergo in huiusmodi temporibus adiectiones offerantur, eáq; concoctio ac distributio pro suarum actionum facultate vicissim reddát, & vasa nutrimẽto impleantur, adhuc multo maiores, ac vehementiores inflammationes fieri tunc continget. Commodius itaq; fuerit cibaria non exhibere, ilicóq; venæ sectione vti. Et talis quidem dictio esse posset. Si autem ille vt inedijs sic & venæ sectione vti voluit, de eáq; nihil in scriptis reliquit, quî credere quis potest, illum venæ sectionis vsum nunquam laudasse? Cum verò neq; in alio quopiam opere medicinali hoc fecisse illum constat, aliquis etiam multo firmius de illius sententia pronunciare audebit. Quis enim arbitrari posset, quòd Erasistratus, cùm alioqui loquacitatę quàm prolixissima gaudeat, grauatus fuerit, vel semel suis cõmentarijs quæ conscripsit, quatuor aut quinq; syllabas addere? Ego itaque etiamsi nulla Erasistrati monumẽta iam superessent, omniáq; perijssent, id quod & Chrysippi libris ferè imminet, tamen discipulis illius sententiam sui magistri profitentibus credere

magis adducerer, quàm qui Eraſiſtratũ neq; aliquando viderunt, neq; vllos illius diſcipulos, alióſve qui ad illos diſcendi gratia proficiſcebátur, aut qui his rurſum familiariter vterentur conſpicati ſunt: ſed potius ea temerè poſt tot annorum ſecula aſſerunt, quæ neq; ipſi cognouerunt, neq; ab aliquo qui id cognouerit, audiuerunt, neq; Eraſiſtratum quatuor ſaltem vel quinq; ſyllabas de hac re ſcripſiſſe animaduerterunt. Nam τέμνειν φλέβα, hoc eſt venam ſecare, quatuor ſyllabis exprimitur, φλεβοτομία verò quinque ſyllabas vſurpat. Proinde id quod ſuperius verbis Eraſiſtrati per me adſcriptum eſt, puta, vtendum verò venæ ſectione, nouẽ ſyllabis græcè effertur. Quieſcant ergo illi iam, qui tum ſtudioſis, tum ægrotis ipſis artis commoda eripere conantur, dicentes Eraſiſtratum quidem vſum venæ ſectione eſſe, verùm eius mentionem ob id non feciſſe, quia illa quàm cataplaſmatum olerúmque decoquendi ratio, multo euidentior eſſet. Si enim artis ſtudioſi eam ob rem venas ſecare in animũ inducẽt, quia quemadmodũ venæ per inedias euacuatæ inflammationes diſcutiant, ita & venæ ſectio: omnes ſanè deinceps illos, quos Eraſiſtratus inediam ſuſtinere iubet, venæ ſectione curabunt. Atqui vel hoc vile etiamnum, abiectúmq; eſt. Cæterùm ſi adoleſcẽtes, qui neq; de venæ ſectionis menſura, neque de venarum ſecandarum ratione quicquã audiuerint, ad præſidium hoc ſeſe accingant, id ſtatim vt dictum antea eſt, ab ipſo quoq; initio maximũ adferet nocumentũ. Præſtiterit igitur illos neque penitus venæ ſectionem aggredi, quàm citra reſpectum dictorum auxilio manus admouere. Plures enim hac ratione perierunt, q̃ quibus non fuerat ſecta vena. Nam medici natu grandiores, venas tunc temporis nunquã ſecantes, alijs euacuatorijs auxilijs vtebantur, quæ idem quod & venæ ſectio, verùm longiore tẽpore efficere poterant: proptereáq; nemo ex ægris, niſi cum vel partis affectæ dominiũ, vel plenitudinis exceſſus in cauſa eſſet, præproperè moriebatur. Sed qui noſtra tempeſtate febres cunctas in principio venæ ſectione indigere putant, non mediocri, hercule, noxa ægrotos afficiunt. Si enim ſibimet de huiuſmodi auxilio perſuaſerunt, tanq̃ ſi ab Eraſiſtrato ita ſcriptum eſſet, vt ego non multo antea additis ipſi orationi nouem ſyllabis ſignificaui, quò ſententia talis fieret (nã eius denuo meminiſſe conſultius fuerit) Igitur circa ægritudinum principia & inflammationũ generationes, ab omni prorſus ſorbitionum ciborúmq; adiectione abſtinendum eſt: vtendum verò venæ ſectione. Talem enim ſententiã noſtri temporis medici ægrotis conſulturi approbare videntur. Verùm cum alia quidem tẽpora, ſcopúq; ipſius inediæ, aliæ item venæ ſectionis habeantur, ego omnia hæc præſenti in cõmentario ordine idoneo diſcutere conſtitui. Nunc ſiquidem veluti cum illi à ſenioribus perſuaſi, nouam auſpicabantur palinodiam: ſic mihi quoq; propoſitum meũ omnino immutandum eſt, eáq; ratione inhibendum cenſeo illis qui hactenus venas temerè ſecarunt, ne eas in poſterum penitus ſecent. Vt enim Plato ait: Minus aberrare eos conſentaneum eſt, qui ea non aggrediũtur quæ non norunt, quàm qui illa tractant, quæ nunquã didicerunt. Nam hoc idem & iſti faciunt, ſibiipſis perſuadentes, quòd & quibus ſecare venã expedit, & cætera id genus quæ à me recitata ſunt, inuentu facilia exiſtant: hincq; adeò in cuiuſq; morbi initio inediã vnà cum venæ ſectione ex æquo vſurpant, ac hoc ipſo, ſi vera fateri licet, Eraſiſtrati ſententiam modis omnibus inuertunt. Nam & venas ſecant, & extẽplo à venæ ſectione nutriunt: cum ille contrà venas ſecare inhibeat, ſinéque nutrimen-

Defenſio Eraſiſtrateorũ penit° explodit.

Plures ex vena male ſecta quàm ex non ſecta perire.

Non omnes febres venæ ſectionem requirunt.

γνώμη.

nutrimento degere studiose consulat. Quia verò isti veritatem multo magis q̃ Erasistratum in honore habent, ostendere eis operæpretiũ est, quòd sermo ille quẽ de sanguinis reiectione cõscripsit, nõ propriè ad illum solum affectum pertinet, vt qui vnicuiq; phlegmonę sit cõmunis. Verba autẽ sic habẽt: Adhæret enim his tẽpore reiectionis ex inflãmatione periculum, in quo adijcere nõ facilè est. A venæ verò sectione inediam longo tempore toleranti, ne virtus eius exoluatur periculum imminet. Sic ille de his qui sanguinem vomũt, verba facit, & ea de causa eis venam secare prohibet. Cæterũ quòd ipse inflammationẽ subsequi suspicatus sit, dum ait (adijcere nõ facile est, hoc est, dare cibaria: &, à venæ sectione inediam longo tẽpore toleranti ne virtus eius exoluatur periculum imminet) vnicuiq; in conspicuo est. Neq; enim illic ad sanguinis reiectionẽ quicquam propriè spectat, quo quis à venæ sectione absterreri possit: verùm vtraque hæc, hoc est, neq; propter inflammationes cibos dare, neq; id tẽpore venæ sectionis factitantibus, periculũ de resolutione viriũ imminere, cum febribus quoq; cõmunia sunt. Porrò si diligentius animum aduerteris, reperies Erasistrati sermonẽ hunc venæ sectionẽ in febricitãtibus, multo magis q̃ sanguinẽ spuentibus detrectare: à principio enim dum sanguis reijcitur, haud quaq̃ vas ruptũ inflãmatione corripitur: ad febriũ initia, vel Erasistrato teste, necessariò inflãmationis principio subsunt. Proinde si ad corroborandam rerum incertarũ fidem ijs quæ manifestè apparent vtendũ est, vidi ego plurima vulnera, quæ, priusquã ægris vena secaretur, coalescebant. Fieri ergo nihilo secius potest, quòd vas ruptũ nullo pacto inflãmetur, dummodo nos cætera rite administrauerimus, sanguiníq; quãtum nobis visum fuerit, in tẽpore euacuauerimus. Pręterea si Erasistratus dicit, quòd necessariũ sit tẽpore quo affectæ partes inflãmatione corripiũtur, inedias sustinere, ideóq; virtutẽ venę sectione antea dissoluere veretur, multo magis ab ipsa in febricitãtibus, q̃ in sanguinẽ spuẽtibus nobis cauendũ est. His etenim si euacuati fuerint, venã ruptam priusquã inflãmetur coalescere possibile est: febricitantibus autẽ partẽ aliquã iam inflãmari necesse est. Cæterũ quòd possibile sit vas quodcunq; sine inflãmatione conglutinari, id alicui etiam ex reliquis vulneribus credibile apparebit. Frequẽter enim vidimus cũ quibusdam singulari certamine pugnantibus, integrum crus brachiúmve abscissum esset, coaluisse tamen vulnus anteq̃ inflãmatio oboriretur: quod quidẽ multo magis contingeret, si vt Hippocrates ait, sanguis copiosus ilico fluxerit. Sæpius etiã foramen in cauas thoracis partes illatũ, in tribus diebus conglutinatũ conspeximus. Quinetiam nuper in palæstra aliquis insigni plaga accepta, extẽplo vehementer tussiendo duas fermè sanguinis cotylas reiecit: sed ille, quia ei statim vena secta esset, aliáq; quibus opus habebat facta fuissent, neq; omnino deinceps tussiuit, & nũc quoq; sanus incolumísq; degit. Ex his itaq; dispicere licet, quòd si quis adhuc vel Erasistrato obtẽperare velit, abstinere magis à venæ sectione in his debeat, quæ iam inflammari inceperint, q̃ quæ nondum inflãmatione sunt correpta. Præterea ne illud quidẽ minus clarũ est, quòd Erasistratus venæ sectionem neq; cum inedijs, neque ante ipsas inedias, vnquam vsurpauit. Verũtamen nonnulli eo contentionis dementiæq; peruenerũt, vt cum sermones hos audiuerint, discutiendorum eorum nullam sanè rationẽ inueniant: tãquam verò nihil illis obiectum esset, propriam sermonũ farraginem auspicantur, vnam illam sententiam in ore habentes, quam Erasistratus his verbis asserit:

» Cōſequēs eſt ꝙ circa inflāmationis tēpora nihil ſit offerendū:venę enim euacuatæ » ſanguinē qui in arterias inſilierit, facilius ſuſcipiēt:quod vbi cōtigerit,inflāmatio» nes minus eueniēt.Et ſic illi perſuaſi ꝙ ipſe venæ ſectione ſit vſus,hinc apertè colligi poſſe aiunt.Quo enim loco ipſam inediā veluti euacuatoriū præſidiū ille accerſit,multo ſanè magis,inquiūt,ad venæ ſectionē ſe accinget. Aduerſus quos ſi quis dicat,ꝙ per ea quę allegāt, Eraſiſtratū quidē venæ ſectione ante inediā vſum eſſe nō demōſtrēt,ſed potius cōſequēs eſſe oſtendāt,ꝙ ipſe poſtea illā vſurpauerit. Iſti hūc ridētes,tu tandē,aiunt,quid cōſequēs ſit cognoſcis,Eraſiſtratus autē non cognouit?quaſi verò ille ingenio exercitato nō fuerit prædirus,tūq; illi multo ſis prōptior,ac rationibus magis polleas.Si itaq; volueris,illi vt te diſcendi cauſa frequēter cōſulemus,quò ſcilicet quid ad quanq; rē vel cōſequens,vel pugnans ſit cognoſcere aſſueſcat.Atq; his verbis habitis illinc diſcedunr: in poſterū verò vt collocutoribus aliquā cōtumeliā inurāt,adiungūt ſibi hominē perfrictæ frōtis,& cateruā adeò copioſam,vt præ illorū clamoribus nemo loqui quicquā poſſit,huiuſmodíq; finē cōgreſſuū ſtatuunt. Sed nos in præſentiarū cum nō quærimus qui cōuitia ſpargenti vices referat,verū in primis quidē nū Eraſiſtratus venæ ſectione aliquando ſit vſus:ſecundo autē quaſnā hoc auxiliū vires habeat,indagamus. Atqui horū vtriuſq; propriæ demōſtrationes habentur.Quòd enim Eraſiſtratus venæ ſectione non ſit vſus,reſtārur & mōnimēta illius,& diſcipuli fide digniſſimi, Chryſippíq; vniuerſum auditoriū.Cæterùm de auxilij huius facultatibus nō eadem eſt ratio:nam de his enūciata quædā q̄ veriſſima,necnō & cōcluſiones ſelectę afferuntur.Præterea ſi quis iſtis quoq; poſthabitis,ſolum rerū ordinē ſequi voluerit,vel ſic ſcripta Eraſiſtrati,quia nihil tale in his proditū ſit, modis omnibus periclitabuntur.Reputa igitur hæc in animo,præſertim exordio illinc ſumpto,vbi ille de reiectione ſanguinis Chryſippū laudibus extollens, ꝙ loco venæ ſectionis » mēbra vinculis excipere cōſueuiſſet,hęc ad verbū ſcripſit:Hoc ipſum autē face» re conātur ij qui ſanguinē ſpuentis venas ſecant. At Chryſippus multo conſul» tius agit:vt qui non ſolū id quod inſtat præ oculis habeat, verū & impendētis pe» riculi curā gerat:adhæret enim his tēpore reiectionis ex inflāmatione periculū,in » quo adijcere nō facilè eſt: à venæ autē ſectionē inediam longo tēpore toleranti, » ne virtus illius exoluatur periculū imminet.Atqui hic cauſam nō adiecit,ob quā tēpore inflāmationis inediā iniungat,vtpote quæ ab illo declarata eſt,cū in hanc » ſentētiam ſcriberet:Conſequens eſt his ꝙ circa inflāmationis tēpora nihil ſit of» ferendū:venæ enim euacuatæ ſanguinē,qui in arterias inſilierit,facilius ſuſcipiēt: » quod vbi cōtigerit,inflāmationes minus cōtingēt.Quapropter ille inedias tēpore inflāmationis,ea cauſa laudat,quia illæ venas euacuent:verū ſi ambas has ſentētias in vnum redegeris,ſermo integer talis erit:Chryſippus ſanè rectè fecit qui non ſecuerit venam his qui ſanguinē excernebant,eo ꝙ illi paulo pòſt euacuatorio auxilio,puta inedia indigebāt.Præterea idem iſte ſermo,ſi cōpendioſus quoq; dicatur,eiuſmodi erit:Sāguinē reijciētes nequaq̄ ſunt euacuādi,quia paulo pòſt inflāmatione ingruēte,euacuarione opus habebūt. Etiā verò clarius is hoc pacto explicaretur: Ante inflāmarionis tēpus venas euacuare non licet,ipſis quippe euacuatis inflāmationes ceſſant.At ſermo iſte euidēter ſibi ipſi repugnat,niſi ſi quis ſuppetias illi laturus,duo hæc temere adijciat:ꝙ videlicet ſatius ſit vt corpus per inflammationis tēpus euacuetur,quódq; inedia non ſit neq; magis, neq; antea q̄

ipſa venæ ſectio vſurpanda, quin potius vtraque hæc omittenda. Sed nos hunc neque quod propoſitum fuerat demonſtraſſe, neq; ſibimet conſentanea dixiſſe reſpondebimus:in hócq; has partes diſcrepare dicemus,quòd ordinem ſermonum non obſeruent. Omnibus enim hominibus, qui præſertim tantum mentis poſſident,vt cõſideratione etiam pauxillum quid conſequi poſſint,perſpicuum eſt,quòd huic qui ſanguinem in arterias trãſilientem per euacuationem venarũ ad proprium locum reducere velit,id primo quoq; tempore ſit faciendum. Manifeſtum etiam eſt,ꝙ euacuatorio auxilio quàm celerrimè vtẽdum ſit:vt quo & breuiſſimo tẽporis ſpatio,& ſine vlla corporis perturbatione euacuationẽ quamuis perficere poſſimus. Quantum enim inediæ perſæpe lædant, ſuperius demonſtratum eſt. Proinde in hũc modum alicui dicere integrũ erit: Arbitror equidem ridendos eſſe eos,qui Eraſiſtratũ quãdoq; ſanguinẽ reijcientibus venã ſecuiſſe putant:quandoquidem vbi inediam tanq̃ euacuatoriũ præſidiũ laudat, multo hercle magis ipſam venæ ſectionem laudaturus fuerit:vbi quoq; inflãmationis tempore euacuatione opus eſſe arbitratur, ſub illius initium magis quàm cum futura eſt,ipſam laudaturũ fuiſſe in confeſſo eſt. Neq; etenim Eraſiſtratus rerum adeò imperitus erat,vt non multo citius ſanguinem ex arterijs in venas reduci putaret,cum neque circa inſultus initium ille vehementer eſſet denſatus, neque à calore febrium tãtopere eliquatus,vt ob id craſſiuſculus efficeretur. Nam qui hoc ipſum aſſereret, ſemet potius deridendum,quàm illos quos accuſat,exhibebit: quandoquidem cum Eraſiſtratus ipſe ſcribat,venæ ſectionis vſum ea cauſa non eſſe vſurpandum, quia inflammationis tempore longè melius ſit vt aſſumptionem euitemus.

Docet venæ ſectionẽ præſtantius eſſe auxilium, q̄ ſit inedia.

Deſiderantur hoc loco non pauca.

Continere immedicabile,aut profectò nõ facilè ſanabile,qualia ipſis quoq; hæmorrhoidibus accidunt. Porrò cum nos mẽbrorũ deligaturas diceremus multitudinẽ abſq; venæ ſectione adtrahere ad ſe poſſe,ille hoc ait,impoſſibile in plethoris eſſe,ob quas Eraſiſtratus brachia manũſq; ac tibias aduri dixit: fieriq; id,quia vaſa propter ſanguinis multitudinem intenderẽtur. Qua ratione ergo in illa id quod in profundo eſt delabi amplius poterit,cum & ſine illo ne ipſa rũpantur, periclitari iam videntur? Atqui iam declarauimus ꝙ Eraſiſtratus Chryſippum laudauerit,nõ appoſita,vt ego nũc ſcribẽdo faciã,aliqua ſermonis diſtinctione, verũ abſolutè ſententiã ſuam prodens. Oratio nanq; ſic habet: Deligationes verò laneis vinculis circa alas ipſas ac inguina faciẽdæ. Deligationes enim,inquit,faciẽdæ:neq; interim vtrũ hoc auxiliũ plethoricis ſolis nihil cõmodi adferat, alijſq; è diuerſo emolumẽto ſit futurum, ſermoni addidit, ſed ſimpliciter pronunciauit quò de omnibus dictũ iſtud intelligamus. Atqui (aiebat ille) ſi de omnibus id intelligendum eſſet,ipſemet iſtud declaraſſet,in hunc modum ſcribens: Deligationes in omnibus faciẽdæ:verùm ſimpliciter protulit, Deligationes laneis vinculis circa alas inguináq; faciendæ:eo ꝙ nos ipſi ſuſpicari poſſemus,orationẽ hanc de illis tantũ habitam eſſe,in quibus ad mẽbra ſanguinẽ transferri poſſibile eſt:nam in quibus id fieri nequit,ne vincula quidem eorũ membris ſunt adijcienda. Cur ergo, aiebamus nos, hoc quod nunc dicis, Eraſiſtratus nõ ſcripſit? an quia his qui

adeò repleti sunt, vt eis brachia, tibiæq;, ac cubiti adurantur, sanguinẽ subtrahere necessariũ sit, cæteris verò sola membrorũ deligatio sufficiat? Quoniam, inquit, non hominibus vulgaribus scripsit, verũ his qui ea quæ res ipsas necessariò consequuntur, cognoscere atq; operari possint, impossibiliáq; nequaq̃ aggredi in animũ inducãt. Nónne ergo inquiebamus, si aliquando plethorica dispositio corpus occupauerit, etiã si Erasistratus istud non scripserit, venæ sectione opus esse dices? In confesso enim est, ꝙ hoc omnibus cognitũ sit, ideóq; ab Erasistrato non est descriptum: cæteros nanq; affectus quicunq; sine repletione fiunt, Erasistratus seorsim mederi iussit. Verũ cum ille ad hæc obstreperet, primũ quidem hortatus eum sum, vt sententiã ex tertio de febribus descriptã audiret: deinde verò, & eam, quę in priore de salutaribus cõmentario habetur: nam quæ in tertio de febribus repetitur hæc est: Igitur circa ægritudinum principia, ac inflãmationũ generationes omnis ciborũ sorbitionúmq; adiectio subtrahenda est: plerunq; enim inflammationes quæ febres suscitant, ex repletione fiũt. Si ergo in huiusmodi temporibus adiectiones offerãtur, & eas cõcoctio distributióq; pro suarũ actionum facultate vicissim distribuãt, venæq; alimento impleãtur, adhuc lõgè maiores, ac vehemẽtiores inflãmationes sæpenumero fieri accidit. His verbis Erasistratus nomẽ repletionis apertè descripsit, modúmq; illius curãdi tradẽs inediæ cõmeminit, venę verò sectionẽ silẽtio planè præterijt. Quapropter ad Erasistratũ illum me cõuertẽs, quater, inq̃, ô amicissime mẽtitus es: quãdoquidẽ Erasistratũ repletionis medicãdę rationẽ separatim scripsisse patet. Idem nanq; vel in priore salutariũ libro, ipsáq; illius præfatione recitat: quo cuiq; cognitũ esse possit, illũ cũ repletionis remedia ordine scriberet, quiduis potius q̃ venæ sectionis meminisse. Dictio autẽ sic habet: Sũmã in quibusdã sanitatis curã rationémq; habere oportet, ideóq; qua via quis eũ qui in repletione fieri cõsueuit affectũ cognoscere atq; obseruare possit, in primis colligendũ est. Incipiẽte enim ea à discutiẽtibus abstinẽdũ q̃maximè est. Si autẽ illa nondũ adsit, anteq̃ ægritudinis initiũ fiat, illis vtitor. Atqui plures modi extãt quibus huiusmodi affectus discuti potest, neq; ijdẽ cũctis quadrãt. Sed de his iam ordine dicere cõstituimus. Qui ergo corpus laboribus exercere consueuerũt, his multo præstantissimũ fuerit, vt illos paulo plures q̃ pro cõsuetudine ineant, ipsísq; affectũ hunc discutere tentent: ab exercitijs verò sudores in balneo proritẽt. Porrò si quid supercalfactione exiccatũ est, tũ pluribus lauacris vti. Hísq; omnibus peractis, in multa quiete lõgo tẽpore adiectiones nullas assumẽtẽ degere cõsuetũ est. Illo enim tẽpore repletio summopere attenuatur, præsertímq; si post exercitia & lauacra quis lõgo tẽporis spatio nulla adiectione vtatur, quiescátq; postea aliquãdiu. Prandiũ verò subtrahendũ est, sed & cœna minor solito assumẽda. Tum qui offerũtur cibi nutrimẽto ferè careant, veluti sunt olera pleraq;, tam cruda, quàm cocta, cucurbitæ'q; ac caricæ, pomáq; mitia & ficus recẽtes: legumina item cũ oleribus cocta, panis quoq; omni voto careat. Nã sic vniuersa talia partim aluum lubricã reddent, partim nutrimẽta quæ ex illis fiunt, neq; copiosa, neq; fortia efficient. Verùm à carnibus piscibúsq;, ac omnibus rebus cum lacte, chondróve, aut amylo elixatis, & cæteris id genus alimẽtis dicto tẽpore abstinendũ, vel prorsus paucis vtendũ. Huic autẽ victus rationi diligenter ob id insistendũ, quò repletio iam cõsistẽs, securè sustollatur. Cæterũ qui corpus laboribus exercere nõ sunt assueti, his plura exercitia iniũgere cõmodũ non

est: quanq̃ hæc alioqui prout plurima alia, euacuationes tutas faciant. Præterea verò quicunq; ad vomendum propensi sunt, vt à cœna vomitiones instituant, omnibus cõmuniter vtile est. Ne autẽ ad aliquid aliud minus idonei fiant, vomitus ab adiectione non multũ tẽporis intercedat: sic enim cibi adhuc in superioribus partibus existentes facilius euomentur: proindéq; alimenta quæ ex ipsis cibis generantur, nõ multo ante vomitionẽ distributa sint: adhæc postero die lauacra, sudorésq; prouocare oportet. Quinetiam euacuato iam corpore, atq; repletione restaurationẽ nacta, paulo pòst ad cõsueta redeundum. His ergo verbis Erasistratus clarè per omnia indicauit, ꝙ ad repletionis affectum medicandum alijs omnibus auxilijs vsus sit, venæ autem sectionem nunq̃ adhibuerit: istúdq; in sequente operis parte innuit, dum in hunc modum loquitur: Hęc verò animo reuoluenda sunt, ꝙ non omnes homines ad quosuis affectus æqualiter propensi sunt, sed vbi aliquando idem symptoma, veluti repletio est, intra plurimos contingat, in omnibus ad quæ consueuit loca impetu fertur, & in alijs quidem ad hepar, alijs rursum ad aluum. Nec desunt quibus illa vel epilepticos affectus, vel articulorũ dolores cõciliet. Opus est ergo vt vnusquisq; ea quæ illi cõtingere cõsueuerunt cõsiderans, curã affectibus prouenientibus idoneam instituat. Non enim eadem ratione ad epilepsiam inclinato, qua sanguinẽ spuenti curatio exequenda. Verùm illi perpetuo labore defatigari, huic autẽ à laboriosis exercitijs cauere operæpretium est: verendum nanq; est ne ex defatigatione initium ruptionis suboriatur. Sed qui epilepticis affectibus obnoxius est, in labore continuo, ac inedia, & cibi paucitate se contineat: frequentiáq; lauacra, quæ vehementẽ permutationẽ adferunt, modis omnibus euitet. Præterea quos renales affectus plerunq; infestant, his cibi cõcoctu faciles offerendi, ac lauacra affatim iniungenda: potus autẽ constringendi facultate careat, ne lotiũ acrius redditum, loca per quæ excretio ipsa fertur, arrodat. Ad hæc exercitijs diu insistere, huiusmodi hominibus noxiũ est. Quibus autẽ vel ad splenem, vel iecur fluxio ex consuetudine fertur, his à laboribus nimijs, frigidáq; ablutione abstinẽdum, inediísq; & paucitate potationũ ac lauacris curatio in vniuersum procuranda. In his rursus Erasistratus suã sententiam clarè ostendit. Nam eos quibus ex repletione, vel sanguinis sputũ, vel epilepticus morbus imminet, neq; fortiter purgantibus medicamẽtis euacuare vnq̃, neq; frictione vti voluit. Quæ ipsa etsi debilior sit, q̃ quæ huiusmodi morbis ad amussim opitulari possit, præstantior tamen nõ paulo vna inedia existit. Frequẽti enim frictione non paucos istorũ euacuauimus, cum aliàs præ animi ignauia, neq; purgans medicamentũ assumere auderẽt, neq; venæ sectionẽ sufferrẽt. Præterea si auxiliũ hoc in omnibus sufficeret, fortè quis ipso venę sectionis loco semper vti posset. Constat autẽ ꝙ interdũ multo minus debiliúsq; reperiatur, q̃ quale corporis repletio exigat: maximéq; quia illi qui frictionibus non assueuerunt, si plus æquo perfricti fuerint, dolorosis affectionibus ilico corripiantur. Nõnulli ecõtra densam durámq; cutim cũ habeãt, etiãsi plurimã subierint frictionẽ, nihilo minus q̃ paucissimã euacuationem experiũtur. At si quis medicus in artis operibus diligẽter versabitur ipsa experiẽtia edoctus, quantopere stomachi inanitio ad accersendũ paroxysmum epilepticũ faciat, sine negotio cognoscet. Dispiciet etiã illos qui ob solã stomachi lęsam actionẽ epilepsijs corripiãtur, ex inedia vehemẽter lædi, velut & Diodoro grãmatico vsu venit. Is enim si quãdo in quodam


Epilepticus ex fame.

ludo literario exiſtẽs famẽ diutius ſuſtineret, ilico epilepſia correptus cõuellebať. Huic itaq; pręſentaneo remedio ſuccurrebamus, iubẽtes vt circa tertiã aut quartã diei horã, panẽ ex vino tẽperatè aſſumeret: hócq; præſidio vſus annis permultis ſanus degebat: quippe qui huius ſolius rei curã gerebat, vt cibos in cœna aſſũptos q̃ optimè cõcoqueret. Aliquãdo autẽ propter ciuilia quædã negotia cũ in foro ad meridiẽ vſq; ſine cibo perdurare cogereť, humi proſtratus denuo cõuulſus eſt. Iſte igitur veluti indicaui, propter ſtomachi vitiũ epilepſia vexabatur. Manifeſtũ etiã eſt, quòd ſtomachus lęſus, ſi modò ad hoc idoneus fuerit, alias partes non paucas vnà ſecũ exacerbet ac ad cõſenſum trahat. Hoc loco autẽ aduertẽdũ eſt, ꝙ in huiuſmodi affectibus, os vẽtris ſtomachus à medicis appelleť. Cæterũ vel multi ante nos fuerũt qui hos affectus iã pernouerãt, ideóq; de his plenius tractare alibi pręſtiterit: in pręſentiarũ verò huc vſq; dictũ de ipſis ſit, quò obiter declaremus, multos epilepticos ex ſolo ſtomacho lõgioribus inedijs perturbato, in exacerbationẽ incidere. Proponatur ergo homo aliquis, qui adeò repletus ſit, vt brachia, coxas, tibiáſq; ſibi exuri ſentiať, tẽpus verò anni ver ſecũ adferat (Neq; enim hoc ipſum exẽplũ perrarò cõtingit, imò nos per id tẽporis homines ſæpiſſime hoc pacto affici cõſpeximus) Huic accedat, ꝙ is exercitiorũ ac frictionũ ſit penitus expers, faciléq; ab inedijs lædatur: nobis porrò inueſtigãdũ fuerit, qua ratione hũc euacuare debeamus. Nũquid ergo euacuationẽ inſtituemus lauacris frequẽtibus, aut exercitijs, aut inedijs, vomitionibúſve à cœna factis? Nã præter hæc apud Eraſiſtratũ nulla alia repletionis remedia reperiũtur. Atqui ipſe exercitijs vti his qui id nõ cõſueuerũt, nequaq̃ cõcedit: à lauacris etiã illos, quia epilepticis affectibus obnoxij ſunt, arcet: arcebit item, mea quidẽ ſentẽtia, eoſdẽ à vomitionibus, vt quæ caput euidẽter replere ſoleãt. Cæterũ inedia inter ea quæ caput replent adeò eminet, vt ex illa tẽſio vehemẽs circa brachia, collũ, manúſq; oriatur: neq; tamẽ ea quoq; ad euacuãdũ ſatis viriũ obtinet, quin potius ſi qui ſtomachũ affici aptũ habuerint, ijs inſignẽ læſionẽ infert. Quomodo igitur ipſam euacuationẽ adornabimus? nũ frictionibus ſolis? verùm earũ Eraſiſtratus prorſus nõ meminit. præterea fieri nõ poteſt, vt illæ in inſuetis tot tantæq; fiãt quę ſufficiẽter euacuẽt. An poſtremò illũ laneis vinculis excipiemus? at Eraſiſtratus huius rei nullã hoc loco mentionẽ fecit, id remediũ ad ſolam ſanguinis reiectionẽ cohibendã referẽs. Cõcipiatur autẽ in animo, ꝙ etiã de hoc ipſo cõſideratio ſatis luculẽta ſit facta: verũtamẽ illos q eo repletionis venerũt, vt & mẽbra exteriora ſibi aduri putẽt, auxiliũ hoc q̃ moleſtiſſimũ, ac nullius momenti eſſe antea dictũ eſt. Neq; etiã credibile illud eſt, ab Eraſiſtrato ibidem recitatũ, ꝙ ſcilicet reiectionis tẽpore ex inflãmatione periculum immineat: in quo ille eapropter ægros ſine cibis degere iubet: quoniã eorũ quos curãdos ſuſcepimus virtutẽ venæ ſectione prius diſſoluere nõ liceat. Haudquaq̃ enim neceſſe eſt vt inflãmatio repletionẽ inſequať, dũ illã euacuare præoccupauerimus. Et q̃q̃ id quoq;, ſi quis eminus conſideret, in rebus ſalubribus perſuaſibile magis q̃ verũ videať: Eraſiſtratus tamẽ plenitudinẽ, quę aut epilepſiã, aut reiectionẽ ſanguinis affectura eſt, euacuare per venæ ſectionẽ nũq̃ eſt auſus. Sic etenim in obſeruãdis Chryſippi placitis pertinax eſt, vt neq; venę ſectione, neq; fortiter purgãtibus medicamẽtis vnq̃ vti in animũ induxerit. Atqui tũ venæ ſectione, tũ purgatione aliqua plenitudinẽ cõmodiſſimè euacuare poterat. Tamẽ ille de his nihil ſcripſit ibidẽ, quẽadmodũ neq; cũ de paralyſi, ſeu podagra ageret: illic enim etiã

in repletionē cauſam reijcit, ac deinceps neq; venę ſectione, neq; aliquo efficaciũ illorũ & purgantiũ medicamētorũ vtitur. Præterea opinionē ſuã in libro de ſanguinis reiectione lōgè clarius prodidit: idq; in illa operis parte, vbi homines quoſdã ex cōſuetæ excretionis retētione, ſanguinis reiectionis periculo ſubeſſe aſſerit. Cũ nanq; inter alia retētionũ genera, hæmorrhoidũ quoq; cohibitionē annumeraret, non ſimpliciter has euacuatione indigere ait: verũ prout in cæteris operibus conſueuit, ſic & ibi omnes quas ipſe cōpertas habuerat, medelarum ſpecies, ſola venæ ſectione excepta, recēſuit. Dictio autē ſic habet: Præſentibus igitur his quibus ſanguinis exuperãtia frequēter fieri cōſueuit, ſudorũ & lotij excretiones quadrarent. Conueniret etiam ſubtractio eorũ quæ offerũtur, ac deambulationes in locis planis, nō celeriter peractæ. Verũ in his rurſum plenitudinē & ſudoribus & lotio & inedijs inambulationibúſq; euacuãdã cēſens, vſũ venę ſectionis nō adhibuit. Præterea ſi neq; priuſquã inflãmatio fieret, neq; cũ facta iam eſſet, neq; cum futurã ſuſpicaremur, venæ ſectionē vſurpandã in hoc libro indicauit. Superuacaneũ ſanè fuerat, illũ in alijs operibus de eadem mentionē facere, præcipuéq; poſtq̃ curationē inflãmationis aut iam factæ, veluti primo de febribus, aut futuræ, aut de qua ſuſpicio eſſet, aut incipientis, vt ex alijs patet, lōgè antea deſcripſerit. Verũtamen hoc quidã ex Eraſiſtrateis non animaduertētes, dicere contendũt illum euacuatorio auxilio, puta venæ ſectione, vſum fuiſſe, cũ tamen ipſemet Eraſiſtratus manifeſtè cōtrariũ aſſerat. Nam ſimul atq; circa inflãmationis tēpus offerre cibos perdifficile eſſe dixiſſet, ea de cauſa futura iam inflãmatione venę ſectionis vſum exploſiſſe ſe indicauit. Iſta ergo oratione palã declaratur, quòd quibus inediã cōſulturi ſimus, ijſdē à venæ ſectione modis omnibus interdicere debeamus. Nō ergo cōſentaneũ eſt, vt quis circa vnũ eundémq; ægrotũ, vtraq; auxilia, nēpe inediã & venæ ſectionē, vſurpet. Hinc quoq; perſpicuè patet Eraſiſtratũ, ſiquãdo is inediam ægrotis iniungit, eo tēpore venæ ſectione nō eſſe vſum: ac propterea illius in alijs operibus, vt & ſuperius ſignificatũ eſt, nullã mentionē feciſſe. In omnibus enim his, veluti declarauimus, inediã vendicaturus, venę ſectionē, perpetã quidē iſtud ille faciēs, è medio ſanè tollit. Proinde vt à nobis alio in opere demōſtratũ eſt, multo minus peccãt hi, qui omnes illos qui inedia vtũtur, ſtatim & venæ ſectionē opus habere exiſtimant. Ego enim ſequēti cōmentatio oſtendere apertè conabor, quòd nō ſolũ omnes illi venæ ſectione nō indigeant, verũ ne plethorici quidem ipſi, niſi prius qualē illa plenitudo naturã obtineat, diſcernatur: huícq; acceſſerit de habitudine ætatéq; ægrotãtis, ac de tempore & regione, atq; cōſtitutione cōſideratio: tũ quæcũq; anteceſſerũt, quǽve ipſum ægrotũ etiãnum moleſtãt ſymptomata. ob ſingula enim hæc permultos venæ ſectionē nōnunq̃ citra noxã experiri non poſſe oſtendã. Præterea & alios pleroſq; tibi ob oculos ponã, qui abſq; repletione cũ ſint, venæ ſectione nihilo minus opus habēt. Poſteaq̃ autē de his ſigillatim diſſeruero, tum & occaſionē & menſurã venę ſectionis ordine explicabo: addam etiã iſtis eã, quæ in ſecandis venis differētia eſt. Declarabitur quoq;, ſemélne an pluries ſit ſubtrahendũ. Adhæc verò non minore opera diſquiretur, quibuſnam, cum adhuc cōmoda valetudine fruuntur, veris tempore, vel purgationem, vel venæ ſectionem vſurpare conferat.

Galeni de Venæ ſectione aduerſus Eraſiſtrateos libri finis. Tectãdro interprete.

Claudij Galeni Pergameni de Hirudinibus, Revulsione, Cucurbitula, et Scarificatione libellus, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Irudines quidam venantes cõcludunt, ac in multis ipſis vtuntur. Nam hæ cicuratæ facilè carnes apprehẽdunt. Recens autem captas diem vnũ aſſeruare oportet, exiguum ſanguinis in alimoniam loco vbi ſunt inijciẽtes. Sic enim quicquid habent virulenti exprimitur. In vſu autem, pars cui hirudo admoueti debet, nitro prius perfricetur, delinatúrq;, aut vnguibus ſcalpatur, prõptius enim attingẽt. Inijciendæ autem ſunt in aquã tepidam vaſe puro amplóq; contentã: deinde ſpongia comprehenſas, viſcoſóque lentore earum abſterſo, manu applicabimus. Poſtquam inhæſerint ſuperfundendum eſt particulæ oleum tepidum, ne ſcilicet refrigeretur. At ſi manibus pedibúſve admouendæ ſint, ipſam partẽ aquæ in qua inſunt hirudines, indere oportet. Quòd ſi parum apprehẽdant partem, forfice caudam præcidito: nã effluente ſemper ſanguine trahere nõ deſinunt, donec ipſi aut ſalẽ aut cinerẽ ori ipſarũ inſperſetimus. Vbi verò deciderint, cucurbitula virulentũ extrahendum eſt, aut ſaltem ſpongijs fouendum. Partes autẽ ſi elachryment, cuminum aut farinam inſpergito, ſupérq; lanam oleo pauxillo madidam dato. Sin ſanguis erumpat, lintea ex aceto inijcito, aut gallam vſtam, aut ſpongiam pice

Quid preſtãt hirudines admotæ.

liquida, quam ὑγροπίσσαν vocant, madentem, poſteáque vſtam imponito. Noſcere enim conuenit, hirudines non eum qui in alto eſt, ſanguinem extrahere, ſed tantùm quo caro imbuta eſt, exugere. Vtimur eis in vicem cucurbitularum. Porrò detrahimus eas vbi dimidiam ſanguinis partem extractam conijcimus. Non autẽ ſinimus decidere, donec quod ſatis ſit excretum fuerit: quàndoquidem particula tum ab hirudinibus natura frigidis, tum ab aẽre nos ambiẽte refrigeratur.

DE REVVLSIONE.

Vſus reuulſionis.

Vehementiſſimos humorum influxus reuulſorijs præſidijs vniuerſim ingruere prohibemus. Reuulſoria ſunt præſidia humoris, quum ad pectus, aut ventriculum vergit, ad mãnus retractio: vomitus, cum ad inferiora declinat: ſicut cum ad vomitum impetus eſt, per acriores clyſteres reuulſio. Duas verò has humoris inclinationes, tum quæ ad ſuperiorem ventrẽ, tum quę ad inferiorem vergunt, ad vrinam ſudoréſq; reuelles. Quin & vrina ad ſudores, & alui deiectiones retrahitur. Reuulſorium quoque auxilium eſt, mãmis admota cucurbitula. At præcordijs defixa, ſanguinis ad nares impetum repellit: ſicut & immodicum ex vtero effluxum. Porrò vergẽtes ad caput aut viſcera humores retrahũt acria in ſinus inteſtinorũ data medicamina. Summatim reuulſio tentanda eſt humoribus ſurſum fluentibus, ad inferiora: deorſum verò, in contrarium: intro autem vrgentibus, foras: ac rurſum foras tendẽtibus, intro. Sin ad dextram inclinent, ad ſini-

ſtram: ad ſiniſtram verò recedentibus, in partem aduerſam. Sic quæ retrorſum recedunt, prorſum reuelles: quæ verò prorſum vergunt, retrorſum ages.

DE CVCVRBITVLA.

Cucurbitulæ iis, qui antè euacuati ſunt, cõueniunt: nam in plethoricis, illis nõ vtimur. Eadem ratione in cerebri aut eius membranarum inflammationibus per affectuum initia non vtimur cucurbitulis, ſicut nec alia in parte nulla inflammatione obſeſſa: verùm vbi nihil etiamnum influat, totum autẽ vacuatum corpus fuerit, opúſq; ſit aut mouere, aut vehementius agitando amoliri quod in inflammatione obſeſſa particula reſidet, aut foras extrahere. Porrò dum naſcuntur adhuc affectibus, non in ipſis iam laborare incipiẽtibus partibus, ſed continuis ipſis, reuulſionis cauſa imponenda cucurbitula. Cucurbitula poteſt materiam euacuare, dolorem ſoluere, inflammationem minuere, inflationem diſcutere, appetitum reſtituere, ventriculo infirmo robur adijcere, animi defectione liberare, ex alto fluxiones transferre, ac ſiccare, ſanguinis eruptiones cohibere, tabificas ſeu corruptrices menſium facultates extrahere, menſes leuare.

In quibus cucurbitulę proſint.

DE SCARIFICATIONE.

Scarificamus partes corporis aut inflãmatione ſcirrhóve tentatas, aut tenſas, aut dolore vexatas, aut fluxionem expertas quæ iam radices egerit & confirmata ſit, aut acri materia infeſtante, aut ſi virulenta vis ab externo inciderit; aut vbi materiam ex alia parte in aliam traducere conſilium eſt, verbi cauſa crura ſcarificamus affecto capite: aut quum materiam in corpore exundantem minuere volumus, potiſſimũ vbi exundantia prouenerit à ſuppreſſa materia; quæ euacuari conſueuerat: puta hæmorrhoidibus ſuppreſſis crura ſcarificamus antè lauacro vſis, aut calida per ſpongiam fotis. Nam per annum venam ſæpius, incidere haud expedire arbitror: quòd vnà cum ſanguine vitalis excernatur ſpiritus. Atqui ſi hic copioſius abſumatur, fit vt tota moles redatur frigidior, operáque naturalia deterius perficiantur. Quamobrem à minus principalibus, puta cruribus, detractio facienda eſt. Prodeſt autem ſcarificatio & oculis diutina fluxione afflictis, tum capitis affectibus, item iis qui pectori dorſóq; eueniunt, adhæc anginæ, atq; impactis humoribus.

Vſus ſcarificationis.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE Hirudinibus, Reuulſione, Cucurbitula, & Scarificatione libelli finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

libri huius meminit ipse in libro de usu pulsuum et [illegible]

Claudij Galeni Pergameni an Sãguis IN ARTERIIS SECVNDVM NATVRAM CONtineatur liber, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Voniam quacunq; arteria conuulnerata, sanguis euacuari videtur, è duobus alterum necessariò existit: aut illum in arterijs ipsis cõtineri, aut aliunde transumi. Verũ si transumitur, cuiuis cõstat ipsas, cùm secundũ naturæ modum haberent, spiritũ solum in se cõtinuisse. Quod si hoc est, cõueniebat, vt in vulneribus spiritus ante sanguinem euacuari appareret: non autem apparet, quare neq; solus antea continebatur: id quod breuiori oratione hunc in modum demonstrari possit. Si vulneratis arterijs, sanguis statim euacuari videtur, erat igitur in arterijs sanguis, etiam antea quàm vulnus acepisset. Manifestum enim est, in hac oratione dictionem [statim] præpositam, veram efficere eius, quod connexũ sequitur, cum præcedenti consequentiam. Si enim absolutè, ac simpliciter, citra dictionem [statim] hunc in modũ dicatur: quòd si arterijs conuulneratis sanguis vacuari apparet, consequens habebit, id quod statim ab initio dicebatur: nempe, vel prius etiam in ipsis continebatur, vel nunc transumitur. Præpositæ autem dictionis [statim] cõsequens erat, in arterijs. quin & antequam essent conuulneratæ, sanguinem in se continuisse. vt tota oratio composita euadat, hunc in modum: Si arterijs vulnus expertis sanguis inaniri videtur, vel in ipsis arterijs cõtinebatur, aut aliundè transumitur: atqui vulneratis arterijs sanguis euacuari apparet, non autẽ transumitur, vt ostendemus: in ipsis igitur arterijs continebatur. Quomodo itaq;, non transumi, probabitur? Appareret nimirum ante ipsum spiritus inaniri: atqui non apparet, non igitur trãsumitur. Abundè hoc est ad demonstrationem ijs, qui neq; sectæ alicui addicti sunt, neq; veras orationes à falsis discernere ignorant. Quoniam verò nõ omnes eiusmodi existunt, pluribus forsan aduersus illos verbis opus erit. Aduersantur etenim Erasistrati sectatores, falsum esse connexum dicẽtes. Non enim verum esse aiunt hoc: si transumitur, spiritus ante ipsum euacuari apparet. potest enim euacuari quidem, nõ autẽ apparere: vt qui subtilium sit partiũ, leuis, & propterea facilè emittatur. Cogimur itaque denuo ostendere, eum nõ posse latere. Quomodo igitur demonstramus? Multifariam sané. Vt autẽ disputatio & clara fiat, & ordine procedat, necessariũ est illos ipsos dicere, quomodo spiritum euacuari velint: num suo ipsum impetu erumpentem, an ab alio quodam pulsum? Respondent autem non eodem modo omnes: sed alij ex suo ipsum impetu ferri pronũciant: alij à corde propelli. Quare etiam nos vtrisq; particulatim ostendere oportet, tanquã ijs qui adferant, quæ fieri non possunt. Auspicabimur autẽ ab illis, qui à suo ipsum ferri impetu dictitãt. Vel enim hunc prorsus sanè tenuiorem, veluti æthereũ, vel alio quodam modo calidiorem aëre nos ambiente ipsum esse pronunciabunt. Neq; enim tertiũ spiritus accidens enunciare poterunt, propter quod is ferri queat. Itaq; spiritus in arterijs contentus, aëre nobis circunfluo

Demonstrat, nõ solum spiritum in arterijs contineri.

Arterias anteq̃ vulneratę essent sanguinem habuisse probatur.

Sanguinẽ nõ trãsumi in arterias.

Spiritum non posse latere.

Spiritus in arterijs cõtẽtus qualis

subtilior haud fuerit, vt generatio ipsius docet. Siquidem fit, authore Erasistrato, ex ambiente nos aëre intra corpus, in primas pulmonis arterias, deinde in cor, & alias profectò. Proinde, quantò humidioribus conuersatur corporibus, tantò ipsum crassioré, & teneriorem fieri consentaneum est. Calidior auté euadit: sed vaporis modo sursum erumpens, neq; obscuram euacuationem, neq; adeò celerem habebit. Praxagoras igitur & crassiorem ipsum, & abundè vaporosum esse prodit: Erasistratus auté, quantam obtineat crassitiem non diffiniuit. At ex illis, quæ de eo profert, aliquis possit conijcere, nequaquam conuenire ipsum esse subtilem. Nam arterias eo repletas attolli, dilatariq; pronunciat: necnon musculorũ sinus consimiliter. cùm neutrum ex his vnquã fieri possit, si tenuis exactè fuerit. Non enim eiusmodi sanè contineri magis in corporibus, quàm emitti conuenit. Cur itaq; efflari non apparet, perinde ac is qui ex thorace, peritonæo, & gutture con uulnerato exit? Ridiculè forsan facimus, qui ex alijs ipsum colligimus, cùm liceat ipsos admonere arteriarum, ex quibus cũ sanguis confertim eiaculatur, manifestò efflari apparet. Vt enim calidior, sic etiam vaporosior sanguis arteriarum existit: non tamen per se vapor, aut æther, aut omnino spiritus in ipso contineri videtur. Etenim si acu tenuissima arteriam perforaueris, statim sanguis erumpit. Oportebat autem, meo iudicio, etiam si non ex magno vulnere, certè mediocri non celeriter, neq; insensibiliter, sed longiori tẽporis spatio illum euacuari. Prius enim quàm ille euacuetur, totus per vulnus spiritus excideret: cũ ipse Erasistratus dicat arterias longissimè sitas, primas transfusione frui. Quod si etiam non ab illo scriptum esset, necessariò tamen proposita argumenta sequeretur. Si enim spiritus arteriarum omnino sibi est continuus, adeóq; ad motum facilis, & tenuis, vt momento temporis promptè euacuetur, non is qui in diuisis arterijs est, solus vacuabitur: qui autem in alijs omnibus, permanebit. Cuiuis enim clarum est, eum qui in secta arteria est, priorem: reliquum totũ promptè subsequuturum. Ac primùm postremæ vacuationem experiuntur, cum alias non amplius habeat, vnde transumatur. In ipsa igitur primaria periculum est, ne locus reddatur inanis, nisi regionem spiritus qui transumitur, substantia aliqua repleuerit. Eóq; fit necessariò, vt sanguis per vasorum adapertionem, vt ipse ait, influens, pro euacuati ratione sequatur. Atq; hic, ceu illigatus spiritui, in extremarum arteriarum terminis contento, primus sanè totius alterius sanguinis, postremus autem totius arteriarum spiritus euacuabitur. Duo itaq; absurda maxima in oratione accident: prius sanè, arteriarũ spiritum totum per foramen acu factum euacuari adeò celeriter, vt sensum effugiat: alterũ, vniuerso vitali spiritu euacuato animal adhuc viuere. Verùm huiusmodi etiam paulo pòst persequi licebit. Ad id auté quod ex instituto superest, digressi, ostẽdemus, quòd si neq; à corde præmente spiritus arterijs distribuatur, ne ipsum quidem coincidentiæ decretum adeò esse probabile. Quid enim sibi vult prius, arterias extremè contrahi solere, quemadmodum & venas, vel quod verũ est, aliquousq;. Esto prius, nempe extremè cõtrahi, ne quicquam omittatur. Verùm si hoc est, vitiosa erit oratio & infinita, propter diuisionis defectum. non amplius enim licet dicere, spiritu euacuato, vel locum fore subitò inanem, vel cõtinuum subsequuturum. Sed commonefaciamus eum etiam tertiũ esse, quod in diuisione omittitur, nempe vas, quod euacuatur, cõtractum iri: atq; idcirco disputatio reddetur infinita. Vno siquidẽ omisso vero lemmate,

Spiritus arteriarũ non tenuis exactè.

nempe, atqui locus confertim vacuus non fit, non amplius licet dicere: igitur id quod est continuum sequetur. Sed quæ tandem erit conclusio? vel igitur continuum sequetur, vel vas contrahetur. Hoc sanè modo praua ostendetur coincidentiæ ratio, si arteria perfectè contrahatur. Sin autẽ aliquousq; illa rursus oratio praua demonstrabitur, si meminerimus quod in teneris calamis apparet, quos inflantes tantum distendimus, quantum natura distendi possunt: deinde iterũ aëris

Analogia calamorũ cũ arterijs.

per extremum tantum euacuatur, quantum calamus contrahi solet. Amplius enim calamus, cum inflamus, neq; extendi, neq; contrahi poterit. Nam quantum inflauerimus, tantũ vacuari modò necesse est. Quantũ verò aëris continuit, etiam prius quàm nos inflaremus, tantũ permanere ratio est. In eum itaq; modum etiã in arterijs habet. siquidem spiritus alius, etiam cõtractis ipsis continetur: emittitur autem alius à corde replente. Atq; hic ventres ipsarum implet, quo tempore egreditur, & distentionẽ molitur: vbi euacuatur ille, contrahuntur rursus, quantũ ab initio permiserit. Non igitur amplius hac quoq; ratione, vlla sanguinis coincidentiæ necessitas est. Nam præter alia, multo etiam vehementius nos ore calamis inspiramus, quàm cor arterijs. Porrò conuenit, vt id quod vehementius inflatur, magis minúsq; euacuetur. Attamen, etiam si calamum ipsum contra ventos omnes opposueris, ne sic quidem locus aliquis in calamis vacuus erit: verùm semper quidem spiritus qui defluit, viam habebit, spatiosam calami laxitatem. Sed nunquam adeò inanietur, vt alio quodam corpore vacuati regionẽ implente indigeat. Quoniam igitur institutum abundè demonstrauimus, quid prohibet nonnulla etiam ex alijs absurdis (vniuersa enim persequi, cum tot sint numero,

Absurda Erasistrati.

nemo possit) apponere? Vnum sanè, & primum absurdum est, nempe, oportere omnia in quouis vulnere, etsi cutis sola acu subtiliore sit conuulnerata, vniuersas sanè arterias sanguine repleri, febrim autẽ necessariò comitari. Clarum autẽ erit quod dicitur, si demonstratio nostra de ipsis arteriarũ vulneribus accommodetur. Atque sanè mihi tu considerato acum tenuem arteriam pungere, quæ per alas in totam manum distribuitur. Quid igitur secundum Erasistratum eueniet? spiritum videlicet ipsius euacuari: atque cum eo etiã illum, qui in propinquis arterijs continetur, simul inaniri. Vicinæ autem iam dictæ sunt, tum quæ ab ipsa in manum disperguntur: tum magna, quæ à corde venit, à quo hæc duxit originẽ. Iam si hæc euacuetur, necesse videlicet omnino est, vicinum ipsi sinistrum cordis ventriculum pariter euacuari: necnon illam quæ ad caput emergit, tum quæ ad spinam deorsum fertur. Si enim cũ quauis arteriæ parte euacuata, vicinæ vnà euacuantur (vicinæ autẽ sunt semper quæ ab ipsa producuntur, & à quibus hæc prodijt) nulli dubium est, sinistrũ cordis vẽtriculum, & commemoratas vtrasq;, cum axillaria euacuatum iri. Quoniam igitur ab altera ipsarum omnes colli & capitis arteriæ processerunt, ab altera quæ totum reliquũ corpus perreptant, constat, necesse esse, vt hæc quoq; vsque ad extrema euacuetur. Sed quamprimum ad terminos arteriarum spiritus euacuatio pertinget, fiet vt sanguis per orificiorum adapertiones, ex venis in ipsas arterias transfundatur: atque hîc solus spiritu euacuato partim ab inferioribus corporis partibus ad spinæ arteriam & cor perueniat, deinde sic ad axillam: partim à capitis regione ad eam quæ sursum fertur priorem scilicet, deinde per collum ad cõuulneratam. Sic etiam ex omnibus manus arterijs sanguis transumptus spiritum consequens, ad diuisam arteriam

deferetur: atq; totus ita in tota mole contentus ſanguis ad vulnus confluet. Sed hoc ſanè longè etiã veriſſimũ eſt. Apparet enim ex vna quacunq; inſigni arteria, niſi fluorem ipſarum impedieris, vniuerſus qui in tota mole continetur ſanguis, inaniri. Verùm refragatur, vt oſtendimus, non ijs qui ſanguinem in arterijs contineri dicunt, ſed Eraſiſtrato, & eius familiaribus, qui ipſas vitalis ſpiritus inſtrumenta eſſe pronũciant. Neceſſarium enim erit, arteria, quam dixi, acu vulnerata, primũ ſanè vitalem ſpiritum totum euacuari, deinde ſanguinem in omnes arterias tranſfluere: &, quod longè grauiſſimum eſt, in ipſum quoque ſiniſtrũ cordis ventriculũ. Deinde, quomodo non animal ſuffocatũ eſt, ſinu hoc ſanguine repleto? vel non interijt antea, cùm ſpiritus vitalis euacuabatur? vel muſculorũ motus non reliquit? vel ipſæ arteriæ non ſunt offenſæ? vel febris ipſum non eſt ſubſequuta? Omnia ſiquidem hæc, Eraſiſtrato authore, ita accidere erat neceſſarium, cum neque arteriarum motus ordinatos poſſe permanere exiſtimare, neque ſpiritus ſubminiſtrationẽ in omnibus particulis impediri: quoniam nõ omnino euacuatoria ſanguinis exiſtunt: febrémq; neceſſariò comitari, cum intra inguinum & axillarum arterias ſanguinis coincidentia acciderit. Atqui nihil horũ animali euenire apparet, id quod cuiuis volenti experiri licet, quemadmodum & nos ſumus experti, arteria quam prædiximus ſubinde conuulnerata. Non magno autẽ negotio ipſam inuenies, vel priuſquam cutem denudaueris, pulſibus attendens. nã motus indicat, in gracilibus ſanè animalibus manifeſtius, in obeſis autẽ prope cubiti articulũ. Hanc igitur, ſi opus habeas, conuulnerabis, vel ſtylo recto demiſſo, vel acu, vel aliquo ſcalpello medico gracili, aut eiuſmodi inſtrumentorum aliquo, quæ exiguam diuiſionẽ moliri poſſunt: vt alia omnia quæ prius dicta ſunt, pro loco ipſorũ demonſtres, & ne vel arteriarum vel muſculorũ motus offendantur. Non igitur ſolum magna arteria conuulnerata, ſed etiã exigua quacunque, & cute duntaxat, accidere hæc neceſſe eſt. non enim hunc vult trium vaſorũ plexum eſſe, vt ſi quãcunq; ipſorũ partem acu tenui pupugeris, omnino tria vaſorũ genera conuulnerẽtur. Pungatur itaq; in brachio cutis axillarum arteriæ incumbens, deinde ſpiritus perſpiratu viſum effugiẽte occultóq; euacuetur, quod Eraſiſtratus arteria vulnerata fieri cenſet: & cum eo euacuetur etiam continuus, qui in ſubiecta arteria magna axillas perreptante, cõtinetur. Omnino enim cutis corporis particulis incumbens, à ſubiectis arterijs proceſſus quoſdam accipit: imò ſi etiã ab alijs quibuſdã, nihil intereſt: quippe vnà euacuabuntur quæcunque ijs quæ in cute vulnerata habentur, ſunt continuæ: cum illis autẽ reliquæ vniuerſæ. Hæc enim paulò anteà oſtendimus. Deinde quomodo non abſurdum eſt, etiam ſi tenuiſſima acu vulnerata ſit cutis, omnes ſanè arterias ſanguine repleri: febrim autem neceſſariò comitari? Ad hæc ego putabam neminẽ contradicturum, perperámque intellecta arrepturum. Non tamen volunt. verùm vt luctarum prorſus imperiti, neſcientes dorſum ipſorum nonnunquã in terram proſtratum, ceruicem eorum qui illos deiecerint, retinent, neque ſurgere permittunt: eodẽ modo hi quoque, cum lapſuũ in orationibus ſint indocti, haud decedere nos ſinunt, nouos quoſdam ſubterfugiendi modos, ac ſtrophas molientes, multifariámq; ratiocinantes, vſque dũ aliquis & impudentiã, & inſcitiam ipſorum odio proſequatur, qui ab illis dimitti poſtulet. Qui etiam nunc non verentur dicere, ex vicinis ſolis vaſorũ adapertionibus ſanguinis in arterias tranſumptionem fieri, obliti nec

Eraſiſtratum ipſum extremas primū vacuari dixiſſe, neque hoc euidenter apparere in illis ipſis conſectionibus, quas iſte literis mandauit. Nam cū abdomen vnà cum peritonæo diuiditur, in meſenterio arterias manifeſtò eſt videre, in hœdis ſanè, qui recens lactarunt, lacte plenas: in adultis autē animalibus, diuerſas. Non tamen ſpiritum ſolum vnquā habere viſæ ſunt, quemadmodum neque alia quædā arteria denudata. Puto autem eos adeò imperitos eſſe eorum quæ in conſectionibus apparēt, vt ne ipſi quidem hoc ſciant, rectè Eraſiſtratum dixiſſe, extremas meſenterij arterias, conferentē ipſas nimirū cum ijs quæ in abdomine habentur. Arbitrantur enim fortè, vt ſitu, ita etiam continuitate vicinas ipſas exiſtere: ignorantes, vtraſq; à grandi iuxta ſpinā arteria prodire, quæ quidem in meſenterio habentur vniuerſas: ex ijs autē quæ abdomen perreptant, plurimas: ac nonnullas etiam ab inguinibus aſcendere. item quæ à pectore deſcendunt, meſenterij arterijs per magnam ſpinalem cōtinuæ exiſtunt. Non igitur fieri poteſt, vt affectus ab alijs ad alia diſtribuatur, neque vacuatio, neque aliud quicquam, quod non prius per eam, quæ ad ſpinam eſt, tranſierit. Cui enim ſimile potiſſimum exiſtat, etiam exponere tentabo. Conſiderato mihi arteriam, quæ ad ſpinam ſita eſt, ceu aliquem arboris caudicem: quæ autem ab ea naſcuntur, veluti ramos: æquales autem in propagines diffuſæ, ceu germina quædam & folia deſinunt. Quemadmodum igitur folia ſubinde à diuerſis ramis ſitu quidem vicina ſunt, longiſſimè autem à mutuo diſtant commercio, vt quæ caudicis interuentu vniantur: eodem modo etiam abdominis arteriæ ijs qui in meſenterio ſunt, proximè ſitæ, longiſſimo interpoſito ſpatio committuntur. Si igitur in extremas arterias (hoc enim ab initio dicebatur) ſanguis prius quàm in alias omnes tranſfunditur, idcirco neceſſarium erit, totum vitalem ſanguinē euacuari, vt ad vulneratas perueniat. hoc autē abſurdum eſſe ſuperius oſtendimus. Forſan igitur iam miretur aliquis, & inquirat, vnde in mentē venerit viris tam prudentibus, adeò inſigniter abſurdū dogma arripere ac tueri. Nō enim mēte capti, ſed omnes à probabilibus quibuſdam perſuaſi, eò peruenerūt. Ex quibus igitur ipſi hanc opinionē induerint, proprijs libris indicabunt. Quòd autē probabiles quidē, non tamē veras rationes ſequuti ſunt, ego oſtendere conabor, ſi prius communē circa omnium rationes errorē breuiter in memoriam reuocauero. Omniū enim quæ in humanā cognitionē cadunt, alia ſenſu, alia ratione deprehenduntur. Itaq;, vt multa ſenſibilia multis de cauſis ſenſus effugiunt, ita & rationē. Attamen vir ſtudioſus veri, neq; ab ijs quæ euidēter cognoſcūtur, propter abditorū ignorātiam recedit, neq; incognitis ob euidentiū cognitionē aſſentit. qui autē talis nō eſt, vel cum abditis ea quæ cognoſcuntur habet dubia, vel ideo etiā abditū aſſumit. prius ſanè accidit philoſophis, qui à cōtēplando, ſceptici dicūtur: alterū plurimis dogmaticis. Quomodo igitur aliquis in nullū eiuſmodi errorē incidat, alibi à nobis indicatū eſt. In præſentia autē Eraſiſtrati ſectatoribus errorē indicare conabor. nō enim ex proprijs demonſtrationibus arterias ſanguine vacuas pronunciarunt, ſed ex illis, de quibus alibi ambigebant, fidē euidenti derogātes. Quibus ſimile quid accidit, ac ijs qui motū tollunt, eo ꝙ rationem ipſorū diſſoluere non potuerint. Satius autē puto euacuationem, vt rem euidentem ſtatuere: rationem verò ipſius diſſoluere, ne vel tentare. Pari modo arterias ſanguinem quidem continere, inde, quòd ſi tenuiſſima acu fuerint conuulneratæ, ſtatim ipſum emanantem apparere con-

Experiētia & ratio.

cedendum est. Cur autem natura, quæ nihil facit temerè, duplex vasorũ genus, vnam continẽs materiam fabricata sit, seorsum quærendum est. Ita iam & illud, quomodo spiritus, qui per inspirationẽ attrahitur, per totum deferetur corpus, cum arteriæ sanguinem contineant: aut cùm nõ defertur, quomodo motus erũt voluntarij, aut quo pacto arteriarum motus permanet liber à nullo impeditus, cum nõ possit spiritui humidum citra pugnã conuersari. Huiusmodi enim problemata quidem sunt, quæ priuatim & per se, tum proponi, tum inquiri merentur: & forsan aliquis etiam infinita putabit, non tamen euidens possunt subuertere. Verbi gratia, primum inter ipsa dictum simillimũ est, ac si ruminantibus animalibus plures inesse ventriculos conspicatus, alium alimenti receptaculum esse dicat, alium potionis, alium spiritus. Non enim naturam, quæ nihil frustra facit, vnius materiæ causa multos fecisse ventriculos. Vt enim & hic vsus aliquis alius existit propter quem multi facti sint, etsi eandem recipiant materiam: ita habet etiam de arterijs & venis (etenim ambæ sanguinem continent, vti superiori oratione demonstratũ est): diuersam autem structuram sortitæ sunt, vsus cuiusdã gratia, quẽ in alijs commentarijs ostendimus. Iam ab illis rogare velim, quomodo arbitrarij erunt motus, aut quomodo arteriarũ motus seruabuntur ordinati, & quomodo sanguis spiritui adesse citra pugnam possit? Etenim tanq̃ confessum assumẽtes, oportere spiritum à corde ipsis transmitti, reliqua concludunt, ignorantes & hoc ipsum vitiosum esse, ac facilè vbi impingit deprehendi posse. Denudantes igitur nos frequenter magnas arterias quas licet (licet autẽ potissimũ eas quæ in artubus habentur) Erasistratios interrogemus, an etiam nunc, cum denudantur, sanguinẽ continere ipsis videntur? Illi autẽ necessariò fatẽtur simul quidem & ipsum Erasistratum dicere, dum cutis diuiditur, sanguinis ex arteria coincidẽtiam fieri: simul autẽ & id quod apparet ita habere. Nos enim arterias vtrobique denudatas funiculo intercipientes, deinde id quod in medio est excindẽtes, sanguine plenas ostendimus. Sed quomodo, inquiunt, spiritus qui inspiratu attrahitur, in totum corpus deferetur, cum arteriæ sanguinem cõtineant? Quid autem necesse est hoc fieri, cum totus contrà expirari possit, quemadmodũ & plurimis & diligentissimis tum medicis, tum philosophis visum est, qui non substantia, sed qualitate ipsius cor refrigerij appetens indigere pronunciant: atque hunc esse respirationis vsum. Assumunt igitur Erasistrati sectatores hîc quoque id quod est quæstio, priusquam demonstrarint: cum id ipsum rursus priuatim inquirendum sit, quemadmodũ nos fecimus, & omnes qui ordine de rebus cõtemplantur, simul inquirunt, & faciunt. Porrò demonstratũ à nobis est in commentariolo de respirationis vsu, aut planè paucum spiritus substãtiæ, aut prorsus nihil in cor trãsumi. Eundem errorem cõmittunt proponendo: quomodo arbitrarij motus erunt, aut arteriarum motus liber & sine impedimento, cum sanguinem contineant. Ostendam deinceps ipsas liberè citráq; impedimentum, non ad tactum modò, sed etiam ad visum moueri: deinde rationem exquiram, cuius sumptiones etiam apud illos ipsos in confesso fuerunt. Dicunt enim verum esse hoc connexum: Si autem & sanguinẽ arteriæ continent, & spiritu à corde replentur, motuum in ipsis ordo corrumpetur. Ipsum enim per se eiusmodi connexũ, si sanguinem arteriæ continent, motuum in ipsis ordo corrumpetur: neque illi audent dicere verũ esse, neque alius quis mentis compos: cum nimirum arteriæ possint,

An spirit⁹ substantia ad cor mittatur.

non quia à corde replentur,eleuari,sed quia eleuātur,ideo repleri.Conuenit igitur prius pro confesso habere,ipsas spiritu à corde repleri,si connexum verũ futurũ est.Vtrisq; enim positis,sanguinẽ ipsas continere,& repletas à corde eleuari, necessariò sequitur ordinis naturaliũ in ipsis motuũ corruptio,cum ex alterutro ea sequi nõ posset.Examinetur igitur oratio in arterijs denudatis hunc in modũ: si arteriæ & sanguinẽ continẽt,& à corde repletæ attolluntur,motuũ in ipsis ordo corrumpetur:atqui nõ corrumpitur,id quod apparet,non igitur & sanguinẽ continẽt,& à corde repletæ attollũtur. At Erasistrati studiosi & duas sumptiones, cõnexam & oppositã arripientes,haud noui quomodo non conclusionẽ adhuc assumant:fortè ignorantes quæ ne vulgares quidẽ latent.Nempe ex cõnexo & opposito consequentis,oppositũ antecedentis concludi:vt antecedens in oratione sit,non solùm arterias continere sanguinem,verùm,vt paulo antè ostensum est,etiã à corde repletas eleuari,conclusio erit huius cõplexus affirmatiua.Quod enim in toto pronunciato connexo præcedens erat,implexũ est:consequens autem simplex.deinde assumpto consequenti,oppositum implexi necessariò concluditur.Ad hæc igitur cũ nihil possint dicere,ceu ad aram quandam misericordiæ confugiunt,ad Pyronæam nempe rusticitatem: non rectè fieri dicentes,vt medica contemplatio dialecticis subtilitatibus subijciatur.Deinde cum nos rursus ipsos interrogamus,num confessis sumptionibus inferre quodcunq; liceat,an methodus quædam sit & ars,quæ doceat,quibus confessis quid concludatur: ad hæc quidem nihil respondent,semper autem inter se cõtendunt.Quid enim respondere possunt mentis inopes,qui ne norunt quidẽ,an vlla sit methodus?Verùm licere dicunt, quodcunq; ex concessis sumptionibus simpliciter inferre:aut methodum quidem esse, sed non ea ad demonstrationes vtendum. At vtraque vehementer absurda.Prius enim si dixerint,quẽadmodum iam aliquis impudens dicere ausus est,deinceps audient à nobis eiusmodi sermones quales ille etiã audiuit.Arteriæ duplicem habent tunicam,item sanguis ipsarum flauus est:nõ igitur spiritum solùm,sed etiam sanguinem arteriæ continent.Ac ridentibus ipsis, nos commiscentes alium eiusmodi sermonẽ induximus:corui nigri sunt,sed & olores albi:non igitur spiritus solus in arterijs continetur.Ac rursus ridentes,tertium eiusmodi à me audiuerũt: ignis calidus est,sed & nix frigida,& tu stultus: non igitur solus spiritus in arterijs contineri potest.Si enim in totũ liceat ex datis sumptionibus quodcunq; inferre,& nulla methodus sit conclusi inuentionis, quid prohibet huiusmodi proponere enunciata? at si ars quædam & methodus existit,quibus cognoscitur,quibus concessis quid colligatur:vtrũ is qui ignorat eam,aut qui nouit quidem,non autẽ vtitur,magis tibi sapere videtur,quàm qui nouit & vtitur?Demiror autẽ vos,ô Erasistratij,quomodo Erasistratũ frequẽter laudibus extollentes,cum alijs nominibus,tum ꝙ Theophrasto conuixerit,logicas methodos fugere audetis dicere,sine quibus neq; Theophrastus,neq; Aristoteles scribere quid sunt aggressi.Hæc nonnulli ipsorũ vix reueriti,tanquã ex alto somno excitati,non adhuc rusticè & agrestium more,sed iam secundum rationẽ & humaniter educati disserere tentarunt.Et quid (dicunt) magis colligeretur ex hac sententia,arteriæ non & sanguinem continent,& spiritu à corde replentur? Nos sanè hoc ipsum dicimus, malè vos inferre:non igitur arterię sanguinẽ continẽt.Non enim hanc esse conclusionẽ,sed illam:nempe,non posse in idem con-

currere, & sanguinē has continere, & spiritu à corde repleri. Deinde autem rursus ex hac nōnunquam etiam sanguinem ipsas complecti colligimus. Erit enim oratio huiusmodi: si arteriæ sanguinem continent, non igitur à corde spiritu replentur: atqui sanguinem non continent arteriæ, igitur à corde spiritu replentur. Post quod rursus, si libeat, superiorum memores rursus in eum modum proponemus: Si arteriæ plenæ sunt sanguine, atque hæ ordinatè pulsant, & eas quæ ab ipsis propagantur, similiter moueri non prohibent, num quia à corde spiritu replentur, pulsant, an ob aliam causam? atqui nō primum, igitur secundum. Deinceps autem rursus hoc modo proponemus: aut arteriæ eo quòd à corde spiritu replentur, attolluntur: aut quia attolluntur, replentur. Sed nō primum, igitur secundum. eo quòd facultas quædam tunicis ipsarum insit, à qua attolluntur, totúmq; continuum ex vniuersa ipsarum parte, vndecunq; licet attrahitur. Considerato autem adhuc magis in exemplis differentiam, qua repletum distenditur, & distentum repletur. Etenim vtres & lagœnæ repletæ distēduntur attolluntúrque, folles autem fabrorum eleuatæ replentur. itaq; arterias vel priore vel secundo modo repleri necessariò cuiuis cōstat. Quomodo autem veritas ipsa habeat, etiam in alijs commentarijs abundè ostensum est. Necnon in præsentia pronunciatum est, ipsas cum attolluntur, ex omni vicino per extrema & foramina attrahere quodcunq; promptissimè distentas ipsas possit replere. Vel enim hoc omnino est, vel alterum. sed illud falsum esse ostendimus: constat igitur hoc esse verum. Quare si ambigant qua ratione spiritus à corde in vniuersum corpus deferatur, eo ꝙ arteriæ sanguine plenæ sint, haud negotiosum est dubitationē ipsorum dissoluere: si dicamus non mitti, sed trahi: neq; ex corde solo, sed vndequaq;, vt Herophilo, & ante hunc Praxagoræ, Philotimo, Diocli, Plistonico, Hippocrati, alijsque innumeris placet. Quòd verò cor facultatis arterias attollentis veluti fons quidam sit, & hoc alibi à nobis ostensum est, & prædictis omnibus viris in confesso est. Ac multo magis physicum est ita opinari, quàm vt putent spiritum per ipsas, ceu inanimata quædā corpora, deferri. Nam animal facultatis transumptione, non substantiæ complexu à cadauere differt. Verùm de his disserere, huius loci & instituti nō est: neq; vt disputationem absolutè persequerer, ipsam incepi. Quippe, cum in alijs abundè de his agitatum est, tum verò maximè in commentarijs de Hippocratis & Platonis placitis. Vt autem ostenderem, quibus decepti Erasistrati sectatores absurdam adeò opinionē induerint, horum quoq; decretorum meminisse coactus sum. Atq; vbi adhuc vnum nunc ipsis apposuero, ex ijs videlicet, quæ in consectionibus apparent, librum hîc finiam. Est autem id quod apparet, tale. Quòd si aliquā ex manifestis simul & grandibus arterijs nudare velis, primum cute, deinde etiam subiectis adiectísq; corporibus, vt funiculum ei possis circundare, ac deinde, vbi per longitudinem laxaris, cauum imponere calamum, aut æreum quendam canalem intra arteriam per adapertionem, vt vulnus eo obstruatur, impediatúrq; sanguinis profluuiū, vsq; dum ita habentem consideres, totam pulsantem videbis. Postea quam verò fune circundato arteriæ tunicam ad calamum strinxeris, non adhuc partes post funem sitas pulsantes contuebere, etsi sanguis & spiritus per calami cōcauitatē, ad arteriæ extrema pari modo deferatur. Atq; si ita possent arteriæ pulsare, pulsarent nimirum etiā nunc particulæ ante fines ipsarum post funem sitæ: atqui non fit. quare constat,

Arteriæ vnde attollantur, submittātúrque.

ſi facultas quidem conquieſcit, non à corde ipſas moueri: tunicis autem ipſarum illam diſpenſari. At quæ ab Eraſiſtrato de arteriarum motu dicta ſunt, falſa planè exiſtimo. Nam antequam arteriæ nudatæ motus ceſſet in partibus à fune ſitis, quod non fieri licebat ante funem ipſi circundatum, omnē vno tempore moueri cernas licet: nō aliam ipſarum partem prius, aliam poſterius, quod Eraſiſtratus exiſtimat, etſi vehementer ea ſint abſurda. nam prius quàm ea ſanguinē contineat, forſan aliquis tam celerem ſpiritus lationē eſſe conceſſerit, vt ſenſum effugiant, quales tandem arteriæ ſint particulæ, quæ prius attolluntur. cum autē repleta ſit ſanguine, haud fieri poteſt, vt ſpiritus forſan, quemadmodum prius, à corde ad arteriæ extrema perueniat. Verùm ſi hoc quoq; ita dixi, fortè non concedet inferiorum ipſius partium motus, poſtquam calamus in arteriā cauus fuerit demiſſus, antequam funis circundaretur. At quies immobilitáſq; earum partium quibus funis circundatus eſt, euidenter indicat facultatem, quæ arterias eleuat, à corde tunicis ipſarum tranſmitti, non materiam per cauitatem. Vt enim cum pedis digitum mouere volumus, ſtatim ipſum mouemus, non in ea parte rationem habentes, ſed facultate quadam momento temporis ad ipſum diſtributa: ita etiam in corde & arterijs accidit. Etenim facultates celeritas motus teſtatur, materijs autem aduerſatur. Hæc ſi quis obſeruet poſita, vt Ariſtoteles dicere conſueuit, noui certo quòd firmiter inſtitutum ipſius demonſtrare videbuntur. ſi non obſeruet contentioſe quæ propoſuit, neque ab hoc perſuaderi, neque ab alia demonſtratione, neceſſarium eſt, ſed contra ea quæ ex conſectionibus apparent ementiri. Iam ſcribunt plerique quoſdam conſectionum modos, quibus arterias ſanguine vacuas eſſe oſtenſuros ſe promittunt: deinde nullus ex ipſis verus eſt. ſiquidem dicta ſunt etiam ab Eraſiſtrato multo his maiora, quæ impudenter contra ea quæ ex anatomis ſuppeditantur falſa confingit. Verùm non erat Eraſiſtratus adeò impudens, vt ſcribere aggrederetur, quæ nulla planè ratione videri poſſent.

CLAVDII GALENI PERGAMENI AN SANguis in arterijs ſecundum naturam contineatur libelli finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni de purgãtivm medicamentorvm facvltate libellus, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Adẽ de causa medici vetustissimi prauas opiniones reliquisse irreprehẽsas videntur, qua grauissima etiã delicta antiquissimi legũ latores impunita fuerũt. Cũ enim eo tẽpore minor esset hominũ malitia, vt qui neq; maxima crimina perpetrare aggrediebantur, neq; manifestissimis impudenter cõtradicere: quomodo aliquis punitionẽ ijs quæ nondũ admissa erãt præscriberet, vel redargueret ea quæ nemo prorsus dixerit? At quia tẽporis spatio eò creuit hominũ prauitas ac malitia, vt nihil non aut facere aut dicere ausi sint, legũ latores multas punitionũ rationes nouas adinueniũt, quibus facinorosos plectant: veritatis autẽ studiosi varias cõtra sophistas reprehẽsionũ species excogitãt. Quod sanè & nos in præsentia facturi videmur, eos qui medicamẽtorũ purgantiũ vim attractricẽ humorũ quos euacuãt, è medio tollunt, mutatoriã verò quandã omniũ ex æquo illorũ, quæ ipsis appropinquãt, conuersantúrq;, habere dicũt, reprehendentes. Aduersus quã opinionẽ Hippocrates nihil prodidit. nondũ enim vel Asclepiades illius tẽpore vixerat, qui manifestis impudẽter refragatus est, & ceu præmiũ aliquod cõtra veritatẽ reportaturus: vel Erasistratus, qui pudore quidẽ aliquo præditus fuit, nihilominus totã illam summã, quæ de medicamẽtis purgãtibus manifestò existit, subuertere tẽtauit. Etenim efficacissimã familiarissimãq; naturæ vim attractricẽ in nullo ipsius cõmẽtario Erasistratus cognouit, sed cõsequẽtia potius ad id quod euacuatur ipsius loco vtitur. At familiariũ attractricis facultatis pars est ea quæ in purgãtibus medicamẽtis cõtinetur, quẽadmodũ etiã illa qua bilis & vrina secernitur, aliáq; multa quæ in secunda animaliũ valetudine à natura obeũtur, & in morborũ curationibus, morbísq; ipsis, tũ à medicis, tũ ab ipsa maximè natura perficiũtur. Quoniã igitur Hippocrates nihil dixit aduersus eos, qui ex rerũ natura attractionẽ tollũt, eo ꝙ neq; tã audacẽ patronũ oratio tũc habebat, quales multi post eũ extiterũt, æquũ fuerit pro veritate, Hippocratis loco, nos certamẽ suscipere. Ac primũ sanè qualenã dicãt admonere viros oportet, deinde nõ rectè ipsos dicẽtes ostẽdere. Sentẽtia ipsorũ eiusmodi est. Purgãs medicamentũ quẽcunq; humorẽ cõtigerit, hũc in propriã ipsius speciẽ immutat, bilẽ quidẽ flauã efficiẽs, id quod ab ea ducẽda cholagogũ nominãt: quẽadmodũ & pituitã, quod ab illa mouẽda phlegmagogũ dicitur: aquosam verò quãdã naturã efficiens, quod nominãt hydragogũ: aliud sanè atrã bilẽ reddens, quẽcunq; attigerit humorẽ. In summa, omniũ humorũ, qui in venis sunt, mutatio alteratióq; est, nõ vnius ipsorũ vacuatio, quæ appellatur purgatio. Sic horũ sentẽtia habet. Sed age, si placet, dicamus iam ad ipsos siue bilẽ ducẽs, siue pituitã, siue atrã bilẽ, siue serosam humiditatẽ, aliquis medicamẽtũ assumpserit, vniuersos ex venis humores vacuari. Atqui hac ratiõe sola purgatio ab huiusmodi medicamẽto petita, differt à sanguinis euacuatione per venæ sectionem, ꝙ in hac ille qualis prius erat excernitur: in purgationibus autẽ inalteratur, nõ colore tantũ, sed etiã

Asclepiadis & Erasistrati opinio de medicamentis.

cōsistentia. Quod enim aquosa ducit, liquida & tenuia omnia, quæ in venis sunt, efficit, etiā si antea fuerint crassissima: quod autē atrā bilē educit, econtrario omnia crassa firmáq;, etsi antea fuissent liquidissima. Proinde venæ sectionis, purgationísq; secundū alios sanè quosdā scopos delectus erit: secundū ipsam verò eorū quæ euacuātur, speciē, nō erit. Sed qui alij scopi existūt? multi quidē ad sanguinis missionē alijs propriores existūt, nōnulli verò ad purgationē, sicut etiā alij quidā citius patietur q̃ venæ sectionē. Nōnulli verò aliquā corporis particulā potius præcidi sibi sustinēt, q̃ medicamentū bibāt. Quinetiā aliquibus stomachus à medicamētis purgantibus subuertitur. Alij citra offensam assumunt.

Scopi delectꝰ missionis sanguinis & purgationis.

Ex huiusmodi itaq; scopis alijs venā secabimus, alijs purgās medicamentū exhibebimus: nō illis auscultātes opinionibus, quibus Asclepiadæ sanguinis missionē æqualiter omnes in venis humores euacuare putabāt: purgationē verò nō æquè, sed vnū aliquem, eúmq; solū cuicūq; educēdo efficax medicamētū esse dicatur. Quare & sanguinē ab huiusmodi medicamētis purgari, nō euacuari vt in venæ sectione tradūt. Hæc vestras hypotheses sequitur, velitis nolitis. Reuocabo autē vobis capita ipsarū in memoriā. Asclepiadis sanè imitatorū sentētia, omniū ex æquo in venis humorū vacuatio per sanguinis missionē par est: in purgationibus autē nō ex æquo par, sed aliorū detractio, vt sanguis purus euadat. Erasistratiorū iudicio omniū ex æquo par est, vt in sanguinis missione, ita etiā in purgationibus vacuatio: quas neq; purgationes reuera, sed euacuationes vnà cū corruptione & alteratione eorū quæ euacuātur esse dictitāt. Itaq; sophistæ, tū qui modicè, tum qui extremè impudētes sunt, ad certamē venietes pugnent, tanq̃ in stadio, mecū, nō verbis, neq; nugis lōgis, sed ipsis operibus. Ad quæ in hac vrbe populosissima prouoco, cū quotidie in ea mille inueniri possint, qui arquato laborēt, mille qui aqua inter cutē affligētur.

Exēplū, medicamētū familiarē, humorē trahere.

Sufficit enim mihi de his primū sermonē instituere. Ducatur aliquis horū ad me qui citra febrē totū corpus amara bile refertū habeat, videátq; quomodo postquā diebus aliquot hominē præparauerim, vbi iā tēpus esse videatur, dato aliquo medicamēto, quod per aluū bilē ducat, ad naturalē habitū huiusmodi purgatione hominē reducā, nihil prorsus adhuc de corpore solicitus. Atqui id nos nō semel aut bis, sed admodū sæpe ostendimus semimalis istis sophistis, ac multos in meliorē sentētiā perduximus. Nō tamē huius gratia, ô sophista, fidē te vellē accōmodare testimonijs, sed teipsum, cū voles, intueri, arquato laborātē ex vna purgatione naturalē colorē recipere. Cū itaq; id fieri videas, ô generose, audésne in medio cōsistēs voce clara instar præconis elata longū sermonē producere, qualē sæpe discipulis, nēpe vnūquodq; purgans nō familiare, sed id quod in venis cōtinetur totū, qualecūq; fuerit mutare, ad quod medicamēti facultas id alterare natura potest. Atq; nūc ille qui arquatū curauit, non quia humor sit euacuatus, sed cōmuni euacuationis ratione iuuit. Videte igitur, quomodo ego ex ijs qui ita habēt, alterū vel sanguinis missione, vel quodam alio quod ventri ducendo est exhibito, similiter iuuero. Hæc loquutus, deinceps è duobus arquato laborantibus, alteri venā secato, alteri eiusmodi quodam medicamento in aluū ciendā efficaci euacuato: quòd vniuersi sanè homines atram vacuare, tu autē non vacuare, sed generare persuasum habes. Deinde si iuueris ipsum, corpus reddens coloratum, quodcūq; voles me pati, tibi concedam: sin autē nihil homini fueris opitulatus, sed summam intuleris noxam, in optimum statum restituito, & Hippocratis artem imitator.

Verùm de ictericis sat multa. Ad eos qui aqua subter cutem laborant digressus, contemplator rursus hunc quoque, an similiter ex venæ sectione, & medicamento aquam ducente afficiatur. Nisi enim ostendero aquosam superfluitatem in inferiori ventre contentam à medicamẽto euacuari, tunc vetus dogma damnare tibi licebit, quòd docet non huiusmodi humorem generari, vt tu dicis, sed à medicamento ex corpore attrahi. Contra nos autem quod voles facito, si tamen medicamentum quod atræ bili aut flauæ ducendæ est, non molem inanies: atque ita singula medicamenta proprium quendam humorem attrahunt. Tu si arbitraris omnes similiter immutari, & vacuationem esse communem, non purgationem, id quod fit, integrum tibi est venam secare. Hæc si quidem apud Indos aliquis agens scripta citaret, difficilè esset eum reprehendere: quoniam verò homo quotidie à nobis conspicitur, præterea ex operibus reprehensio adducitur, haud noui quomodo vos nõ pudet nugari. Omitto dicere, ꝙ multorũ arquato laborantiũ corpus vna biliosi humoris purgatione purũ reddidi. id quod mille etiã testabuntur. At si sophistæ impudentissimi fingãt se omnibus hominibus fidem non accõmodare, videãt ipsi id quod fit opus, quomodocũq; voluerint. At quid dico videant? cũ iam sæpius id ipsis ostẽderim, meminerímq; cuiusdã qui id genus nugacitatẽ aliquã celebrat. Dixit enim non vnã quandam humorũ speciẽ à singulis medicamẽtis attrahi, verùm absolutè singulos ipsos trahere hirudinis modo: attractionẽ verò id quod in humoribus tenuius est prius subsequi: post illud, id quod crassius est: deinde ita crassissimũ. Quorũ itaq; medicaminũ robur citius dissoluitur, in aquosis vacuationẽ sistere: quorũ autẽ diutius perdurat, flauam etiã bilem euacuare: quæ valẽtissima inter hæc existũt, atrã quoq; bilẽ attrahere. Statim igitur talis bene dicere cõgerronibus visus est, ac omnes ipsi acclamarũt: magnóq; cursu relictis nobis discessit, intelligens opinor certò, ꝙ si maneret, reprehensum iri. Postridie cũ librum quendã applausoribus ipsius exhiberemus, in quo tã subita facinora reprehenderẽtur: dũ is postea illis ipsis nõ similiter persuadebat, nõ habebãt quo proposita possẽt dissoluere. Hæc enim in libello cõtinebãtur. Heri quidẽ disputationi te subtraxisti, simile quid faciẽs pugili, qui corona arrepta aufugerit, anteꝗ̃ certaret. Hodie verò reprehensionẽ nõ effugies: comitabitur enim te libellus hic in manus chorũ circa te ducẽtiũ incidẽs. neq; enim minus ad illos, ꝗ̃ ad te est sermo, qui nunꝗ̃ sanè antea audiuerint te in vllo prorsus eorũ quæ in rerũ natura sunt, attractionẽ esse concedentẽ. Heri autẽ audiuerũt omnia cõmuniter in venis cõtẽta à medicamine attrahi cõfitẽtẽ. æquũ enim erat ipsos nõ solũ admirari, aut dictũ planè efferre laudibus, sed expositionẽ eorũ quę ab initio proposita erãt, expectare. Nã de vrinarũ discretione, flauę bilis & atrę, aliisq; omnibus actionibus corporis multas subinde oratiões habetis, quiduis potius, ꝗ̃ in vnaquaq; parte familiariũ sibi attractionẽ, esse functionẽ quandã naturalẽ, concedẽtes. Nunc autẽ non solũ attractionẽ esse admittẽtes, sed etiã omniũ simpliciter: quæ multo maior est cõfessio ꝗ̃ si dicas familiariũ. etenim sicut facultas quædam alienorũ expultrix inest animalibus, ita familiariũ vnicuiq; rerũ attractricẽ aliquã esse omnibus hominibus cõsentaneũ videtur, qui nondũ vestra sapiẽtia sunt infatuati. At omnia æqualiter à quodã attrahi siue qualitatibus familiaria, siue maximè sint cõtraria, mirandã fatetur absurditatẽ: ita nõ solũ attractione cõcessa, sed etiã multo deterius ꝗ̃ cõueniebat, nẽpe nõ familiariũ duntaxat, sed absolutè omnium ad-

missa, videris mihi non magis dignus esse, qui à commilitonibus tuis lauderis, quàm qui reprehendaris. Porrò quòd neque vnquam medicamētis purgantibus vsus sis, sed imperitus ignarúsque operum medicinalium, ego id quoq; celeriter demonstrare posse videor. Quæ purgare solent bilem atram, statim ab initio atram vacuant: differunt autem inter se vacuationes, quòd alia humidiora sint, quæ sequuntur semper magis esse crassiora. id ipsum & pituitam & flauam bilem purgantibus inest. Etenim initio singula familiarem humorem trahunt, sed temporis spatio crassiorem: non tamen vt tu arbitraris, aliquis prius totam peluim seroso recremento impleuit, deinde aliā bile flaua, postea aliam pituita, postremò ita atram inanit. quo constat à medicamento familiare attrahi, comitari autem ipsum aquosum quod redundat, id quod tibi etiam nunc videre licet, si nunquam antea videris. Plurimum sanè aquosum biliosúmq; ex huiusmodi medicamētorum vsu homines euacuare, paucissimam autem vniuersam vacuationem ex ijs quæ atram ducunt ipsis fieri. Conueniebat autem semper plurimū sanè totum ex his quæ atram bilem purgāt secundum tuum institutum euacuari: paucissimū verò, ex ijs quæ aquosa biliosáq; mouent. etenim pro medicamentorum imbecillitate & robore, ratio tua speciem eorum quæ euacuantur discernit, vt in ijs quæ atram bilem educunt. Quia verò robore hæc ab alijs differunt, permulta erit euacuatio: primò sanè totius aquosi recremēti, deinde biliosi, mox pituitosi, deinde atræ bilis. At in lenibus ventrem ducentibus medicamentis sola ipsa aquosa euacuabuntur: sed nullum horum fieri apparet. Quare hæc apparentia rationem tuam subuertūt. Aequum verò est respondere te, cur cum crassiora semper post tenuiora euacuentur, atra bilis prior sanguine trahitur, etsi veluti limus quidam sanguinis existat, veluti in vinis fæx. Forsan igitur rogabis, an aliquod sit medicamentum, quod statim ab initio sanguinem ducat? Est, ô præstantissime, verùm nullus eo vtetur. Forsan dices, quid ita? quoniam hoc iugulare esset hominem, non purgare. etenim purgantia ob hoc ipsum ab omnibus nominantur purgantia, quòd sanguinem à cōmemoratis recrementis purum reddant. Non tamen adeò quis sapiens est medicus, vt totū quidem sanguinē velit euacuare, alios autē humores in corpore relinquere. vnde inter deleteria id genus omnia annumerāt, quæ sanguinis vacuationē per venas vētris & intestinorū moliuntur. Sed neq; hęc secundū tuā hypothesin sanguinē euacuare ab initio oportebat. Nomina huiusmodi medicamentorū, neq; si certò scirē in libris vellem indicare. sed illud solū tutum est dicere, quid mihi cū apud Thraces Bithynos essem, puero adhuc acciderit. Inuenit aliquis herbā eiusmodi, vt qui eam assumeret, excerneret sanguinē, atq; ita periret. Cum itaq; multi simili modo interirent, inquirendum diligentius id quod fieret cēsuerunt, inuenerúntq; medicatorē, duxerúntq; ad populi præfectū. Qui vbi studeret non solùm ipsum hominē occidere, sed etiā si quis alius vel docuisset ipsum, vel ab eo didicisset: ille sanè dixit à nullo se herbam didicisse, verùm iecur quandoq; porcinū in suburbium quoddam deferens amoto ventre ipsum herbæ superposuisse: deinde cum rursus attolleret, sanies cruentas ex toto hepate ad herbam diffluentes conspexisse. inde sumpta coniectura, verisimile esse herbam sanguinē attrahere, dedisse alicui eorum in quos inciderat, experimēti gratia: postquam verò quod sperauit inuenisset, perperam in posterum vsum esse. Quin nec se indicasse alicui mortalium herbam affirmauit.

Hæc dixit pharmaci author ille diutiſſimè inquiſitus. At populi præſes, quoniā ex narratione, quam de herba fecit, multam vbique naſci dixit, oculis obtectis, neci traducendum iuſſit, ne alicui interea oſtenderet. Quapropter, vir optime, multa ſanè veriſimile eſt eiuſmodi facultate prædita medicamenta inueniri, quæ ſtatim ab initio ſanguinem traherent: verùm ea ſubticeri ratio eſt, quemadmodum alia deleteria ab omnibus qui mentem habent ſupprimuntur. Fuerūt enim nonnulli qui etiam de horum diſciplina copioſe portentoſam quandam communionem indicarunt, ſcripſerúntque cuiuſq; deleterij præparationem: ſed non ex iis qui mentem habent tales exiſtunt, ſicut neque vos ſapitis, ſi nos interrogetis, quæ medicamenta ſanguinem ducāt. Rurſus igitur ſermonem ad id quod ab initio inſtitutum eſt reducamus. Qui omnes ex æquo humores attrahi dicit, ſed maximè fluxiles primos, mox alios excerni, grata mihi prodit, dum attractricem facultatē in rerum ſubſtantia eſſe confitetur: pro qua chorus ipſius impudenter de bilis & vrinæ diſcretione, diſtributione, aliorúmque huiuſmodi abſurda dicere ſuſtinet. Præterea apparentibus contraria ſtatuit, quemadmodum ſuprà indicauimus. Si enim vera hæc hypotheſis, copioſiſſima ſanè vniuerſa euacuatio ex his quæ atram bilem ducunt, pauciſſima verò in his quæ ſeroſa recrementa purgant, erit. Atqui indicabo tibi milies, ſi voles, ô ſophiſta, vel nunc ſaltem artis opera contemplari, vacuationem ſanè copioſiſſimam medicamenta aquam ducentia comitari, ea quæ atram bilem purgāt pauciſſima. oſtendam autem & per initia ſtatim atram illam euacuari. Qui igitur omnes ex æquo humores attrahi pronunciat, adeò ſtupidus imperitúſque eſt: qui alterari, videat rurſus quàm nihil ipſo authore interſit ſanguinémne mittas, an medicamento, quod bilem ducit, arquato laborantem purges. Eodem modo idem valebit ſiue ſanguinē aqua ſubter cutem laboranti detrahas, ſiue medicamento quodam aquā ducente eum euacues. Deinde pulchra hæc pleriq; medicos ſibi inuicem contradicere audientes merito derident, damnántq; omnes ſermonē, atq; eos qui aliquid quomodocunq; eloquuntur, nominăt logiatros. Quod enim dicere ſemper cōſueui, id nūc quoq; occaſionē habet, nempe quemlibet idiotam huiuſmodi ſophiſta eſſe præſtantiorē. Si enim nihil aliud, certè naturales notiones idiotæ conſeruant, cum ſophiſtæ has quoq; ex praua cōſuetudine perdiderint. Ecce enim idiota quiſpiam non mentis inops, exortis ſibi de repente in pleriſque corporis partibus puſtulis, tum vlceroſis, tum diſcoloribus, venit ad medicum cupiēs quàm celerrimè purgari. Cum autem ille ſanguinē detrahere potius ipſi præcipiat: an inſanis, inquit? nam vnà cum vitiato bonum ac benignum euacuari conſentaneum eſt. At qui omnia potius quàm Hippocraticum ſermonem verum eſſe volunt, cōmunes notiones præ cōtendendi ſtudio perdunt, ac deinde nos inſiliunt tanquā diſcerpturi: in ipſis autem operibus reprehendi oderunt. quanquam æquum ſit, vt nos illos incuſantes, quòd Hippocratem ignorēt toleramus, perſuadere aggredimur: ita etiam ipſos ſuſtinere reprehenſiones, ac maximè ſi fieri poſſit, docētes adamare: ſin minus, certè non omnino odiſſe. Nuper enim cum aliquis ex huiuſmodi attonitis medicis audiuiſſet me cōplures qui alopecia laborarent vna purgatione curaſſe, inde me odio cœpit proſequi. Iam alius quidam, quòd cācroſas diſpoſitiones incipientes, & elephanres dictos, phagedænas, aliáq; multa maligna vlcera, ſimiliter odio habuit: alius autem, ꝙ vertiginoſos ſolis purgationibus perſanaſſem:

alius, quòd furiosos, morbo comitiali pressos, melancholicos, præterea cephalæa laborantes nō paucos solis purgationibus medicatus sim, sicut & coxendice occupatos, pari modo dolores diuturnos multis locis dispersos. Item ex his colicū nuper, cum tribus iam mensibus medici illum curarent, & res in deterius vergeret, omnia illa abijcere iubens, solis purgationibus curaui. Item fluxum muliebrē non ignobilis cuiusdā Romanæ mulieris, solis purgationibus sustuli, sicut & aliarum multarū obscuriorum, tum eundem hunc affectum, tum alios quosdam in vtero cōsistentes. Quid opus est dicere erysipelatum nullum esse præsentius remedium, quàm medicamentum bilem educens, sicut maximè ipsis contrarium quod pituitam mouet? Dies me deficeret, si alia miranda opera, quæ purgationes comitantur, vellem recensere, quæ ignorare verisimile est illos, qui nunquam circa purgantia medicamenta artem didicerunt. Vbi enim ne esse quidem prorsus aliquod medicamentum arbitrantur, an in quibus, aut quomodo vtendum sit, scient? Propter hanc causam alij nuda, soláque experientia ducti affectibus medentur. Sapientes autem hi etiam ratione, non quòd aliquid per experientiam inuentis adijcere, sed etiam hanc subuertere conentur, multo deterius medicantur, quàm qui simplici solóq; vsu citra rationem nituntur: quorū omnium origo & fons vnus est, odium quod aduersus Hippocratē conceperunt. Vnde cum alia multa, tum hæc ipsa præsens consideratio de attractrice facultate emanauit, cuius pars, aut species, aut quomodocunq; appellare libet, purgantium medicamentorum facultas existit.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE PVRgantium medicamentorum facultate libelli finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.

Claudij Galeni Pergameni Quos Purgare, et qualibus in id efficacibus medicamentis, & quando oporteat libellus, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.



Qui sani sunt, ægrè & grauiter purgationem ferũt: siquidem vertigine & torminibus, quos στρόφους Græci nominant, torquentur, ac difficulter ipsis purgatio procedit: prætereà adhuc subito vires conuelluntur. Eáq; omnia accidunt, dum purgans medicamẽtum familiarem sibi humorem attrahere desiderat: quia autem eo destituitur, sanguinem & carnes eliquat cõsumítque, vt ex illis proprium attrahat.

Porrò qui sani quidem adhuc sunt, verùm ægrotaturi, nisi fuerint euacuati, vere ineunte statim inaniri debẽt: vel sanguinis dimissione, si morbis ab humorum copia creatis, quos πληθωρικὰς vocant, corripiantur: aut purgatione, si ex corruptione factis conflictentur. Nos itaque & podagram, & morbum articularium incipientem, & qui nondum tophaceam duritiẽ, quos πώρους dicunt, in articulamentis produxerat, annis iam multis fieri prohibuimus. Eodem modo apoplexiam, morbum comitialẽ, melancholiam, alióśq; eiusmodi diuturnos affectus supradicta euacuatione in plerisq; hominibus sustulimus.

Nonnullis itaq; pituitosos humores euacuari conuenit, nõnullis biliosos, quibusdam melancholicos, quibusdam serosum recrementum, pro substantia affectuũ, qui ipsis obuenire solent. Verbi causa, aliquis melancholia quotãnis corripitur, nisi purgatus fuerit: atq; ego ipsum non vere tantũ, sed autumno quoq; purgo: ita & mulierẽ quandam singulis annis per veris initia similiter vacuo, cui cancrosa in mamilla dispositio hærebat, quã vbi validè medicamẽto atrã bilem ducente euacuassem, persanaui. Ac si quandoq; purgatio nõ assumpta fuerit, dolor in alto ipsam affligit. Iam elephantẽ in alio incipiẽtem per initia sanè sanguinis dimissione & purgatione curaui. Singulis autẽ annis rursus vna huic quoq; abunde est purgatio. Omissa verò ea statim affectus se prodit. Proinde eiusmodi morbi nigrorũ humorum purgatione indigẽt. Comitiales autẽ, apoplectici, & suspiriosi, pituitosorũ. Articularij morbi, qui quidẽ vnà cũ multa caliditate affligunt, biliosorũ: qui autẽ cum frigidis tumoribus, pituitosorũ. Alius quidam æstiuo tẽpore tertianis febribus semper corripi solitus, iam multis annis nõ febricitauit, quòd bilem flauam, ad finẽ veris à nobis ex eo purgata sit. ita enim satius est tales vacuare, vt comitiales, articularios, & melancholicos. Item qui ob crassos humores ægrotant, ineunte vere melius euacuantur.

At humores crassos viscosóśq; prius attenuare, & incidere cõuenit, item meatus per quos hi transsumũtur, trahuntúrq;, ante purgantia medicamenta reserare ac aperire, si purgatio omnibus modis optima futura sit, præsertim in ijs qui veratrũ assumunt. Etenim vehemẽs turbationũ motio humores affectis partibus contumaciter impactos eijciens, & hoc nomine diuturnos affectus adiuuãs, faci-

lius id efficiet, si prius ipsi fuerint attenuati. Id autẽ si negligant, difficiles occurrent purgationes cũ interiorũ torsionibus nõnunq̃, quibusdã singultibus, multa nausea, pulsu malũ testante, dissolutione viriũ, & difficultate. Porrò eos qui elleborũ assumẽt, experiri prius oportet, qualẽ ad purgationes per superiora, hoc est vomitũ, naturã habeant. Fiet autẽ de ipsis periculũ ex medicamẽtis mediocribus ad vomitũ ciendũ idoneis. Nisi enim facilè purgari videatur, is, antequã reddatur idoneus, præparetúrq;, veratrũ nõ assumet. Id autẽ fiet, si is cui veratrũ propinabitur, tum per illa, tũ per cõtinuos vomitus, prõptè vomere assueuerit. Cõmodius autẽ fiet etiã si corpora prius humecta fuerint reddita. humectãtur liberaliore cibo & quiete. Quantũ itaq; ad quietẽ pertinet, omnibus notũ est. vt enim exercitia siccare nata sunt, ita etiã quies, hoc est otium & ab exercitijs vacatio, humiditates cõseruare. At alimentũ non simpliciter copiosius humectare solet, sed q̃ citra qualitatẽ validam existit, hoc est, neq; acerbũ, neq; acre, neq; salsum, neq; amarum. Porrò nos quandoq; radiculas ex oxymelite propinauimus, quas arũdine perforatas, ac veratri albi ramis trãsfixas, per totũ diẽ noctẽmq; reliquimus. Atq; eiusmodi ex elleboro facta purgatio erit imbecilla. Cęterũ qui angustũ habẽt pectus, eóq; etiã cõpressum, ineptissimi ad purgationes existũt, quæ medicamẽtis in vomitũ efficacibus fiunt, cũ aliàs, tũ verò maximè ex albo veratro. siquidem vas aliquod in respiratorijs instrumentis consistens ipsis, rumpitur.

Vide Paulum lib. 7. & Oribasium ad Eustatium lib. 1.

At biliosus humor suprà, pituita inferius euacuari debet. est quando cõtrario modo accidat: si quidẽ in vẽtriculo pituitosus resideat, in intestinis autẽ biliosus collectus fuerit. Melãcholicũ verò semper per inferiora vacuare oportet. Hippocrates autẽ in aphorismis de anni tẽporibus ita scriptũ reliquit: » Aestate superiores vẽtres, hyeme inferiores medicamẽtis solicitare oportet. Eodem modo regiones vt anni tẽpora considerare oportet, caliditate & frigiditate distinguẽtes. Sic de ætatibus censendũ est. Quin & consuetudo non parũ ad vacuationis indicationẽ momẽti adfert. Qui enim vomere soliti sunt, minori molestia purgationes per superiorẽ ventrẽ ferunt: qui non assuerunt, haud citra periculũ, magísq; in veratro. Iam morbi species examinanda est: nam in aqua subter cutẽ, quam phlegmatiã appellant, medicamento quod pituitã ducit, indigemus. Prius sanè per ventrẽ inferiorẽ, deinde vomitu, postea apophlegmatismis. vbi enim id quod redundat per totũ corpus dispersum est, omnes vacuationes assumemus. In aqua verò subter cutem, quæ ab vtre ascites appellatur, medicamentũ aliquod, quod aquæ ciendæ est, exhibebimus: sicut etiã in arcuatis, quæ bilẽ eliciũt. Porrò etiã ex his bilẽ multifariã suprà & infrà per vrinas, palatũ, & nares purgare cõuenit. Pari modo, si melancholicus humor redundauerit, vt in melancholia, cãcro, & elephãte, medicamentũ atrã bilem euacuãs offerimus. Comitiales morbos pituitã educentibus purgamus. Vnde constat, morbi dispositionẽ & humorẽ qui vacuetur indicare, & locũ per quẽ vacuandus est. Verbi causa, ijs qui in iecore sunt inflammationẽ sentiẽtibus, vbi cõcocti fuerint expurgationẽ molimur: per inferiorem sanè ventrẽ, vbi cauas ipsius partes affectus occupat: per vrinas, cũ gibbas. Ita & in alijs cõsiderabis, & humorẽ qui redundat, & locum affectũ, ex quo tanq̃ causa morbus prosilit. Hęc enim tibi humorẽ, qui vacuari debet, euacuationis modum, & locum per quem vacuare cõuenit, indicabunt. Accedit his omnibus tempus & occasio. Per initia enim, serosos tenuésq; humores euacuabis: in crassis autẽ &

viſcoſis,quales natura ſunt & pituitæ & atrębilis,cōcoctionē expectabis.Iam ab acceſſionibus conſiliū ſumes ad modi euacuationis indicationē:ex ſuperiori quidem parte in acceſſionibus vacuationes moliens,ex inferioribus per remiſſiones, vt appellant.Etenim ſua ſponte ita iuuant, in acceſſionibus quidē,dum multi & vomunt,& per nares ſanguinē fundunt:in remiſſionibus autē,dum vrinæ & deiectiones excernūtur.At tempus dierum acceſſoriorum & decretoriorum, cum infra copioſe purgare aggrederis,cauere oportet.Vbi enim humorum impetus ſurſum vergit,medicamenti purgantis facultas impedietur.

At in ijs qui iam ægrotāt,ſi morbi diuturni ſunt,ſemper eorū maturatio expectanda eſt:ſin autē acuti cū turgent ac pruriunt,per initia medicamentis vti licet.Verū cū omnia purgantia medicamēta calida facultatibus exiſtāt,febris autē qua febris eſt,ſui ratione nō ſolùm non ſiccātibus & calidis,ſed maximè ipſis cōtrarijs, Apho.24.li.1 nēpe humectātibus refrigerātibúſq; indiget.Quare nec ipſius febrilis caloris gratia purgatio nobis aſſumitur,quippe quem ſui ratione hinc offendi ſciamus,ſed humorū cauſa,qui illū efficiunt.Cōuenit igitur maius cōmodum ex noxiorū humorū euacuatione prouenire,q̄ offenſam,quæ à medicamētis purgantibus neceſſariò corpori obuenit:eſt autē commodū,ſi noxius humor & citra moleſtiā,& totus euacuetur.Quod vt fiat,primū ſanè diſpiciendū venit,num æger ad eiuſmodi purgationē ſit idoneus.Nam qui ex cruditatibus multis aut viſcoſis craſſiſve cibis laborant,itē quibus præcordia intēta ſunt,inflatáq;,aut ſupra modū calida & ignea,aut ſi etiā inibi viſcerū quædam inflāmatio affligat,omnes hi ad purgationes inepti ſunt.Proinde & hęc abeſſe & humores q̄ maximè licet ægrotātis fluidos eſſe oportet,hoc eſt tenues,& nullius lētoris participes:meatúſq; per quos purgatio futura eſt,adapertos.Hæc enim & nos antea præparamus purgaturi aliquē.At in morbis acutis ſtatim per initia,vel primò die,vel nō vltra ſecūdū, ſi purgationibus vſuri ſimus:cū pruriūt,huiuſmodi pręparationē fieri non licet, niſi quis tēpus fortè habeat,vt mulſam meracā potui det,in qua hyſſopi aliquid, aut origani,aut tragorigani,aut pulegij,aut cuiuſdā ita extenuantiū decoctū ſit. quapropter bona ratione raró in acutis morbis per initia medicamentorum vſus nobis erit, eo ꝙ neque frequēter noxij humores per initia turgeant, pruriántq;: neq; ſi etiā hoc exiſtat,æger ad purgationē ſit idoneus:imò qui ne tēpus quidē nobis præbeat præparandi idoneū.At humores prurire dicuntur, ſeu turgere, cum motu vehementiori agitati,& à particulis in particulas tranſfluentes,per morbi initia hominē moleſtāt,dolore afficientes,irritātes,& quieſcere nō permittentes. Tales igitur, hoc eſt qui in motu ſunt, agitatione & fluore,euacuare conuenit. Particulæ autē alicui infixos neq; alio quodam præſidio mouere oportet, neque medicamētis ſolicitare,priuſquā fuerint cōcocti.Tūc enim & naturā vacuationi opitulantē habebimus:ſiquidē ea ſecundū cōcoctiones,& humores diſcernere,& ſuperfluū deponere apparet:quo tēpore etiā criſes accidunt.At vbi abſolutè quidem ipſa mouetur,nihil opus eſt medicamentis:vbi lenius imbecilliúſq; actionē obit,id quod deeſt nos medicamētis adijcere oportet.Cæterū ſciendū eſt humorū tranſfluxiones aliàs in aliā particulā raró accidere,maiore autē ex parte vna in particula quadā ipſos reſidere,in qua per totū morbi tēpus ad ſolutionē vſq; cōcoquuntur.Cū igitur nō acutus modò affectus fuerit, ſed etiā cum febri vehementiſſima,cauendū eſt purgans medicamētū exhibere, præſertim cū quis la-

borantis naturā nō cōpertā habeat. Nōnulli siquidē natura ægrè purgatur, nonnulli verò exigua medicamenti potione abunde purgatur. Cum itaq; febris nō vehemens fuerit, norisq; ægrotantis naturā, ad medicamēti vsum descēdes elleboro nigro vtens, aut aliquo cōsimili: in quorū grege & quod dia colocynthidos, hoc est ex cucurbita syluestri præparatur. Nominant ipsam consueto vocabulo hierā. Cum autē variè ipsa præparetur, quæ elleborū recepit absq; scāmonia optimum est medicamentum ventri ducendo idoneū. Vbi purgatio assumpta fuerit, vincit ptisanā superforbere, vt ait Hippocrates. ipsum etenim purgans medicamentū, vt quod exiguum sit, ad ventriculi fundum peruenit: in transitu autem stomachus, quantū ad superiorem ventriculi partem attinet, nō modò qualitatis medicamēti purgantis, sed etiā substantiæ inter transeundū adhærescentis particeps factus, vehemēter offenditur. Ad quod igitur cremor ptisanæ, si superbibatur, conducit, vt qui id quod in transitu affixū applicatúmq; est, abstergere & deorsum trahere, qualitatē verò medicamenti particulis insidentem contēperare & inalterare possit. Propter hæc igitur post purgātis medicamenti potionē ptisanam superforbere iubet. At vbi purgatio fieri inceperit, nō amplius ptisanam dari suadet, timens ne purgantis medicamenti actio dissoluatur. ¶ Porrò aluus nonnunquā dato medicamento quod purget non excernit, vel ob ægri naturæ proprietatē, vel ob medicamenti exhibiti paucitatem. Subinde autem & stercus impactum, durum, in aliquo intestino, quod clystere euacuari posset, antequam purgans medicamentum exhibeatur, vacuationem impedit. Iam fieri potest, vt natura impetum ad vrinas faciente, purgans nihil proficiat. Interdum sanè cum purgantia frustrata fuerint actione, præterquā quòd nihil corpus lædunt, etiam alimentum animantis fiunt: quædam ad corruptionem & deleterium conuertuntur. ¶ At cum omnia purgantia medicamenta ventriculum vitient, & præcipuè ipsius os, eo quòd maximè sit neruosum, & sensile, odoratorum mixtura excogitata est, ne videlicet sola, neque syncera ipsorum facultas os ventriculi attingat. Conuenit autem ea quæ miscentur semina eiusmodi esse, quæ & malignitatem possint obtundere, & actionem ipsorum non impedire, extenuatoria & incidenti facultate prædita, qua crassos humores dissecent, & vias ipsorum, per quas euacuantur, adaperiant, recludántque. ¶ At purgantia quæ miscentur, sibi inuicem congenera esse, & nulla ex parte dissidere oportet. Dissident autem, non cum aliud bilem, verbi causa, aliud pituitam euacuat, ambo enim eodem modo euacuari possunt: verùm vbi hoc statim, illud multo postquam assumptū est, purgationem mouere solet. ita enim inæqualis fit euacuatio ex illis simul assumptis. Dico autem inæqualem, cùm vna iam cessante vacuatione, altera rursus incipit.

CLAVDII GALENI PERGAMENI QVOS PVRgare, & quibus in id efficacibus medicamentis, & quando oporteat libelli finis, Ioanne Guinterio Andernaco Medico Interprete.